Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Monrad

Thesaurus Concionatorum, Sive Arcana, Hactenus Quidem Multis Seculis Inusitata, Sed Sacrosancta Et Utilissima, Et Verbum Veritatis Recte Secans Methodus explicandi Evangelia

1 : Continens Evangelia Dominicalia Et Festa A Dominica Prima Adventus usq[ue] ad Festum Pentecostes

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Scheiterer: Pedanus, 1614

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0001
DFG

Ep. Fr. 485 p
Ep. - 392 y

43. 4.

I. l. 1115.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0002
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

THESAVRUS CONCIONATORUM,

SIVE

ARCANA, HACTENUS QUIDEM MULTIS SECULIS INUSITATA, SED SACROSANCTA ET UTILISSIMA, ET VERBUM VERITATIS RECTE SECANS METHODUS

explicandi Evangelia, quæ diebus Dominicis & festis Sanctorum in Ecclesia Dei proponuntur, ad docentium eloquium & discentium captum accommodatissima, Magistro Spiritu Sancto delineata

à

JOHANNE MONRADO L.

Præposito in ALSIA, *Pastore in* Ketting.

PARS PRIMA

CONTINENS EVANGELIA DOMINICALIA ET FESTA A DOMINICA PRIMA Adventus usq; ad Festum Pentecostes.

Augustinus:

Ego Domine confiteor tibi omnem paupertatem meam, ut sit tibi tua gloria tota. Quoniam tuum est omne bonum gestum per me. Nihil aliud ego sum, quàm universa vanitas, umbra mortis & abyssus quædam tenebrosa, terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione nihil germinat.

Quod fieri potest per pauciora non fieri debet per plura.

ROSTOCHI

Typis exscripsit Joachimus Pedanus, Acad. Typ.

ANNO CHRISTI M. DC. XIV.

Prostant apud Michael. Scheiterer.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0009

DFG

Divus Paulus Elegantißimum & Sanctißimum
in Epistola ad Corinth. 1. caput 15. hoc insigni dicto, quo Basis
hujus à me expolitæ per gratiam DEI *methodi*
continetur excellenter concludit

1. Cor. 15. v. 58.

Itaq; Fratres mei dilecti Firmi sitis & immobiles.

Abundantes in opere Domini semper.

Cum sciatis, quod labor vester non sit inanis per Dominum.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, Dn. JOHANNIS, Hæredis Norvvegiæ, Ducis Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis in Oldenborch & Delmenhorst, &c.

Secretario intimo ac fidelissimo

Dn. JOHANNI HILDENSHÆMIO,

Viro genere, pietate, doctrinâ ac virtute præstantissimo, Amico & Fautori meo candido & integerrimo, prolixam valetudinem, pacem & omne bonum precor per Dominum JESUM.

GEneris splendore & spectatâ prudentia Clarissime Vir, fautor atq; amice ob pietatem & candorem dilectissime, quod usq; adeò fluxa, fugax & brevis vita sit hæc lubrica, quemadmodum Job. cap. 14. v. 1. David, Psalm. 90. v. 10. Psal, 103. v. 15. & Syrac. cap. 18. v. 8. eam descripserunt; unde August. Serm. 16. de verbis Domini: Brevis est vita, inquit, & ipsa brevitas semper incerta. Idem in Originali: Vita hæc est vita dubia, vita cœca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aer morbidat, escæ inflammant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus iucurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & post hæc omnia mors interimit, universis gaudijs finem imponit, ita ut cum esse desierit nec fuisse putetur. Et Hieron. Super Amos. lib. 3. Nihil fugacius seculo, rebusq; seculi, quas dum tenemus amittimus

& per infantiam, pueritiam, juventutem ac virilem & ingravescentem atq; maturam ætatem, annosq; ultimos senectutis per septem spatia, ut Philo vitam distribuit humanam, mutamur & currimus, & nescientes ad mortis terminos perveniemus. Quodq; inevitabile sit Judicium Dei & gravis reddenda ratio, sicut Syrac. cap. 12. v. 7. Christus, Matt. 12. v. 36. & Paulus, 2. Cor. 5. v. 10. fideliter præmonuerunt, unde Hieron. in Epist. 34: Dicimus quoq; judicium futurum, in quo unusquisq; recipiet propria corporis, prout gessit sive bona sive mala. Bernard. super Cantica: Veniet dies illa in qua plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, conscientia bona, quàm marsupia plena: quoniam Judex ille non falletur verbis, nec flectetur donis. Et Anshelm. de similitud. mundi: A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita Dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens, ibi vix justus salvabitur. Heu miser peccator sic deprehensus quo fugies? latere enim impossibile, apparere intolerabile. Id pauciſſimi proh dolor ea, qua decet attentione ponderant. O plus quàm Cymmerias mentis humanæ tenebras, ó detestabilem amentiam, ó spiritualem & execrandam animorum phrenesin! quæ homines in tanto periculo constitutos, ridere, ludere, epulari & lætum diem agere compellit. Undè quamplurimi etiam inter Christi dispensatores, Luc. 16. quos maximè fideles esse oportebat, 1. Cor. 4. prout quisq; donum variæ gratiæ Dei, 1. Pet. 4. v. 10. accepit, nec voce tantùm, verùm etiam calamo Dei gloriam promulgare, & auditorum lectorumq; salutem promovere, talentum suum, Matt. 25. minus rectè collocant. De reliqua turba meum est, quod Platonis de Syracusanis judicium, qui cum vidisset quosdam egregias ædificare domos, quosdam continuè poculis indulgere: in hac urbe, dixit, ædificant cives quasi semper victuri, comedunt autem quasi cras morituri. Novit autem Cardiognostes, & evincunt lucubrationes meæ, quod ab ocio turpi mens mea semper abhorruerit, utinam voluntati facultas æqua fuisset. nec artium & lingvarum inopia me ab instituto ægrum retraheret: quandoquidem, ut poetæ verbis utar,

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas,
Ut me plumbi levat, sic grave mergit onus.

Optime vir non est epistolaris quærela, sed iliada contexerem, si

ærumnas

ærumnas & molestias, atq;, cujus abominandæ sunt leges & imperia truculentissima, inopiam, quam in juventute dum sudans & algens Musarum castra sequebar, utroq; parente properanter nimis orbatus, & omni, si qua illa est, contra me militante fortuna perpessus sum, prolixè describere conarer.

Haud facilè emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Continuavi tamen per Dei gratiam studiorum curriculum, sed quod meliores progressus facere non potuerim infelicitatem meam lachrymis, quotiescunq; me meo metiar modulo propter curtam supellectilem mecum habitans anxiè deploro, & cum Fulgent. lib. 1. de Prædestinat. ab ipsa veritate postulo doceri, multò plura quæ nescio, à qua accepi pauca quæ scio. Ipsam rogo ut præveniente & subsequente misericordia, quæcunq; salubriter scienda nescio doceat me, in his quæ vera novi custodiat me, in quibus ut homo fallor corrigat me. In quibus veris titubo confirmet me, & à falsis & noxijs eripiat me. In pulvere quidem Philosophico mediocriter luctando exercitatus, & in studijs Physicis & Astrologicis multum laboris absolveram: sed cum illa jam avidis labellis degustata, interim deficiente sumtu non viderentur esse de propaganda animarum salute, nec de pane lucrando, ad scopum ferebar, & animum ad Theologiam applicabam, mirandaq; Jehovæ dispensatione & Spiritus Sancti impulsu ad hanc functionem, cui jam Annis 23. præfrui, vocabar, Annum tunc agebam 23. Quantis ab eo tempore morborum diuturnorum etiam aliquoties spe prolixioris vitæ resecta, paroxysmis confectus fuerim: Quantos in restauranda domo hac miserè collapsa, in disponenda re domestica, fodiendis piscinis, excolendisq; hortis frugiferis & amœnioribus labores exantlaverim, nemo facilè credet, nisi cui mecum conversari licuit. Ne præteream gravissimas ambiguæ hujus præposituræ, cujus inspectione, hominem legum etiam judicialium seu forensium peritum in hoc loco requirente, Anno 1598. oneratus sum, difficultates, cum violentis & fraudulentis distortorum ingeniorum insultibus, quos Dei gratia bonæq; fretus testimonio conscientiæ paulatim honestè repuli, illos heroicos ad praxin trahens:

Discite dura pati, sola est quæ conterit hostes
Virtutes q; regit patientia, sola triumphis
Militat innocuis, & honestæ consulit iræ.

Nihilominus tamen pro diversa corporis valetudine inter medios labores, quos in exigua hac Sparta, & propter demolitionem miserè attenuata conditione, ubi mihi pauci quidem, sed boni & grati parochiani, quo famem malesvadam à sobole, qua me in conjugio meo optatissimo & jucundissimo copiosa benedictionis Pater donavit, abigerem, famamq; tuerer honestam, sustinere coactus sum, nocte sub obscura, in itineribus, in convivijs, inter plantandum & inserendum nunquam ociosus, de plurimis quæ mortalem meditari fas est, cum præreptam mihi optimorum authorum scripta legendi occasionem indolerem, cogitando, ruminando, conscribendo papiro candido & atræ fuligini, ubicunq; ex laborum meorum turbis mihi horam suffurari licuit, multam feci injuriam. Et magna, utinam vires & ocium adfuissent cum fronte serena, diversæ materiæ tam metro, quàm prosa oratione ex libera & ligata pharetra ad propriæ inventionis amussim ὁδηγῷ Spiritu Sancto, qui etiam de idiotis fecit Apostolos, &, ut Divi Gregorij verba huc adscribam, de puero opilione fecit Psalmistam: de puero abstinente judicem senum: de pastore armentario Prophetam: de piscatore Apostolorum Principem: de persecutore Gentium doctorem: de publicano Evangelistam, congessi volumina, scilicet de omnibus aliquid, de toto, ut dicitur, nihil. Cumq; de horum numero ex capsis meis dispositiones super Evangelia Dominicalia ad usum eorum triplicem διδασκαλικὸν, παραμυθητικὸν & νουθετικὸν seu προτρεπτικὸν & παραινετικὸν accommodatum publici feci ssem juris, jamq; profundè mecum meditarer, an non propius ad Deum accedere, & in gloriam ejus auditorumq; salutem subtiliter & utiliter magis disponere & exponere textum quis posset; veluti per somnium, quod χρηματιστικὸν θεοπέμπτον fuisse dicas, aliam methodum tractandi Evangelia Dominicalia & quoscunq; textus, in hoc libello congestam, quam Ecclesiæ militanti salutarem & necessariam fore arbitror, sic ut de ea sperem multos lætaturos, & propter hoc inventum Misanthropon horrendũ fremiturum Satanam, quia nec de Babylone ad montem Zion perveniissem, nisi fuisset auxiliator mihi magnus Michael, Dan. 10. v. 13. mirabili Spiritus Sancti ductu inveni; nec immerito cum Archimede gratissimum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0014
DFG

simum Εὕρηκα concinui, & quis non quæso mecum, nisi invidus, indoctus & impius? Quid enim quæso rectius aut melius putas, quàm ut enarrando circumstantias ipse textus periphrasticè continua oratione explicetur, & inde primo loco ex quolibet textu capiant miseri mortales Confirmationem Fidei, sine qua nemo unquam salvabitur. Porrò ut discant proferre Fidei Fructus, sine quibus illa mortua putridæ, & in ignem proijciendæ à Salvatore, Matth. 7. v. 19. & à Prodromo ejus, Matth. 3. v. 10. comparatur arbori. Tandem ut consequantur Finem & triumphum Fidei, 1. Pet. 1. v. 9. salutem animarum, perenne gaudium in quocunq; textu monstratum, quod est liberatio ab omni malo seu vita æterna, quam in omni verbo divino lecto, pronunciato & audito quærimus, quamque tibi & mihi cum omnibus fidelibus contribuat propter meritum suum JESUS Christus. Addidi præfationes singulis Evangelijs supplices, brevissima dimetra dicola distropha summam Evangelij & dispositionem tripartitam distinctamque continentia, & pro exordijs tractanda vaticinia Prophetica, quod, teste Lyra, facta & dicta Veteris Testamenti, sint parabolæ & figuræ N. Testamenti. Adscripsi quantâ potui diligentia, quod in prioribus desiderari videbatur, ipsos quoque versus singulis scripturæ dictis & historijs, præcipuè si quæ majoris judicavi momenti, & cum scriptura locutus sum. Philosophi, dicebat August. libera habent verba, nobis autem ex præscripto loquendum est, & proverbium Apostoli Petri Clemens Alexandr. annotavit: ἀδὲν ἄπο γραφῆς λέγομεν. Et ipsum textum quasi masticando explicavi, ex ipso textu tanquam ex vivo fonte in singulis ter tria exhausi, memor illius quod in commentario Lutheri super Gen. legitur: Illa scripta maximè probanda, esse in Ecclesia, quæ lectorem non procul abducunt à textu, sed potius eum deducunt ad fontes Ecclesiæ.

Fateor quidem infinitam extare postillarum copiam, quarum authores miris modis diserti & longè doctissimi, eadem de ijsdem diversis in locis & varijs coloribus ornata in theatrum producunt, nec eãdem omnes, nec eidem in omnibus eandem methodum observant. Quos ego, si pronunciare ausim, plerosq; non tam Dei, quàm propriam gloriam, ne fortè antecessoribus suis indoctiores viderentur

tur, & lucri commodum quæsiviſſe puto. Sunt enim inter illos aliqui, qui innumeras paſſim pagellas ex alijs ad verbum deſcribere, & pro ſuis venditare non erubuerunt. Optarem autem ne auditores diſpoſitionum varietate & locorum multitudine obtunderentur, ſed potius prælecto textu, quid à præcone Evangelij expectandum prænoſcerent, & ordine certo, cujus Deus author eſt, 1. Cor. 14. v. 33. propoſita faciliùs memoriæ mandarent, quia nec ita tædium illis obreperet, ut in omnibus Eccleſijs methodus docendi idonea, & captui diſcentium accommodata unà & eadem forma traderetur, illaq; in re præſtiti quod potui. Sed cum diverſa ſint hominum judicia, & quot capita tot ſenſus, tot ſententiæ, fortè non deerunt, qui methodum requirant meliorem, qui rotundam brevitatem, mox nimiam accuſent prolixitatem, & ſi à præſtantiſſimo quodam alicubi Theologo hæc proponerentur, haud inviti ipſius ſectarentur veſtigia, ipſius exoſculārentur labores, cum aliàs illud Nathanaeles, Joh. 1. v. 46. in ore habeant: A Nazareth nunquid aliquid boni.

Fateor lubens ignorantiam meam, & exiguum in bonis ſtudijs progreſſum, lingvarumq; & lectionis penuriam, optaremq; lumen aliquod Eccleſiæ, virum Spiritus Sancti donis abundantem hæc ſtilo magis polito, ut ſic ex abundantia cordis ſui eructaret ſapientiam, commentum fuiſſe. Verùm ita eſt, optime Secretarie, uti Paulus ſcripſit 1. Cor. 1. v. 27. & 28: Quæ ſtulta ſunt coram mundo elegit Deus, & quæ infirmiora ſunt, & quæ ignobilia atq; pro nihilo habita, ut humilientur ſapientes atq; robuſti; nec glorietur ulla caro coram Deo. Qui cum in altiſſimis habitet ad ima reſpicit, nec humiles deſpicit, ſuſcitatq; de pulvere pauperem. 1. Sam. 2. v. 8. Pſal. 113. v. 7. Quare & ipſe filius Dei, Matt. 11. v. 25. æterno Patri confitetur Domino cœli & terræ, quod multa ſapientibus abſcondita infantibus revelarit. Hîc iterum audies qui hæc proclament inſolentiora, at ſi in exceſſu deliquero, eſt quod meæ deſcribant ſimplicitati, qui cum aperti cordis homo ſim, quod ſentio eloquor. Sic autem pro Dei judicio, quod ab humano variat, non Imperatoris filia, ſed humilis ancilla electa eſt mater Domini, non ſummi ſacerdotes, ſed piſcatores exhibitum Meſſiam proclamarunt. Nec eminentioribus Apoſtolis ſed Mariæ Magdalenæ & Cleophæ primùm revelata eſt reſurrectio Domini.

Fateor

Fateor deniq; minùs elegantem & incultum nimis hunc prelo subijci libellum, optaremq;, quod posteriores cogitationes semper sint meliores, hunc fœtum lambendo, septemq;, juxta Horat. premendo per annos, elegantiorem in publicum emitti: Sed cum adhuc alia mihi inventa sit Methodus, meo quidem judicio propius ad cœlica penetrans *RES IPSA*, &, modò vita prorogetur, ad alia adspiret & speret animus, librum hunc sine accuratiore lima prodire passus sum. Arrodent illum, de quo nullus dubito, plurimi, etiam fortè illi de quibus pro facultate mea haud malè meritus sum; nec effugiam morsus Sycophantarum, quibus obsonium & pulpamentum est aliorum scripta carpere, quod lingvas habeant perversas Jer. 4. quibus, ut Gregor. inquit, aut perversa laudant, aut recta reprehendunt, suisq; calumnijs, Eccl. 7. conturbant sapientem, & Proverb. 18. & 26. frangunt robur cordis ejus. Sed *Judicium melius posteritatis erit.*

Ut ut sit sacra hic liber continet, atq; ex sacris eruta. Quid mihi peripatetica Socraticorum creta? Quid mihi Rami carbones? Demus illa nervos esse τῆς Φιλοσοφίας, & egregia in tractandis artibus adminicula, quid autem fumus de montibus illis? Scribere quod sine organo logicæ hostem Satanam ex Verbo Dei jugulare nemo possit, hoc sanè nimium videtur; cum magis pro Forma, quàm ad Formam sophista ille nobiscum disputet, quem filius Dei ex potenti verbo divino simpliciter respondendo, Matt. 4. in fugam convertit. Ego verò, Horatium in hac re imitatus,

Nullius addictus juravi in verba Magistri.

Sed meo more rem ipsam aggredior. Ex fonte sacro hæc promanat. Rationem hanc docendi ex ore Jehovæ & Christi ejus, nec non Prophetarum & Apostolorum paulò inferius dilucidè, vel meridiana luce clariùs demonstrabo. Interim ne exiguum corpus grande caput, libellum brevem longa premat præfatio, receptui cantans causas instituti mei, quod tibi, Præstantissime vir, præ reliquis amicis & fautoribus meis librum hunc dedicare voluerim paucis exponam. Primò itaq; allexit me virtus egregia, cujus philtrum, si Ciceroni fides habenda, etiam ignotos in sui admirationem & amorem trahit: Te quoniam non tantùm & genus, & proavi, & quæ non feceris ipse, condecorant, sed ipse Vir es antiqua fide ac virtute. Quod ad parentes progonosq; spectat, quamvis eorum encomia, & tuam genealogiam

hoc loco describere non sit mei intenti, Avus paternus tuus ——— ——Civis fuit Halberstad. vir Senatorij ordinis, cujus filius Parens tuus HIPPOLYTUS ——— ——— duorum March. Brandenburgensium, Ducis Electoris JOHANNIS GEORGII & Marchionis JOHANNIS ultra 40. annos fuit Consiliarius intimus, & Secretarius primarius, qui inter labores & molestias aulicas, Dei atq; animæ suæ haud immemor, locos communes ex sacro Bibliorum codice collegit, opus insigne, exempla virtutum ac vitiorum, benedictionis & gratiæ, iræq; & pœnæ divinæ continens, cum insertis sententijs gravissimis, & historijs hinc inde ex probatissimis historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus decerptis.

Hic labor, hoc decus est fulvo præstantius auro. Sic itur ad astra.

Ut præteream brevitatis causa atavum tuum maternum HANSIUM de NAWMAN virum nobilem & magnificum Ducis JOHANNIS Saganensis in Silesia consiliarium, & belli ducem, & terræ illius præfectum; nec non abavum tam nomine, quàm officio Patri succedentem; proavumq; WENTZELIUM de NAWMAN, qui in aula ducis Saxoniæ ALBERTI educatus, à duce GEORGIO postmodum præses Misniæ constitutus, inde in Patriam revocatus ducatui Saganensi & comitatui Beuchlingensi cum summa laude præfuit. CASIMIRI deniq; Regis Polonorum consiliarius. Avus tuus maternus FRANCISCUS de NAWMAN Anno Christi 1522. Joachimi I. Electoris Brandeburgensis consiliarius, post obitum pij Principis filij ejus Marchionis JOHANNIS Cancellarius, inde Anno 1546. Neomarchiæ præfectus, & Commendator Schivelbenensis constitutus, tandem Anno 1564. Illust. Magister ordinis S. Johannis in Marchia, Saxonia, Pomerania & Vandalia, vir genere nobili & virtute heroica splendidus. Memini me legisse benedictiones, quibus ad Exemplum Patriarchæ Jacobi, Gen. 49. ipse renunciavit, quid eventurum esset nepotibus suis in diebus novis. Teq; rem velut acu tangens Israelitam nominavit, Joh. 1. v. 47. dolo carentem.

Huic de semine suo ex duabus uxoribus nobilissimis progenitos filios ac nepotes, præter illos qui maturè diem obierunt, in vita sua octoginta unum spectare concessum à Domino fuit, ex quorum numero mater tua matrona verè nobilis, & vidua qualem Paulus describit 1. Tim. 5. v. 5. post obitum optimi mariti vera vidua ac sola speravit

rauit in Deo,& permanſit in deprecationibus & orationibus nocte ac die, atq; aliquoties perlectis Biblijs tandem ſingulari diligentia dicta & exempla ex ſingulis capitibus deſcripta, quem libellum apud te vidi,in ordinem digeſſit. Tu quoq; & fratres tui ex tam clariſſimis & nobiliſſimis parentibus prognati omnes & ſinguli á conſilijs & ſecretis in aulis Electorum, Archiepiſcoporum Principumq; huc uſq; vitam tranſegiſtis honeſtiſſimam, inter quos Clariſſimo viro FRANCISCO HILDENSHÆMIO Medicinæ Doctori, trium Electorum Brandeburgenſ.Medico,Poetæ Coronato & Oratori,quod ſcripta teſtantur publica,præſtantiſſimo, præ medicis, poëtis & oratoribus innumeris meritô laurus & palma tribuitur. Sed vinum illud elegans agreſti hac hedera non indiget, cum virtutis & doctrinæ fama per orbem volitet;nec deſint qui decus hoc egregium plenis,quod ajunt, tibijs decantent. Tu ultra 40. annos in Electorum & Principum aulis verſatus, Illuſt. Principi ac Dno. Duci JOHANNI Hæredi Norvvegiæ,Duci Sleſvvici,Holſatiæ, &c. jam 32. annis fidem tuam probaſti, & ipſemet, non equidem ut dem aliquid auribus tuis, utpote quod adulari neſciam, ſed ut vera eloquar, audivi à præſtantiſſimis in Regno Daniæ Heroibus tuam in tractandis negocijs Domini tui apud Reg. Majeſt. fidelitatem & dexteritatem, honeſtiſſimè commendari. Quandoquidem ergo generis tui ſplendor & nobilitate celebris familia tot hinc annis ſupra hominum memoriam in aliquot Imperatorum,Regum atq; Principum aulis,Regionibus, Provincijs, præturis, urbibus innotuit, viguit, floruit: nec minùs te exornant religioſa in Deum pietas, in ſacris ſtudium, ingenij cultura, principi tuo præſtita fideliter officia, in conſilijs dexteritas & veritatis ſtudiũ, animi candor,omnibus bonis benefaciendi promtitudo,obtrectationum & calumniarum,qualis virum decet,contemtus,&,licèt invidia, quæ ſolos miſerrimos non arrodit,paſſim livido te dente petat,integritas & recti ſtudium, ſic,Optime amice,nomen honoſq; tuus ſemper laudeſq; manebunt, fremat interea orcus & orbis, & Satan ignitos evomat ore globos.Tene modô quod habes,Apoc. 3. v. 11. & rumina illud, quod ſoles:

Ut cœlum,ut terra, ut mundus me negligat omnis
Vel Soli curæ ſufficit eſſe Deo.

Vidi aliquando apud te catalogum adverſæ fortunæ & caſuum periculo-

riculosissimorum juventutis tuæ, quibus tu expositus, sed clementer ereptus eundem cotidie relegendo divinam, nec immeritò, prædicas protectionem, cum sic mille artificis Satanæ adversarij rugiētis, Draconis antiqui, Astrologi peritissimi ab incunabilis plerumq; sentiant morsum omnes illi, quos ipse pietate & eruditione insigniores fore prævidet, ut sic florem in herba supprimat. Permittitq; sæpius Jehovah, ut tanquam ex faucibus Satanæ erepti potentiam ac misericordiam æterni parentis, quod tu rectè facis, indesinenter prædicemus. Hoc ergo glutinum amoris est, quo te prosequor, hæc prima hujus dedicationis causa.

Secundò, trahunt me officia & beneficia, quæ jam 24. annis cumulatim mihi à te exhibita sunt, ut, cùm ingrato homine, in quo mater vitiorum sedem fixit, nil pejus terra foveat, id quod larga manu præstare non possum, calamo tibi apud posteros retribuam immortali. Tu me morbis obrutum gravissimis pharmacis tuis pretiosis post Deum aliquoties tanquam à limine mortis & faucibus sepulchri revocasti: Tu mecum, cum plurimi per arrogantiam muli defecerint Arcadici, continuam & constantem coluisti amicitiam.

Nos sumus ex animo certi, Deus adsit, amici,
Hinc licèt invidiam corda inimica trahant.
Nos pia amicitiæ veneramur jura beatæ,
Quæ neq; fors, neq; mors, nec violabit homo.
Colloquium nobis si fortè negetur Amici
Quod sumus tamen hic corde virebit amor.
Nostraq; amicitiæ vincla intemerata manebunt,
Dum reget ingenitus pectus & ossa calor.
Nos certi ex animo tandem moriemur amici,
Si quoq; se Satanas rumpat & orcus hiet.

Tu filium meum M. JOANNEM MONRADUM, quod officium tua quoq; MAGDALENA conjunx suavissima meæ haud gravatim præstitit filiæ CATHARINÆ, de fonte sacro suscepisti, & studijs ejus dextram liberalem porrexisti. Ne silentio præteream, quod ad ædificationem novi templi Sunderburgensis, & curiæ conflagratæ restaurationem liberaliter contribuisti.

Publica teq; juvæ qui commoda publicus ergo
Semper honos manet & sera præconia famæ.

Tu

Tu non ita pridem, quod vix de superlativis erga musas valde tenacibus, cum in vilioribus admodum sint profusi, hoc tempore sperare quis ausit, subsidium haud exiguum pro vindicandis à tinearum injuria lucubrationibus meis sponte tua liberaliter obtulisti. Felix ergo qui ita mutuas Jehovæ, Prov. 19. v. 17. & tibi amicos paras, Luc. 16. v. 9. ut retributionem capias in tabernaculis æternis.

Compulit me tertiò tandem spes de futuris bene concepta, quod non tantùm liber hic sub umbra tua refrigerium, sub nomine tuo gloriam habiturus sit; verùm etiam cum veniet mihi summa dies & ineluctabile fatum, quod tu si te superstitem post meum obitum Deus in vita hac conservaverit, conjugi & soboli meæ consilio atque auxilio non sis defuturus. Boni euge consule Præstantissime vir, hoc memoris & grati animi jndicium ab amico profectum, valeque cum honestissima tua conjuge ex nobili & vetusto PAISENIORUM quod ad patrem stemmate, & quod ad matrem ex nobili SEVENIANA prosapia apud Hamburgenses celebri prognata. DEus vobis benedicat & benefaciat. Ex Ketting Alsiæ. Anno æræ Christianæ, 1613. die 21. Novemb.

T. S.

JOHANNES MONRADUS L. P.

Timentibus Dominum non deërit ullum bonum.

BENEDICTIO

FRANCISCI ANAVVMAN PRÆSIDIS SCHIVELBEINENSIS NOVÆ MARCHIÆ, ATQUE COMMENDATORIS IBIDEM, HIPPOLTTO HILDESHEIM, Marchionis JOANNIS Brandenburgensis, &c. à Consilio & Secretis, Genero suo, atq; Uxori ejus CATHARINÆ filiæ suæ, eorundemq; liberis & nepotibus suis facta, & 23. Martij, anno post Virginis partum 1563. promulgata.

GENERALIS BENEDICTIO. *Gen. 48.*

Deus, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, Deus qui pascit me à juventute mea, Angelus Dei, qui eruit me de cunctis malis, cujus sum ego, & cui deservio, benedicat pueris istis.

FRANCISCUS A NAWMAN HIPPOLYTO Seniori, Genero suo. *Psal. 119.*

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

HIPPOLYTUS Senior, Parens. *Psal. 119.*

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

FRANCISCUS A NAWMAN CATHARINÆ filiæ suæ, uxori HIPPOLYTI. *Prov. 31.*

Sapiens mulier ædificat domum suam, Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

CATHARINA uxor HIPPOLYTI mater sequentium. *Psal. 119.*

Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Avus maternus F. A NAWMAN virgini EVPHEMIÆ. *Psal. 45.*

Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.

EVPHEMIA. *Psal. 119.*

Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.

Avus

Avus HIPPOLYTO juniori. Gen. 49.

Juda, te laudabunt fratres tui, benedicam benedicentibus tibi.

HIPPOLYTUS junior. Psal. 67.

Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Avus FRANCISCO. Luc. 2.

Puer autem proficiebat & crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus.

FRANCISCUS. Psal. 68.

Confirma hoc Deus quod operatus es in me, perfice gressus meos in semitis tuis, Deus, Deus ne discedas à me.

Avus JOHANNI. Joh. 1.

Ecce verè Israelita in quo dolus non est.

JOHANNES. Psal. 120.

Domine, libera animam meam à labijs iniquis à lingua dolosa.

Avus AVGVSTINO. Gen. 49.

Filius accrescens Joseph, Deus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi.

AVGVSTINVS. Psal. 103.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Avus CONSTANTINO. Psal. 119.

Non privabit bonis nos, qui ambulant in innocentia.

CONSTANTINVS. Psal. 26.

Judica me Domine secundùm innocentiam meam, & in Justitia tua libera me.

Avus HIERONYMO. Psal. 37.

Junior fui, interim senui, & nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærere panem.

HIERONYMVS. Prov. 30.

Mendicitatem & divitias (si affluant) ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, quæ sunt divitiæ Christianorum.

Conclusio ad omnes.

Benedictione perpetua benedicat vos Pater æternus, Amen.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0023
DFG

Bono & Benevolo Lectori

S. D.

CHristiane Lector per Domini Jesu numen & nomẽ te obsecro, ne de hoc libro, quẽ tibi mea communicat tenuitas, frivolè judices. Nec te offendat quod terminos hîc non invenias logicos, subtili meditatione ab Ethnicis & Philosophis, pro scholastica disputandi & refutandi ratione, excogitatos. Cum haud ægreferas libros alios futiles & inutiles passim à typographis & bibliopolis exprimi nec supprimi; ne quæso hunc condemnes, in quo invenies organon sacrosanctæ logicæ, videbisq; ad imitationem concionum sacrarum in Biblijs has esse dispositas. Nec vitio mihi dabis, quod elegãtiores historias allegoricas & similia selectiora ex alijs authoribus huc ascripserim; cum nihil modo dicatur, quod non dictum sit prius. Nec abs te gratiam vel mercedem ullam postulem, tantummodo optans, ut his in gloriam Dei piè & bene fruaris. Vale.

Concio prima post lapsum in Paradiso ex ore DEI.

Gen. 3. v. 15: Inimicitias ponam, &c.

1. Confirmatio Fidei. *Quod Filius Dei nascetur de virgine, & humanam assumet naturam.*
2. Fructus Fidei. *Ut fortiter militemus contra inimicum Satanam, & viriliter agendo, patienterq; ferendo vincamus insultus ejus.*
3. Finis Fidei. *Quod conterendo caput serpentis Messias nobis restituat rem, nosq; reducat ad Paradisi delicias.*

Concio Esaiæ Prophetæ ex mandato & præscripto DEI.

Esa. 40. v. 6. 7. 8: Omnis caro fœnum, &c.

1. Confirm. Fidei. *Quod rosa, flos, simus, quod res vilissima simus, & dies hominis sint sicut herba. Psal. 103. v. 15.*
2. Fruct. Fidei. *Ut deponamus cristas, præparemus nos ad falcem mortis, expectantes carnis resurrectionem.*
3. Triumph. Fidei. *Quod Verbum Dei ejusq; observatores maneant in æternum.*

Zacha-

Ad Lectorem.

Zachariæ Canticum Luc. 1. v. 68.

Tria continet.

1. Confirmationē Fidei Triplicem.
   1. *Quod verè sit Deus qui se patefecit in Israel, unus quidem in Essentia, sed trinus in personis Pater, Filius & Spiritus S. quo ipse repletus hoc professus est. v. 67.*
   2. *Quod misso Filio suo Iesu Christo erexerit Deus cornu salutis in domo David, v. 69 ad redimendum & servandum populum suum propter viscera misericordiæ suæ.*
   3. *Quod verax sit Deus, nec immemor juramenti sui, quod juravit Abrahamo, promissionumq; quas Spiritus S. prolocutus est per Prophetas. v. 70. 73.*

2. Fructum Fidei Triplicem.
   1. *Ut exemplo Zachariæ pro tantis beneficijs benedicamus Domino, & semper resonet laus ejus in ore nostro.*
   2. *Ut devictis hostibus serviamus Deo in sanctitate & justitia cunctos dies vitæ nostræ. v. 75.*
   3. *Ut Verbi ministri præparent viam Altissimi, dentq; populo Dei scientiam salutis. v. 77.*

3. Triumphum Fidei Triplicem.
   1. *Quod liberet nos Deus ab inimicis, & manu eorum qui oderunt nos. v. 71.*
   2. *Quod detur nobis prudentia justorum, & salus per remissionem peccatorum. v. 77.*
   3. *Quod Sol justitiæ illuminatos ducat ex umbra mortis in viam ac regionem pacis.*

Ut brevitatis causa præteream suavissimam concionem habitam à Salvatore, Ioh. 3. in urbe Sancta in primo post Baptismum Paschate coram Nicodemo, aliasq; ad hanc methodum optimè dispositas.

Oratio orationum Dominica, ab ipso Christo Mat. 6. v. 9. Luc. 11. v. 2. præscripta, exhibet nobis:

1. Confirmationē Fidei Triplicem.
   1. *Quod Deus sit Pater bonus & misericors, qui opera manuum suarum non deserit, nec filiorum & filiarum suarum oblivisc itur. Psal. 103. Matt. 7. Luc. 11.*
   11. *Quod non tantùm sit Pater Christi, Psal. 2. Matt. 3. 17. verùm etiam Pater noster, meus & tuus: quia credimus in Unigenam ejus. Ioh. 1. & 20.*
   111. *Quod sit Pater cœlestis, quem penes arbitrium est & summa*

*potestas. Esa. 59. Cujus ceu Epilogus habet, est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum.

2. Fructum Fidei Triplicem.
- I. Ut sanctificemus nomen Domini, Deum: Invocando. Confitendo. Prædicando.
- II. Ut promoveamus adventum Regni Dei, Verbum ejus: Docendo. Discendo. Observando.
- III. Ut faciamus voluntatem Dei, sicut Angeli & Electi in cœlo.

Cum autem ne hoc fideliter præstemus impediat nos Satan, Mundus & Caro nostra, per avaritiam, diffidentiam & odium, jubente Christo, oramus dari nobis panem nostrum, ne voremus alienum. Nec oramus annuum vel menstruum, sed cotidianum: quia sufficit unicuique diei afflictio sua. Et recipimus nos daturos veniam debitoribus nostris.

3. Finem & Mercedem Fidei Triplicem.
- I. Quod Deus nobis remittet debita nostra, eáq; delebit propter semetipsum.
- II. Quod non finet nos tentari ultra vires, sed palmam dabit & coronam. 1. Cor. 10.
- III. Quod liberabimur ab omni malo tam corporis, quàm animæ, dato nobis à Domino obitu pio & felicissimo.

Concio Apostoli Petri jam Spiritu Sancto visibiliter donati defensoria in prima Pentecoste similiter hæc tria continet. Act. 2. v. 14.

1. Confirmationē Fidei.
- I. Quod prædictum sit à Prophetis, Joel 2. v. 28. Esa. 44. v. 3. sic effundendum Spiritum Sanctum in ultimis diebus super quamlibet carnem.
- II. Quod Jesus Nazarenus definito consilio & providentia Dei in crucem sublatus, & à Deo solutis doloribus mortis excitatus sit: quoniam non permisit sanctum suum sentire corruptionem. Psal. 16. v. 10.
- III. Quod Domino resuscitato, Domino nostro dixerit Psal. 110. v. 1. Sede à dextris meis &c.

2. Fructum Fidei. Ut resipiscentes auditores admittant baptismum in nomine Jesu, accepto sermone salutis, quod facientes ter mille, nec feciissent nisi credidissent, eripere se à natione prava, & die illo additi sunt Ecclesiæ.

3. Mercedē Fidei.
- I. Remissionem peccatorum.
- II. Donum Spiritus Sancti.
- III. Salutem æternam.

Defensio

Ad Lectorem.

Defensio Pauli Apostoli coram Præside Felice contra Tertulli Oratoris accusationem, Act. 24. v. 14. Triplici nititur fundamento, Fide scil: & spe, atq; bona conscientia.

1. De Fide inquit v. 14: *Colo Deum patrium, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.*

2. De Fidei Fructu v. 16: *In hoc igitur ipse me exerceo, ut conscientiam habeam sine offendiculo apud Deum & apud homines semper.*

3. De Victoria Fidei v. 15: *Spem habeo in Deum, fore, quam & ipsi expectant, resurrectionem mortuorum, justorum simul & injustorum.*

JOHAN. MONRADUS, L. P.

PROLEGOMENA QVÆDAM HINC INde collecta pro defensione hujus libri.

Fines tam vitæ, quàm conditionis nostræ tres sunt:

1. *Ut Deum rectè agnoscamus & in ipsum credamus.*
2. *Ut agnitum honoremus vera humilitate & sanctimonia.*
3. *Ut beatè moriamur, & post hanc vitam ex pulvere terræ resuscitati, perpetuò cum ipso vivamus & triumphemus.*

DE FIDE EJUSQUE CONFIRMATIONE.

Doctrina de fide justificante, quæ Jesum Christum apprehendit, maximè necessaria est inter omnia, quæ de Christo docentur & dicuntur: *Quid enim mihi thesaurus, quid medicina, quæ invenire & quibus frui non datur? Sola Fide beneficia Dei amplectimur, ne in perditionis gurgitem devolvamur. Fides Christiana nos ab Ethnicis discernit. Fide orandum est. Matt. 18. Fide omnia geri necesse est coram Deo & in Ecclesia. Per fidem efficax est Verbum Dei ad salutem. Rom. 1. Fidei omnia sunt possibilia, sterilem condemnare arbores, Marc. 11. & tentationum montes transponere. Matt. 21. Testatur itaq; Jer. cap. 5. Quod oculi Domini fidem respiciant. Abac. cap. 2. Quod justus ex fide sua vivat. Christus Joh. 3. Quod non habens fidem judicatus sit, credens autem non pereat. Paul. Rom. 14. Quod quicquid non ex fide est, sit peccatum, Ebr. 11. Quod sine fide impossibile sit Deo placere. Ideoq; operæpretium est doctrinam de fide sedulò tractari, eamq; assiduè adaugeri. Marc. 9. Luc. 17. Quia Fides justificans non est cujuslibet donum aut possessio, sed proprium*

solius Dei munus, Ioh. 6. 1. Cor. 12. Gal. 5. 2. Thess. 3. & in diebus novissimis vix ullibi invenietur. Luc. 18. Crescit autem ex auditu, Rom. 10. & Verbo Dei fovetur velut ignis admoto ligno de arbore Vitæ. Levit. 3. Cyprian. in Epist. ad Donat. Quatum vas fidei ac pacis afferimus, tantùm gratiæ inundantis haurimus. Dei n. misericordia omnium bonorũ fons est inexhaustus. Cũ itaq; in Fide omnia posita sint, nulla amissa occasione quarẽda est confirmatio ejus, consideratione Verbi divini, promissionum Dei, & signorũ verbo adjunctorũ, ut sic ignis Levit. 6. & lampas Fidei in cordibus nostris oleo Verbi divinæ sustentata, semper ardeat in cordibus nostris; nec extinguatur ceu de fatuis virginibus scriptum legitur Matt. 25. Fidem esse totius spiritualis ædificij & humanæ salutis ac felicitatis initium ac fundamentum, nemo est fidelium qui ignoret. Fides autem illa non tantùm cognitio est historiæ, sed fiducia misericordiæ divinæ promissæ propter Christum, quod ille Agnus Dei portaverit iniquitates nostras. Ioh. 1. Mortuus propter peccata nostra, Rom. 4. Cujus vulneribus sanati sumus. Esa. 53. Nec est otiosa, sed semper compellit hominem ut operetur opera bona, Matt. 5. quæ fidem comitantur velut Solem splendor, quod in ortu ejus apparet. Sed prior est Fides, sicut parentes priores sunt sobole, sequanturq; opera, nec faciunt nos justos esse & bonos, sed testantur nos per fidem esse justificatos. Si quis dicat: est mihi fides, ergo non condemnabor, etiamsi non adsint opera bona, perinde est ac si dicat: est mihi elegans arbor, sed putrida, nec fructum ferens. Si quis dicat: per Fidem salvamur, ergo non opus est benè operari, idem est ac si dicat: Arbor bona est, ergo non opus est ut ferat fructum, sed hoc per se facit quia bona est, sic nec fidei lex posita est. Opera bona Deus à justificatis requirit, sed fiduciam bonorum operum, Luc. 18. detestatur & odit: quia hæc ceu grando & gelu bonum fructum facit inutilem, imò detestabilem.

DE FRUCTU FIDEI.

Cum homo Christianus non esse debeat ἄκαρπος sed πολύκαρπος, suadet Dominus Iesus Matt. 25. Fidei lucernam semper servare ardentem, ut luceat lux nostra coram hominibus, Luc 5. sic videant bona opera nostra & glorificetur pater noster cœlestis: quia ex fructu arbor bona cognoscitur, Matt. 7. eo autem si destituatur securis ad radicem posita est, Ioh. 1. Luc. 13. ut succisa in ignem projiciatur. Fides itaq; peccatis impedita, ut vim suam non exerat, à Iacobo Apostolo mortua nominatur, ut quæ vim & acrimoniam suam amisit, unde ejusmodi somniatores, cum impervestigabiles gratiæ cœlestis divitias, & sempiternæ Geheunæ supplicia improbis constituta, rationemq; de tota vita ad verbum usq; ociosum credant esse reddendam, Matt. 12. flagitiosè tamen vivant, & nullos fidei edunt fructus; eorumq; animum Salomon expressit Prov. 13: Vult & non vult piger. Vult quidem præmium, sed non vult

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0028
DFG

vult portare onera & æstus diei. Cupit utilitatem, refugit laborem. Vult hæreditatem, sed non vult onus hæreditatis, sicut Elimelech in libro Ruth se hæreditatem accipere velle annuit, onus autem quod per legem, Deut. 25. huic hæreditati adjunctum erat, simul cum ipsa repudiavit. Lutherus: Durch den Glauben empfangen wir Erbgut. Durch die Liebe vnd gute Wercke / die in Christi erkentnuß vnd waren Glauben geschehen / geben wir Zinßgut / sein danckbar. Item: Wie Glaubloſe leute keine gute Wercke thun / also haben Werckloſe leute nicht den waren lebendigen seligmachenden Glauben.

Impossibile est bonam arborem non ferre bonum fructum: Ignem incensum non producere fumum: Incolumem hominem non ducere anhelitum, & movere membra. Sic impoßibile est fidem delitescere.

August. Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum. Et postulat illa Deus, sed absit fiducia & jactantia de illis: quia nos servi sumus inutiles. Luc. 17. Omnia accepimus. Matt. 25. 1. Cor. 4. Debitores sumus. Rom. 6. Non ergo nobis sed Domino sit rectè factorum gloria. Cant 4. Venit dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.

1. Pet. 1. Conversatio vestra dum hic agitis esto in timore Domini, quia non auro redemti estis, &c. Tit. 2. Apparuit salutaris Dei gratia omnibus hominibus, & docet nos ut abnegemus impiam conversationem, & mundi voluptates: dedit enim seipsum pro nobis ut liberaret nos ab omni impuritate, & mundaret populum studiosum in bona opera. Tit. 3. Salvos nos fecit, &c. Hoc doceto ut credentes inveniantur in operibus bonis. 1. Thess. 4. Voluntas Dei, sanctificatio nostra. Mortua Fides vitam quæ ipsa caret homini præstare non potest. Decipiũt ergo semetipsos qui dicunt se credere, dilectionis autem operibus, quæ fidem sequi deberent, destituuntur. Quia nuda & informis fides ad salutem non sufficit sine Charitate; siquidem & Gentes dixerunt:

Non bene cœlestes impia dextra colit.

Marc. 11. v. 13. Matt. 21. v. 19. maledicit Christus ficui, quod folia tantummodo non fructum in ea invenisset. Cum autem non esset tempus ficuum, quod & Christo erat notißimum; certè de fructu bonorum operum spectatores admonere volait.

Joh. 10. v. 4. vult Christus ut boni pastores oves introducant & educant, primò quidem ut simpliciter tradendo doctrinam de misericordia Dei, & meritis Iesu Christi. Joh. 3. auditores, authores ad unicum Mediatorem, & thronum gratiæ traducant, ipsiq; Dei faciem videant, Num. 6. & salventur per fidem. Simul imbutos doctrina de Christiana dilectione & honesta conversatione educant; ut ferant fructum fidei inter homines. Matt. 5. Sic Baptista introduxit monstrando Agnum Dei, & ipsius abundantiam, ablegando q; discipulos ad Christum: Eduxit autem monendo, ut facerent

rent fructus dignos pœnitentiæ. Sic Apostoli suos auditores & epistolarum lectores docuerunt fidem & dilectionem. 1. Pet. 1. & 2. 1. Ioh. 2. 3. & 4. Sic servus, Mat. 18. per fidem ingressus misericordiam impetravit. Exiens autem ut conservo misericordiam declararet & dilectionem probaret turpiter lapsus est. Commendata ergo nobis esse debet misericordia passiva & activa, ut altera manu, scilicet Fidei, capiamus; alterâ autem, scilicet Dilectionis, erogemus. Nec tantùm Ablativum, verùm etiam Dativum consideremus. Quoniam Deus vitam æternam dat nobis gratis, sed gratis tamen ut eluceſcat fides. Jer. 7. v. 10. Jehovah scrutans cor & probans renes, ut det unicuiq; juxta viam suam, & juxta fructum operum suorum. Augustin. in Explicat. Psal. 35. Nemo patitur ut operarius dicat: Da mihi prius mercedem, deinde labori insudabo. Quid ergo à Deo flagitas mercedem antequam operèris?

DE TRIUMPHO ET FINE FIDEI.

Omnis laborans respicit ad præmium. Opifices, Milites, Agricolæ futuræ mercedis spe, quæ laborum facit oblivisci, ad omnem operis laborem accinguntur. Sic magnitudine præmij allectus David pugnat contra Goliath. Et Agesilaus monstratis spolijs dixit militibus suis: Talia sunt propter quæ bellum capessimus. Abrahamoq; dixit Dominus: Ego ero scutum tuum, & merces tua copiosa. Gen. 15. v. 1. Esa. 65. v. 23. promisit Deus, quod Electi non laborabunt in vanum, velut impij delirant, Mal. 3. dicentes: Vanum est servire Domino, &c. D. Gregorius, explanans locum Job 7. Sicut præstolatur Mercenarius finem operis sui, sic scribit: Mercenarius lacessentem animum ad considerandum laboris præmium revocat, & sic vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat, & quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione. Hinc est quod Paulus semper seipso robustior contra adversa erigitur, quia nimirum finem sui operis, sicut Mercenarius præstolatur; grave namque quod sustinet æstimat, sed leve hoc per præmij considerationem pensat. 2. Cor. 11. Ipse quidem quàm sit grave quod patitur indicat, qui in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus se frequenter fuisse testatur. Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat ipse denunciat Rom. 8. 1. Cor. 4. dicens: Non condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Hinc & David sperat, Psal. 27. pro vitæ hujus calamitatibus se visurum bona Domini in terra viventium. Imò & insignis aliquando Philosophus interrogatus, quid sibi in rebus humanis dulce videretur, respondit: Acquirere. Hinc agricolæ frugum expectatione labores immensos facilè sustinent. Milites spe victoriæ incensi vulnera non sentiunt. Venatores spe lucri nullos imbres & frigora recusant. Quod si spes rerum caducarum incerta tantam vim habet, ut laborem levem & tolerabilem efficiat: Quid

æ: Quid non ille moliatur, qui infinita bona in futura vita pÿs promissa firmissimâ fide tenet? De quibus 1. Pet. 1. dicitur, quod sint hæreditas quæ non perire potest, nec contaminari, nec marcescere; nempe in cœlis reservata nobis, qui virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quæ parata est & patefiet tempore ultimo. Qua in re exultabimus tristitiâ hic paululum per varias tentationes affecti, & lætabimur gaudio ineffabili & glorioso reportantes mercedem fidei nostræ salutem animarum, erimusq; Domino Zebaoth in peculium, Mal. 3. videbiturq; discrimen inter justum & injustum, inter servientem Deo & eum, qui non servit ei, & nobis. Mal. 4. Orietur Sol justitiæ, quia copiosam mercedem, Psal. 61. dabit Dominus timentibus nomen ejus, etiam pro hausto frigidæ. Matt. 10. Si unquam operarij aut recusarunt laborem, aut exiguam laboris mercedem prætenderunt, nos sanè de exigua mercede queri non possumus, cum sciamus eam merita omnia ac vota superare, quam tamen Deus non ulla sua necessitate aut utilitate, sed sola bonitate inductus distribuit. Quem non trahant opulentissima præmia à Deo promissa? quis hic iners & plumbeus esse velit? Est quidem virtutis iter arduum, & durum est cupiditates noxias vincere, affectus cohibere, linguæ silentium imponere, voluptatibus frænum injicere, carnis petulantiam comprimere, aliena non appetere, propria largiri, patienter ferre crucem, inimicis benefacere & abdicata propria voluntate vitam omnem ex divinæ voluntatis placito moderari. Hoc onus multos ab observatione legum divinarum avocat. Sed ut labores multò etiam graviores lubenti animo perferamus, præmia promissa & dulce illud Acquirere nos trahat, sciētes quoniā labor noster nō erit inanis in Domino. 1. Cor. 15. Nec dixit Dominus frustra: Me quærite. Esa. 45. Sed servans pactum cum omnibus qui diligunt eum, Dan. 9. mensuram bonam & confertam, Luc. 6. infundet in sinum nostrum. Atq; hæc merces neq; tempore finietur, neq; fastidio minuetur, nec multorum participatione decrescet, nec vetustate absumetur, nec alicujus invidia intercipietur. Eamq; neo morbus infestabit, nec mors adimet, nec latro surripiet, nec casus eripiet, neq; ulla unquam vis, vel hominum, vel Dæmonum auferre poterit.

Si ergo singulari consilio vir Dei Moses, ut in populo Israelitico excitaretur fervor occupandi terram Palæstinam, exploratores ablegavit Num. 13. qui non tantùm verbis quod flueret lacte & melle; v. 28. verùm etiam de valle Eschol adduentes palmitem & botrum uvarum à duobus vecte portatum, demonstrarunt terræ illius fertilitatem: quis non sana mente præditus, hoc laudabit consilium, ut in singulis concionibus exaggerata vitæ æternæ gloria auditores ad eam sedulò quærendam invitentur.

Ordo

ORDO BIBLIORUM ET SERIES LIBRORUM

Veteris ac Novi Testamenti, sicut positi sunt à S. Pagnino & Fr. Vatablo, quorum versionem in hoc libro allegavi, ut facilius Lector observet, quinam scriptores alter alteri manum porrigant.

LIBRI VETERIS TESTAMENTI.

QUinq; libris Moses Genesin canit, Exodon atq;
Levitæ officium, Numeros, Legemque secundam.
Josua subsequitur Domini typus, egregijsq;
Judicibus clarus liber, almaeq; Ruth Moabites.
Inde duo Samuelis, adhæc duo splendida Regum
Facta notant, Chronici repetunt eademq; libelli.
Ædificant Esdras templum, pius & Nehemias.
Tertius additur his & Quartus apocryphus Esdræ.
Tobias patiens vicit mala quæque ferendo.
Judith ab hoste fero, mortis de faucibus Esther
Eripuêre suos. Florens patientia Hiobis
Erigit æternæ afflictum solamine vitæ.
Davidis celebrat summum lyra sacra parentem.
Pacificus mores Salomon docet, acriter idem
Prædicat, & Christo canit inclyta cantica Sponso.
Summa Deum Cognosce docet Sapientia, vitæ
Syracides normam sanctè præscribit agendæ.
Veriloqui post hos porrò salvete Prophetæ,
Dulcis Esaia, Jeremia sancte dolensq;.
Tuque Baruch, atq; Ezechiel sacra mystica tractans,
Temporis & Daniel tu constantissime vates.
Turpe Ecclesiæ adulterium reprehendit Oseas.
Exitium Solymorum Joel, Verbiq; paratam
Contemti pœnam saturis prænunciat Amos.
Abdias minitatur Edom, Ninive audit Ionam.
Michæas canit atque Nahum mala fata prophanis.
Inde Habacuc queritur, Sophonias prædicat iram,
Vindictamque Dei, Aggæus sacram extruit ædem.
Zacharias Dominum, Servum monstrat Malachias.

Macca-

Maccabæorum geminus dat plurima codex
Fata tibi populi ſpectanda vicesq́; Sacrati.

Libri Novi Testamenti.

MAtthæum Marcus ſequitur Lucamq́ue Johannes,
Vita quibus Sancti deſcribitur integra Chriſti.
Inde pio Lucas ſtilo Apoſtolica acta notavit.
Scripturæ clavem Paulus pia dogmata Romam
Mittit, & ad celebris cives duo ſcripta Corinthi.
Inſtruit inde leves Galathas, Epheſumq́; potentem
Viſit epiſtolio, conſtantes atq; Philippos;
Una Coloſſenſes confirmat epiſtola, binæ
Theſſalonicenſes, totidem monet ipſe fidelem
Timotheum officij, dilectum informat & ornat.
Una Titum, una Philemonem compellat amicum.
Porrò obdurati pulchrè informantur Ebræi,
His quoq; ſacra pius mittit ſua ſcripta Jacobus
Inde duo Petrus brevia & nervoſa per orbem
Mittit epiſtolia afflictis atq; undiq; ſparſis.
Hinc tria dilecto veniunt aſcripta Johanni,
Unaq́ue quam luxum contra direxit Judas.
Multa ſed obſcuris myſteria deniq; ſignis
Biblia concludens ſcripſit divina Johannes.

ORDO EVANGELIORUM,

Quæ propter diſpoſitionem textus rectè ſectam triplicem tribus diſtinctis Paragraphis excudi volui, ne erret nec offendatur Lector, quod Feſta diebus Dominicis mixta ſint, comprehenſus brevi carmine Heroico.

CHriſtus Eques, Judex, Joannes vinctus, Elias.
Immanuel Natus Gallina eſt, Euge ſequamur.

Signum eſt, atque capit Signum, fugit Exul & ipſi
Dona Magi, Sponſis fert ipſe, Lepramq́;, Metumque
Tollit, adeſt Simeon, Lolium proſeminat hoſtis,
Vinitor eſt Deus, Agricola eſt, Reſeratur olympus,
Succumbit Satanas, vincit Cananæa. Sed hoſtes
Diſpergunt. Eſcam Chriſtus convicia promit.
Turba ferox. Rami cæduntur, Nuncia cœlo
Fert Gabriel. Cœnat Cruce ſuſpendendus Ieſus.
Surgit, adeſt Cleophæ, comedit, dat vulnera Thomæ
Spectanda, & Paſtor Modicum abſens Flamine mentes
Imbutas orare docet, cœli atria Scandit.
Fata futura canit, Verbumq́;, & Patris amorem
Atque Ducem ſancti nobis commendat ovilis.
Obſerva Chriſtum, Moſen, Cœnamque, Ovis errans
Ne pereas umbra in mortis, damnare caveto.
Magnifica Piſces dantem, nec dicito Racha.
Eſca datur, fugitote Lupos, quærantur Amici.
Flet Chriſtus, Manceps orat, Gemit atque Medetur.
Atque Lepram, curam, Mortem depellit Ieſus.
Scandalum, Hydor Gnatus David, Peccataq́; tollit.
Invitat Sanctos, Febrim fugat, eſt Ratioq́;
Danda Deo, Cenſus ſceptro, Fons Sanguinis aret.
Veſpera adeſt, Fer quisq; crucem, ſic vicit Elias.

Sed hæc & alia ejuſmodi exercitia ſacra quamplurima Chriſtianus Lector, modò ipſum humanum & æquum cognovero, quamprimum à me expectabit, interim valeat, quod optat

JOHANNES MONRADUS.

IN THESAURUM CONCIONATORUM
REVERENDI AC CLARISSIMI VIRI,

DN. JOANNIS MONRADI,
Regij Alsiæ Præpositi,
Carmen.

MONRADE, Omnipotens cujus præcordia Titan
E meliore luto effinxit, cujusq; beatas
Ingenij excellentis opes Trieteridas ante
Ter tres sum his Roseis quondam miratus in hortis
Quos liquidis Varnus circum vagus alluit undis:
Et properè ereptum Musis, nostroq; Roseto
Indolui fidisq; sodalibus, atq; mihi ipsi:
Et cui ni quondam fortuna noverca negasset
In Clarijs Academi umbris, nitidoq; Lyceo
Doctorum in cœtu ex voto traducere vitam,
Nunc primos inter proceres Clarissime stares,
Eusebiæ Sophiæq; sacræ, quâ scanditur æther,
Non cuiquam ingenio, virtute, fideq; secundus.
Non tamen interea dona excelsæ ignea mentis,
Quæ tibi larga Dei bonitas concesserat olim,
Nascenti à superis, & cœlorum arce profectæ;
Quis quilijs mundi, terrisve abscondis avaris:
Sed vetera & nova, quæ condidisti pectoris alti
In locuplete penu studio infractoq; labore
Multorum annorum, cunctis potiora metallis
Thesaurisq; Arabum, diàs in luminis auras
Jam toties promis, communisq; efficis usus
Thesauros Evangelij, & cœlestia Gaza:
Unde haurire queant alij sacra templa docentes
Æternæ vitæ latices de fonte fluentes.

Pro quibus olim omnis tibi posterа serior ætas
Debebit grates, & mundi hæc ultima sæcla.
Tuq; ô nobilium majorum haud degener hæres
Quos domitrix mundi prudentia, & inclyta virtus
Magnarum admovit magna ad subsellia rerum,
Flos HILDESHÆMI *celsæ arboris, atq; medulla*
Virtutis fideiq; & nobilitatis avitæ.
O multùm venerande mihi, & mihi semper amate:
Hunc hilari fronte atq; animo bonus excipe fœtum
Dignum susceptore bono, mitiq; patrono.
Inde perennabit mundi tibi ad ultima nomen
Et nullo libri cum patre taceberis ævo.

EILHARDUS LUBINUS SS. Theologiæ Doctor & Professor.

ALIUD.

SEu MONR'ADE Dei sacrosancta statuta revolvam,
Profiteor Sanctum numen adesse tibi:
Seu spectem docti veneranda volumina Phœbi,
Ore tibi, dico, culta Thalia sedet.
Est Evangelij puri tibi cura, fidesq;
Est tibi grex curæ, Vir Reverende, DEI:
Θεοφιλῆ præbes ætati, fontibus haustæ
Sacris materiæ divitis, omne genus:
Purus es in Verbo sacro, esq; in carmine purus,
Corpore vir purus, purus es ingenio.
Hinc purè, doctè breviterq; resolvis id omne,
Quod prolixè alij concumulare solent:
Est opus egregium, divinum, laudeq; dignum
Quod præstas, opus est utile Christigenis.
Tu duce perge DEO, tua non absconde talenta,
Sic terrâ ac cœlo te decorabit honor.

JOHANNES POSSELIUS Græcæ linguæ in Academia Rostochiensi P.P. Scholæ Senatoriæ Rector.

IN

INSIGNIA

Clarissimi viri D. JOHANNIS MONRADI, Regij in Alsia Præpositi, verbiq; divini in Ketting præconis dignissimi, paraphrasi Allegorica adumbrata,

per NICOLAUM PALUDANUM B.



VOTUM EIUSDEM,

Quo authori gratulatus est, cum opus illud aureum triplici Evangeliorum praxi concinnatum auspicaretur:

Tot videas celebres florens MONRADE Nepotes,
Vertumnum quoties depictum schema figurat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0037
DFG

ALIVD.

QUam Moſes methodum noſtras perduxit ad aures
Olim quam Vates arte tulere ſua,
Quam pſalmiſta dabat, Dominus quam pertulit orbi
MONRADUS ſcriptis monſtrat ubiq; ſuis.
Hac docet, hac firmat, diſponit diſtribuitque,
Floribus hac decorat ſcripta diſerta ſua.
Hac cœli ſedem nobis fax prævia monſtrat,
Perq; fidem tradit pharmaca ſalvifica.
Hanc nunc ex latebris denſis tenebrisq; recluſam,
Ingenio eduxit non ſine fruge ſuo.
In noſtro fulgent MONRADO ſemina veræ
Doctrinæ, ac puræ relligionis amor.
Laudibus hunc ergo celebrat pia turba virorum,
Illius ac ſcriptum dexteritate probat.
Hunc ergo librum conſtanti pectore volue,
Munera nam fidei præcipit atq; docet.
Continet hinc fidei fructum fideiq; triumphum,
Atq; Evangelij myſtica digna notat.
En: ſuperat fulvum liber hic virtute metallum,
Dum gratis profert aurea dona tibi.
Regi Perſarum ſi Ruſtica poma placebant,
Cur tibi non placeat Lector amande liber?
Plurima ſtultorum valeant convitia linguæ
Dente canis rabidi qui lacerare ſolent,
Qui damnant alios, proprio ſe crimine purgent,
Ac linguæ ponant lubrica frena ſuæ.
En, MONRADE tibi nunc florea ſerta dedere
MUSÆ: Muſarum te colit usq; chorus.
Balthica te celebrat, ſimul ac te Cimbrica tellus
Prædicat, ob venæ flumina larga ſacræ.
Ergo fac pergas facunda voce docendo
Dogmata ſancta Dei, lætaq; juſſa cane.
Vive diu, ſtudijsq; ſacris impendito curam,
Ingenij ac lumen ſpargere perge tui.
Hac ratione tuum cognoſcant ſecula nomen,
Ac tibi poſteritas præmia grata dabit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0038
DFG

Tu confecte liber nunc limina noſtra relinque
Atq; ſalutiferas quæſo doceto vias.
Narrato cunctis ſummi benefacta Tonantis
Ac fidei fructum ſedulitate dato
Gratus eris multis, ac dona laboris habebis
Illis dum Chriſti facta ſtupenda canis.
Perpetui fructu gaudebis nominis indè
Ornabitq; tuum ſplendida fama caput.

ADHUC LECTORI:

Hunc lector croceum placida lege mente libellum
MONRADI, mira dexteritate datum.
Eſt etenim Chriſti doctrinâ fertilis, ecce
Ut nitidis vernat Delphica terra roſis.

JOHANNES ENVALDI
Paſtor in Ulchebül.

ALIUD.

THeſauros Chriſtus prohibet conflare caducos,
In terris ſiquidem nil ſtabile eſſe poteſt.
Hos etenim tineæ & furum ſcelerata caterva
Infeſtant, varijs diripiuntq; modis.
Imò etiam impediunt animæ perſæpe ſalutem,
Si curant homines præter habere nihil.
Cœleſtes igitur Theſauros quærere Chriſtus
Et vitæ æternæ gaudia vera jubet.
Verùm ubi theſauros dabitur mihi quærere tales,
Ad vitæ quænam gaudia vera via eſt?
Inſpice theſaurum hunc, lege, perlege, dilige, volve,
Firmiter & memori ſingula mente tene.
Quæ pia MONRADI pandit ſolertia, quo non
Ingenio eſt alter nec pietate prior.
Panditur æternæ hîc vitæ theſaurus, & illum
Si modò quæſieris ſedulò, habebis ovans.

JOHANNES SCHLUTERUS
Eccleſiaſtes Sonderburgenſis.

Errata

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0039
DFG

Errata quædam Typographica inter relegendum deprehensa sic corrigantur.

Numerus prior paginam, posterior lineam indicat.

In epist. nuncup. pag. 10. lin. 32. lege Huic *&c. ibid. pag. 13. lin. 3. l.* subsidium. *pag. 7. lin. 31. jocis. 23. 15. pseudodogmata. 37. 7. exprobrat. 42. 22. instigent. 48. 3. patrimonium. 92. 24. veterem. 95. 12. gratis. 114. 21. habitabit. 120. 13. æterna. 122. 6. ædificium. 127. 4. Cui. 137. lin. ult. quæq. 140. 7. expugnetur. ibid. li. 23. everruntur. 145. 14. sis. 147. 1. quicquam. ibid. 5. sanctam. 153. 11. habeat. 158. 8. vana, adde, elati. 165. lin. ult. affligimur. 172. 10. destruant. 178. 25. imitemur. 180. lin. ult. illi. 181. 20. præ. 184. 9. filys. 196. 2. multum. ibid. 3. curriculum, adde, officij. ibid. 4. anno 84. adde, ætat. obierunt. ibid. 11. unquam. 200. 20.* Fructum F. Triplicem. *203. post lin. 23.* III. Finem F. Triplicem. *206. lin. ult. adde, II. 211. 10. maximo. 213. 8.* Fructum F. Triplicem. *215. 31. l. sanctum pro fructum. 219. 15.* Finem F. Triplicem. *222. 2. quod, adde, Verbum. 247. 5.* Non, *adde,* alit. *250. 19. invito. ibid. 22. Quæ te. 253. 13. sine. 254. 14. conculcandi. 260. 21. regionem. 267. 5. qui sic. 270. 1. ad pro &. 271. 15. tuas. 274. 20. elaborant. 275. 23. penus. ibid. 29. Jac. 1. 281. 3. sine. ibid. 24. divitias. 283. 24. examini. 290. 13. anni nostri. 308. lin. ult. nec Diocletiano. 309. lin. ult. fugere. 318. 24. conjunctim. 322. lin. penult. simus 323. 22. haberi. 326. 6. ingemuissent. 327. 14. adjutorium. ibid. 19. Tobiæ. 332. 14. Testamentator. 335. 30. divinam. 336. 16. genuinam. 341. 15. certo. 342. 18. faciem. 346. 15.* verò. *354. 6.* Λόγῳ. *357. 26. maximam. 363. 11. nemo possit. 366. 10.* Proœmij. *378. 17. propriæ. 379. 20. transgressionum. 389. 29. gratiæ. 414. 9. maximi. ibid. 27. inveniri. 425. 12. arripiunt. 426. 13. Quæ. ibid. 17. juventutis. 428. 25. Quid. 434. 9. educando. 438. 7. mœrens. 445. 10. Deus nos. 451. 9. fictor. 459. 3. tumultum. 463. 10. Ahitophel. ibid. 25. stridorem. 467. 19. itinerarij. 470. 9. pungat. 471. 12. fides nostra. ibid. 31. nos qui. 476. lin. ult. ipsum qui est. 480. 29. maxillam.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0040
DFG

Dominica I. Adventus.

DE INGRESSU CHRISTI IN URBEM HIEROSOLYMAM.

Evangelium Matth. 21. à v. 1 usq; ad v. 10. Marc. 11. Luc. 19. Joh. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

VEnit ad nos Rex noster Dominus Iesus pauper & mansuetus, auxilium nobis afferens pacemque & justitiam. Venimus nos ad illum per fidem in verbo Dei, ut decantemus laudes ejus, ingrediamurq; cum ipso, ubi revertetur in nubibus in æternam civitatem Dei, ceu ex auditu credimus. Ut autem ex hodierno Evangelio percipiamus fidei nostræ confirmationem, faciamusq; dignos fructus, & fidei consequamur triumphum, impetrabimus auxilium Spiritus Sancti rogantes Deum patrem in nomine JESU. Pater noster. &c.

Exordium Propheticum.

TRium hoc ingressu Christus adimplevit Prophetarum Vaticinia: Quia humilis & despectus se sponte obtulit. Esa. 53. v. 10.

62. v. 11. *Asina vectus est, comitante subjugalem pullo. Zach 9. v. 9. Cantu & quidem infantium exceptus est. Psal. 8. v. 3. 24. v. 7. 118. v. 25. Idq; prædixerunt,* { *David ante Annos 1000. Esaias ante Annos 800. Zachar. ante Annos 450.*

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

UT Rex Zionis impleat
prædicta dudum à Vatibus
Cum matre pullus ceu jubet
Asinâ ligatâ adducitur.
Apostoli morem gerunt
Miti Redemtori Deo
Justo, Benigno, pauperi,
Contrà nec est qui murmuret.
Vestes Comites cum frondibus,
Spargunt, Hosianna concinunt
Davidis omnes filio,
Salutis authori optimo.

TRIA HIC TEXTUS CONFERT SALUTIS NOSTRÆ ADMINICULA.

I.

Confirmationem Fidei Triplicem.

I. Quod Jesus Christus hic Asina vectus sit semen benedictum promissus Messias, Deus & homo, quem rorante cœlo nubes pluerunt justum apertaq; terra germinavit Salvatorem. Esa. 45. v. 8. Qui ad mortem promtus & hilaris ad crucem paratus & expeditus ex patris consilio properavit. Joh. 12. v. 14.

Cujus ad nos adventus triplex est: { *I. Humiliationis, Zach. 9. Phil. 2. præteritus.* { *1. ad Incarnationem. Luc. 2. 2. ad Officium. Mat. 3. Luc. 3. 3. ad Redemtionem & satisfactionem, Mat. 21.*

II. Spi-

II. Spiritualis, conversionis, illuminationis vel sanctificationis. Exod. 20. Matth. 18. Joh. 14. 1. Cor. 6. præsens.

III. Extremus, glorificationis & consummationis vel ad judicium. Esa. 3. Dan. 12. Johan. 5. 1. Thes. 4 futurus.

Præteritus Domini præsens est atq; futurus
Adventus, veniunt hinc bona vera pijs.

Vel sic:

E cælo venit, venit, est venturus JESUS
Salvans, sanctificans judiciumq; ferens.

De hoc Jesu testantur omnes Prophetæ. Act. 10. Et ipse omnia fecit juxta scripturam. 1. Cor. 15. Interrogetur Judæus quunam regum asina vectus Hierosolymam ingressus sit? neminem profectò nisi Christum dicere possunt. Chrysost. Homil. 67. in Matth. Ideoq; quod contemserunt Signaculum hoc Prophetarum, sic enim Christum Tertull. appellat, in æternum erunt ἀναπολόγητοι spretoq; Messia pro gaudio spirituali post annos 40. cum summo ejulatu Romanos excipere coacti sunt.

II. *Quod Christus omnia scrutetur, videat & cognoscat, etiam profunditates pectoris nostri: quia totus oculus est. Cyrill. Videtq; Nathanaëlem absens sub ficu, Joh. 1. Monetam in ore piscis, Matt. 17. Et bajulantem hydriam fictilem aqua refertam, Marc. 14. Sicut jumenta hoc loco. Quare nobis cautè ambulandum & à peccatis quæ Deum latere non possunt abstinendum est, Psal. 94. 139. 147. Syr. 25. Joh 2. Historiæ legantur. Gen. 4. Job. 7. 2 Reg. 5. Act. 4. Nec in afflictionibus desperandum. Psal. 27. Matt 10. Rom. 8.*

Sic mihi cuncta cadunt ut fert divina voluntas,
Quam penes arbitrium est & vis & sola potestas.

III. *Quod corda & consilia hominum scilicet in quæ pro omnipotentia sua imperium habet, pro voluntatis suæ arbitrio dirigat Christus, flectatq; quo lubet, Prov. 21. Nec sunt hominis gressus ejus. Job. 31. Psal. 37. Jerem. 10.*

Et omnia pijs in bonum cooperentur. Roman. 8. Hinc ergo

1. Reges, Reginæ & potentiores quicunq; excitantur, ut sint defensores Ecclesiæ. Esa. 49. v. 23. patronique orphanorum & pauperum.
2. Confunduntur decreta impiorum. Esa. 8. v. 10. Sic propositum Pharaonis, Exod. 14. v. 24. Sanherib, Esa. 37. v. 36. & Holofernis, Judith. 13. v. 10. dissipatum est. Mutavitq; Deus consilia Haman, Esth. 7. v. 10. Et Architophelis, 2. Sam. 17. v. 7. Et Alexander Magnus, viso Jaddo Sacerdote urbi sanctæ pepercit. Vide Joh. Molleri Allegoriæ sacræ Part. 1. p. m. 90. & 573. num. 1.
3. Cum placuerint Jehovæ viæ viri, Proverb. 16. v. 7. etiam inimicos ejus pacatos reddet ei. Non timebimus ergo quid faciat nobis homo. Psal. 56. v. 12. Hominis sunt præparationes cordis, sed à Jehova est responsio linguæ. Proverb. 16. v. 1.

II.

Fructum Fidei Triplicem.

I. Ut mandata Dei qui mirabilis est in operibus suis, absq; disputatione simpliciter & fideliter exsequamur, etiamsi pugnent cum voto & ratione nostra. Sic Abraham pater ille credentium, Rom. 4. non tergiversatus est mactare unicum & anxiè expectatum filium. Genes. 22. Jubetq; Maria Joh. 2. v. 5. mandatis Christi morem gerere, quod Saul. 1. Sam. 15. dum pepercit Amelech cum summo suo malo, neglexit: Adducamurq; ad Christum,

Asinæ cum pullo, id est

1. Gentes & Judæi.
2. Senes & Juvenes ut cum decimis, etiam primitiæ Deo offerantur. Deut. 18.
3. Homo interior peccato aggravatus. Psal. 38. & externus dissolutè agens. 1. Thes. 5.

Est

Est enim ob lapsum Homo quasi Brutum,

1. *Quia pecudum more cupiditatum suarum libidine trahitur, quasi ratione & judicio careret.*
2. *Quia, ceu prona terram spectantia animalia, in solis terrenis curas & cogitationes suas absumit.*
3. *Quia velut jumenta spe alterius vitæ carentia, nihil de sua mortalitate, nec de vitæ futuræ felicitate cogitat.*

Cumq; Psal. 49. v. 13. propter delicta comparati simus jumentis, non nobis sed Deo vivamus.

1. *Onerati non recalcitremus.*
2. *Verberati non murmuremus.*
3. *Quocunq; nos Dei gubernantis voluntas legibus suis impellit per adversa & prospera pergamus.*

Nec moveat nos Ecclesiæ sors aspera, & piorum raritas. Zach. 3. v. 12. Joh. 7. v. 48. Luc. 12. v. 32. qui ovibus, columbis & pullis gallinæ inermibus comparantur. Nec vilis mandatorum Dei aspectus, quod quæ coram mundo ridicula & absurda apparent, veluti hic Equitatus, in Oculis fidei & coram Deo excelsa sint. Sic edere de pomo vetito leve quidem videbatur, sed malum erat nisi per mortem Christi immedicabile. Gen. 3. Sic Gen. 19. v. 17. & 26. respicere carere periculo speravit uxor Lothi. Et Sacramenta cum sint unica salutis media, Joh. 3. leviuscula apparent rationi.

II. Ut vestes & frondes palmarum olearumq; Christo qui salutis nostræ causa se usq; adeo exinanivit, Matt. 11. Joh. 13. humiliter substernamus, sic opibus nostris Dominum honorantes, Prov. 3. Syr 35. Mal. 3. & vitam æternam hæreditatis loco possessuri. Mat. 19. v. 27. 29. Et quoniam Biblia sacra Dei sunt Paradysus, in quo arbor vitæ Christus est, viriq; sancti & justi palma sunt, eorum fidem, pietatem, patientiam & constantiam imitando, 1. Cor. 11. Phil. 3. Ebr. 6 ramos cædamus, ut luceat lux nostra coram hominibus, Mat. 5. Et quemadmodum.

Longanimis Moses, sancti mens casta Josephi,
Job patiens, Domini credula mater erat.

Et Daniel constans, humilis Baptista, Bonarge
Cor fidum, supplex latro, Maria dolens.
Cæde vigil ramos, exempla imitare &c.

III. Vt Senes Juvenesq; pulso tepore & torpore perseverantes gratissimum decantemus Hostanna. Apoc. 7. v. 10.

Nec tragicum subeat mox crucifige melos, *Quia*
—— finis non pugna coronat.
Palmam qua capitur gloria finis habet.

Attollamus in noctibus hisce longioribus, Psal. 134. v. 2. manus nostras ad sanctuarium & benedicamus Jehovæ, in prosperis quia consolatur, in adversis quia corripit. Antequam essemus quia fecit, cum essemus quia salutem dedit, cum peccassemus quia ignovit, cum conversi essemus quia adiuvit, cum perseverassemus quia coronavit, sic toto die prædicemus beneficentiam Dei. Augustin. in Psal. 70. Qui cum dedisset ut essemus, propter nos advenit, ut essemus bene. Nazianz. Nec moveat nos deficientium multitudo, sed operam demus, ut cum adipe etiam cauda integra Iehovæ offeratur &c. Levit. 3. v. 9.

III.

Finem & Triumphum Fidei triplicem.

I. Quod dominus Jesus Rex & opitulator noster justus & justificans, adventu suo nos manumissos de lacu æternæ mortis redemerit. Zach. 9. Vnde nos quibus aqua vitæ fundetur abundè deducti ad vivos fontes, Apoc. 7. v. 17. Cum hic gaudeant de carcere redempti, nec à morte exemti verè erimus in futuro seculo victoria & pace felicissimi: hic quoniam multi de manu hostium liberati in morbos incidunt mortiferos.

Liberavit autem Christus captivos,
1. *Non auro & argento sed pretioso suo sanguine. 1. Pet. 1.*
2. *Non per vim activè sed passivè: quia non hostium sed suum cruorem effudit.*
3. *Non dando captum pro capto, sed sese liberrimum pro nobis.* II. *Quod*

II. Quod cum ditissimus Rex regum, Apoc. 19. propter nos factus sit pauper Jesus Christus assumta servi forma, Phil. 2. v. 6 Sic ut non retinuerit quo caput reclinaret, Mat. 8. nos immarcessibilibus abundaturi simus divitijs. 2. Cor. 8. v. 9. Mat. 6. Cedant ergo Pythias Crœsusq; & Crassus & quicunq; in mundo hoc ditissimi, nobis vel pauperrimis, qui in Deo divites inter Electos in perenni gloria lætabimur, ubi nobis Nihil deerit. Psal. 23. In hac vita nemo tam fuit opulentus qui extra Christum gloriari posset nihil sibi deesse, cum ditissimis regibus haud rarò desit consilium, valetudo, gaudium conscientiæ, magis quam subditis, nec post obitum detur Epuloni, Lucæ 16. Vnica aquæ gutta.

III. Quod comitantes Christum, præeuntes cum subsequentibus, pueri cum adultis, ingrediamur in supernam sanctam civitatem, Apoc. 21. in cœlestem Hierosolymam, cujus lucerna Agnus est, quia apprehenso Evangelico regis hujus curru, Ezech. 1. manu fidei, mortuoq; pro nobis hoc summo sacerdote, Num. 35. Deut. 19. & immolato pro asinis insipientibus hoc agno immaculato, Exod. 34 v. 20. salvum in patriam habemus conductum, Luc. 23. nec præcidetur cervix nostra, sed populus Dei verè & merè justus erit. Esa. 60. August. super Joh. Homil. Ego sum pastor bonus. Ibi Hymnidici Angelorum chori, ibi societas civium supernorum, ibi dulcis solennitas à peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ibi festivitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. Idem de verbis Domini Serm. 32. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. Nam unusquisq; hic etjam in domo sua hospes est, Alioquin si non esset hospes, non inde transiret. Si autem transiturus est, velit nolit hospes est. Si dimittit illam domum filijs, hospes hospitibus dimittit. Franciscus Petrarcha de remedijs adversæ fortunæ. Mures thalamum infestant. Quid scis an ipsi in thalamo exorti, quem tu forsan peregrinus inhabitas, de te justius queri possint, qui natale illis advena solum eripis? Sed omissis iocis horum omnium ratio est una, idcirco quidem his infestis vitam agitis, ut discatis alteram optare, atq; illuc animum habeatis,

ubi

ubi nec mures nec fures, nec araneæ nec tineæ, nec damna nec tædia ulla sunt, nec à talpis solum effossum cumulatur. Gregor. in Homil. Temporalis vita æternæ vitæ comparata mors est dicenda potius quam vita: Ipse enim cotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ Civitatis, quanta sint gaudia angelorũ choris interesse, cum beatissimis Spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis affici metu, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Hoc loco notandum quod Anima præmissa non crucietur nec langueſcat desiderio corporis, sed illius reparationem in Christo cum gaudio expectet.

Dominica II. Adventus.

DE SIGNIS, QUÆ FINEM MUNDI ANTECEDENT.

Evangelium Lucæ 21. à v. 25. usq; ad v. 34.
Matth. 14. Marc. 13.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUM nulla doctrina magis auditorum animos concutiat, nulla efficaciorem afflictis suggerat consolationem, nulla securos magis ad pœnitentiam compellat, quam ea de extremo judicio, quam & hanc ob causam B. Vincentius in singulis concionibus suis delibavit, illaq; hodie tractetur in Ecclesia; Deum compellabimus, ut infuso nobis Spiritu sancto linguam nostram dirigat, aures aperiat, cor illuminet, ipsiusq; digito hanc doctrinam in viscera animæ nostræ sculpat, quò bene præparati adventum Domini gloriosum hilares expectemus, liberemurque ab æterna maledictione Benedictis

nedictis cæleſtis patris annumerandi. Orabimus autem in nomine Jeſu dicentes, Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

Joel. 2. v. 30. Dabo prodigia in cælo & terra, dicit Jehovah. Sanguinem & ignem & columnas fumi. Sol ipſe convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Jehovæ, Magnus & horribilis. Sed quicunq; invocabit nomen Jehovæ evadet, idem planè ſummus Propheta Chriſtus, Deut. 18. promiſſus in hoc Evangelio tractat.

SUMMA TEXTUS ET DISPOSITIO METRICA.

A Deſſe mundi veſperam,
Diem brevi noviſsimum,
Monſtrando Chriſtus præmonet,
Signa in Polo, Salo, Solo.
Deſcribit adventus modum,
In nube quando candida,
Venturus eſt cum gloria,
Ut excitatos judicet.
Fugiamus euge crapulam,
Nec mens avara nos trahat,
Sed quiſq; ſupplex ac vigil
Optet benignum Judicem.

TRIA EX TEXTU AD SALUTEM NECESSARIA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod contra ſpem, votum & ludibria impiorum, Jer 17. 2. Pet. 3. mundus hic non ſit futurus perpetuus, ſed cæli ut fumus deficient, terra velut veſtimentum veteraſcet, habitatores quoq; ejus ſimiliter interibunt. Eſa. 51. v. 6.

Nec est quod de interitu mundi quis dubitet, quia

1. Mundus ita conditus est ut non sit perpetuus, DEVS prædixit ipsum habiturum finem. Et numerantur anni ejus ab initio ad diluvium 1657. Inde ad Abrahamum 292. Ad Christum 2013. Ad nos 1611.
2. Tolletur abusus creaturarum, quæ utplurimum ad prophanos usus distrahuntur, & quod vanitati subjectæ sint congemiscunt, Rom. 8. v. 20. Sperantq; se vindicandas ex servitute corruptionis, ubi & mortis insolentia, & Satanæ Tyrannis finietur. 1. Cor. 15. Matth. 8.
3. Christus hoc dixit αὐτὸς ἔφα, cujus verbum summa ratio est. Justin.
Christus hoc juramento affirmavit.
Christus hoc simili comprobavit, quod ubi arbores gemmas protrudunt verè vicina sit æstas.

II. Quod Christus verè venturus sit, { 1. Brevi. ♃ 2. Subitò. ♇ 3. Cum gloria magnâ. ♈

♃ Primò quidem quod in propinquo sit Adventus consummationis, & cum primis expectandus sit Christus venturus visibilis, ex Tribus patet:

1. Ex Signis & prodigijs præcessuris,
1. In Cœlo, in Sole Luna & Stellis, stipulis ardentibus, & sanguine.
2. In Cosmo & Microcosmo mundo & homine anxiè presso.
3. In commoti Maris fluctibus.

2. Ex Qualitate temporis proximè antecedentis, quia — In statu Ecclesiastico,
1. Revelatum est Evangelium per totum Orbem. Matth. 24. 2. Cor. 4. Psal. 19.
2. Repurgata est doctrina à fermento Antichristi.
3. Maxima passim regnat impietas securitas & ingratitudo. Luc. 17.

* Gog & Magog in novissimo annorum ascendet in montes Israel, Ezech. 38. v. 8. Et vastabit Ecclesiam, quod si simpliciter intelligendum

dum est, Turca dudum occupavit magnam mundi partem expugnata doctrina de Christo, diuq; tentavit per Poloniam in Germaniam. Nec deest Eventus si Spiritualiter intelligatur, quia doctrina Mahometica in contemtum filij Dei passim spargitur in Ecclesia, Vtinam malum illud non veniat supra nos de lateribus aquilonis. Jer. 6. v. 1. Ezech. 38. v. 15. Siquidem & Lactantius prædixit quod ex Septentrione pernicies. Excipiendus autem & superandus esset gladio verbi divini, Eph. 6. Verùm proh dolor in cœlo Ecclesiæ ubi Christus Sol est Justitiæ, Mal. 4. Joh. 1. Doctrina de Christo passim obscuratur, & Ecclesia quæ Lunæ comparatur, lucis beatæ patitur deliquium, dum summi Doctores qui columnæ Ecclesiæ esse debebant, erroribus involuti passim deficiunt, & multi insignes Theologi lucidæ in hoc cœlo stellæ, Dan. 12. 1. Cor. 15. & lumina clarissima hisce annis immatura morte obierunt, quod ijs verè mundus fuerit indignus. Ebr. 11. v. 38.

* In statu Politico,
1. Ruina passim videtur Imperiorum. Dan. 2. & 7.
2. Totus mundus ardet bellis. Jerem. 5. v. 17. Matth. 24. v. 6. 7.
3. Jugo ferreo in hac ferrea monarchia gravantur subditi. Deut. 28. Dan. 2. NB.

In statu Oeconomico,
1. Magna est annonæ caritas & angustia. Matth. 24. συνοχὴ & gemitus. Psal. 12.
2. Exulat Justitia, regnant fraudes & rapinæ.
3. Exaruit fons dilectionis, viget asotgia & odium inter mortales.

3. Ex sanctorum pijs Opinionibus atq; conjecturis, ex vaticinio domus Eliæ de 6. diebus creationis & sex millibus annorum durationis hujus mundi. Item de annis Jubileis & numero annorum à rebus creatis usq; ad diluvium.

Secundò quod subitò ingruet adventus Christi plus quàm fraternè præmonuit Ille, qui ipsa est veritas, Johan. 14. idemq; sancti

testantur Apostoli, & nobis ob oculos ponunt, quod futurus sit filius hominis in Adventu suo,

1. Sicut fulgur coruscans ab oriente versus occidentem. Luc. 17. v. 24.
2. Sicut laqueus quo nil tale metuentes obruuntur aviculæ in area. Luc. 21. v. 35. Eccl. 9.
3. Sicut fur noctu. 2. Pet. 3. v. 10. Apoc. 16. v. 15. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua.
4. Sicut Dominus veniens horâ, quam non expectasset servus. Luc. 12. v. 46.
5. Sicut partus mulieri uterum ferenti dolorem fert repentinum. 1 Thes. 5. v. 3.
6. Cum dicent pax & tuta omnia, ibid. veniet in momento temporis, 2. Pet. 3. quo non sperabatur. Matt. 25. Nec quis in tecto, agro vel mola deprehensus in domum revertetur. Luc. 17. v. 31.

V) Tertiò quod venturus sit Dominus cum majestate & gloria summa, nequaquam pauper & humilis, ex ore ipsius Christi constat, Matth. 19. 25. Luc. 9. 21. declaraturq; simili de Regibus qui pro demonstranda majestate sua vehuntur cincti satellitibus, utuntur tubis & tympanis, globisq; tormentarijs & igne fulminant.

1. Currus Christi erit candida nubes, Daniel. 7. Luc. 21. Act. 1. 1. Thes. 4. 5. Apoc. 1. 14. cincta gloriosa angelorum multitudine. Matth. 25. Judas in Epistola.
2. Veniet cum igne, tonitru, fulgure & terræ motu, Psal. 97. Malach. 4. 2. Petr. 3. ut liquefiant Elementa & purgetur mundus.
3. Cum tuba & voce Archangeli, 1. Corinth. 15. 1. Thess. 4. ad quam mortui sese erigent, reddetq; mare illos quos dudum devoravit. Apoc. 20. v. 13.

III. Quod in illo die judicaturus sit Christus vivos & mortuos, illudq; triplici constat testimonio:

1. Ex

1. Est apud Deum justitia exigens ut pijs & justis bene, impijs autem & incredulis malè sit, cumq; hujus in hoc seculo contrarium deprehendatur, Job. 21. Psal. 73. Jer. 12. verè instat dies justi Judicij & retributionis, Rom. 2. 1. Cor. 15. illamq; servat Deus ultimo examini ut retribuatur impio. Psal. 91. August. Epist. 64. ad Macedon.

2. In sancta scriptura Bibliorum utriusque Testamenti, ubi Tres nobis Testes offeruntur,
- I. Filius Dei in cujus ore non est inventa fraus. Johan. 5. Matth. 12. 16. 24. 25. Luc. 12. 21.
- II. Angeli,
  - Boni. Actor. 1. v. 11.
  - Mali. Matth. 8 v. 29.
- III. Homines sancti,
  1. Patriarchæ Adam, Gen. 4. Enoch, Jud. in Epist.
  2. Prophetæ, Psal. 120. Esa. 26. 51. 66. Dan. 2. 7. 12. Mal. 4.
  3. Apostoli, Act. 3. 10. 17. Rom. 14. 1. Cor. 4. 15. 2. Cor. 4. Gal. 6. Eph. 1. Phi. 3. Col. 3. 1. Thes. 4. 2. Th. 1. 2. Tim. 4. Tit. 2. 2. Pet 3.

3. Apud nos in mundo & in sinu nostro Conscientia mille testis, quæ operatur in reprobis vel à nullo accusatis confusionem, dum multos ne quidem fortuna supplicio neminem autem metu liberavit, Senec. In justis verò excitat animi lætitiam, imò in truculentis martyrijs constantiam & magnanimitatem. 2. Paral. 24. 2. Mac. 7. Matt. 26.

Cum de Adventu Christi glorioso & stricto ejus judicio ipsa concionetur rerum natura, & pro viribus id exaggerent verbi præcones, quæritur quî fiat quod tam pauci his moveantur, ut ipsos scelerum suorum & vitæ malè actæ pæniteat. Cum tamen minima hujus vitæ incommoda, mortem equi vel tauri, conflagrationem domus & alia ejusmodi summo studio avertant? Vnde quidam vita functus clamasse dicitur: Nemo credit, nemo credit quàm districtè judicet Deus, & quàm severè puniat.

Sunt 4. tres causæ impedientes conversionem & attentionem,

I. In Carne, quod homines de futuris dubitent præsentibus affixi, sic dolo serpentis serpentes facti serpentum more toto corpore & anima terræ adhærent & præsentibus inhiantes cælestia negligunt, statuentes cum Socrate: *Quæ supra nos, nihil ad nos.*

II. In Satana generis humani hoste crudelissimo, qui, *Luc. 8. v. 12.* tollit sermonem de cordibus, ne credant & salventur, & sublato divini timoris freno, homines in peccata præcipites agit, quia ipsi notum est, quod si vel minimam partem strenui Judicij, quod ille expertus est, intelligerent homines, certè concuterentur & abstinerent, quia qui pavet cavet, sed qui negligit incidit. *Bernh.*

III. In Anima, quod nimis frigidè hæc omnia ad mentem revocentur: sic enim & qui ignem celeriter attingit non aduritur, & nisi fidei considerationis mora addatur Corda non ardescunt. *Luc. 24.*

Libellus trium foliorum proijs, qui legere nõ possunt, ut in eo oculos animæ nocte dieque fixos teneant.

I. Nigrum folium moneat de teterrimis delictis, *Esa. 1. v. 18.* de exterioribus tenebris, *Matth. 22. v. 13.* de pice sulphurea & atrocissimis damnatorum pœnis.

II. Rubrum de passione dominica, de vibicibus vulneribusq; Jesu Christi & cruore sanctissimo, quem pro nobis effudit copiosum. *Zach. 9. 1. Pet. 1. v. 19.*

III. Candidum de fidei justitia super nivem & lanam albescente, *Esa. 1. v. 18.* de stolis angelicis, *Marc. 16. v. 5.* & de beatorum gloria, *Apoc. 7. v. 9.* byssoq; puro & splendido. *Apoc. 19. v. 8.*

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt sobriè, honestè & sorte nostra contentè vivamus.

Ense cadunt multi, perimit sed crapula plures,
Et gula plùs noxæ quàm celer ensis habet.

Edimus

Edimus ut vivamus, & natura paucis contenta est, ideoq; Plato Siculos graviter reprehendit quod bis cotidie sumerent cibum.

Fugiamq; ergo ebrietatem oleo invisam, Es. 5. & in judicio extremo examinandam.

1 Ne aggravemus corda nostra enormibus delictis, ira divina, morbisq; & miseriis.

2. Ne dedecoremus templum Spiritus sancti & negligatur ardua, quæ unicum nostrum est refugium, Oratio.

3. Ne obruamur morte subita, sicut Ella Rex, 1. Reg. 16. Balthasar, Dan. 5. & Philistæi, Judic 16. & Asoti salutis expertes, Clem. Alexand. amittamus regnum Dei. 1. Cor. 6. v. 10. Eph. 5. v. 18. 1. Pet. 5. Gal. 5. v. 21.

Fugiamus avaritiam radicem omnis mali, 1. Tim. 6.

1. Ne incidamus in Idololatriam, Col. 3. v. 5. & relicto Deo servi simus Mammonæ, Matth. 6. atq; ventris. Phil. 3. Mundi amor & Dei pariter in uno corde habitare non possunt. Cypr.

2. Ne ruamus in laqueos Satanæ, 1. Tim. 6. quod avaritia reliquorum vitiorum quasi mater quamplurima secum trahat.

3. Ne propter hæc caduca mundo relinquenda excluſi cœlestibus privemur divitijs. 1. Cor. 6. v. 10.

II. Ut vigilemus cautè discutientes quid credendum, quid agendum sit & quâ ex parte nos Satan velit adoriri. Oremusq; indesinenter, ut impendentia mala & in hoc & futuro seculo à nobis avertantur, videamusq; Christi apparentis faciem cum gaudio.

Vigilemus ergò

1. Velut honesta matrona optans redire maritum.

2. Velut servus bonus exspectans adventum Domini. Luc. 12. v. 37.

3. Ceu Dominus metuens adventū furis. Luc. v. 12. 39.

4. Ceu virgines cum Sponso ituræ ad nuptias. Matt. 25.

5. Sicut Miles in statione adverso hosti oppositus.

6. Velut facinorosi ex carcere ad judicium pertrahendi,

Et

Et surgamus diluculo atq; in matutinis, Psal. 63. deprecemur Omnipotentem, quia
Sanctificat, sanat, ditat quoq; surgere manè.

Euge si totos dies ventri, unicam tantum horam vel de media nocte surgentes huic meditationi venturi Judicij tribuamus, & flexis genibus, quod damnati si in seculum hoc reverti liceret copiosè præstarent, spreto frigore auxilium divinum imploremus. Quod consilium athei forsan risu excipiunt, ipsi æterno frigore & ejulatu excipiendi.

Excusso somno scelerum & veterni torpore oremus indesinenter, Luc. 11. 18.

Trahe me post te. Cant. 1.
O Domine Jesu veni citò. Apoc. ult.
O Domine fac me participem resurrectionis & gloriæ justorum ac beatorum cohæredum tuorum. Polyc.
O bone Jesu miserere mei dum tempus est miserendi, ne perdas me in tempore tremendi Judicij tui. O Domine in die illa libera me à verbo aspero. Bernard.

III. Ut attollamus capita nostra, quia Deus os homini sublime dedit, cœlumq; videre jussit, & erectos ad lumina tollere vultus. Simus prudentes ut serpentes, qui licet humi rependo gradiantur, caput tamen semper ad circumspectandum erigunt, Matth. 10. v. 16. Et paratum sit cor nostrum, Psal. 119. Nec differamus in crastinum, sed considerato fine, Syr. 7. hodie agamus pœnitentiam, Psal. 94. vit. Patr. timentes illum qui vocabit nos in Judicium, Eccles. 12. ubi omnia occulta revelabuntur, Matt. 10. v. 26. Et sic redemptionem in Christo expectemus. Joh. 14.

Ne cubitu surgas claudas neq; lumina somno,
Quin repetas mortem mente tubamq; Dei.

Hic iterum Satanas omni arte & totis viribus impediet, ne fides per ejusmodi fructum eluceſcat, sed oblatret homo.

1. Grave erit nimis & acerbum convivia atq; pocula devitare! sed anne multo gravior & acerbior erit gehenna? ut propter viles voluptates

luptates privetur homo æternâ gloriâ, quiq; se ad diem extremum parare noluit, cogatur audire sententiam: Discedite maledicti. Matth. 25. O discessio, O maledictio, O ignis, O æternitas formidanda, ubi tormenta & incendia post millia & centena millia annorum iterum atq; iterum de novo reparabuntur, & flammarum globi absq; fine volutabuntur.

2. Si lucro victum quærere non licet mendicus moriar? sed nonne satius est mendicum cum Lazaro ab angelis portari in cœlum, quàm malè partas opes hic relinquere, & animam perdere, Matt. 16. flammisq; cum Epulone ultricibus perpetuò cruciari?

3. In mundo sum & cum hominibus conversor, inter quos nemo perfectus! sed anne cupis in cœlo esse ubi diutius manendum est? & coràm Deum intueri?

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod dies hæc Magna, Joel. 2. dies justi Judicij, Rom. 2. Act. 17. futura sit nobis, qui credimus & piè agimus, dies

1. Refrigerationis & refocillationis, Actor. 3. v. 19. seu recreationis, quo Medicus cœlestis nos reficiet, Matt. 11. Apoc. 7. sicut languentes pharmacis, & viatores solis fervore & itineris molestiâ confecti, ad irriguum fontem vel sub umbra recreantur.

2. Restitutionis: quia restituetur in nobis Dei imago in justitia, felix immortalitas, & nunquam divellenda cum sanctis Dei cohabitatio.

3. Revelationis: Tit. 2. quia Christi gloria manifestabitur, & nos in Christo illustres erimus, dum venient ad lucem bona opera nostra. Joh. 3. Et Angeli boni nobis operam navantes qui hic se mutuò agnoscunt sicut & animæ præmissæ, tunc à nobis perfectè agnoscentur.

II. Quod videbimus filium hominis in nubibus cœli majestate divina refulgentem, in medio ignis, qui tamen nobis, sicut nec flammæ

Lotho, haud oberit. Non veniet Moses cum radiante vultu perterrefaciens, maledicens, & legem urgens; sed Christus qui eam pro nobis implevit. Jò quanto cum gaudio his oculis coram intuebimur Christum, per quem nati & renati sumus, Filium Davidis, Matth. 21. datorem vitæ æternæ. Joh. 3. 6. Qui Frater noster & Massa nostra carnem suam non oderit, Eph. 5. qui ut parceretur nobis in die Judicij, coram Pilato judicandus stetit plenus vibicibus & sanguine conspersus, & ea quæ tunc acquisivit nobis erogabit. Videbimus ergo quod Jesus noster, in quem credidimus, non sit redactus in nihilum ceu Ethnici & athei nugantur, ideoq; nos odio & derisioni habent, adhæc quod non alligatus nec inclusus sit in cœlo, ideoq; à verbo & Sacramentis exclusus; sed quod tradita sit ipsi omnis potestas, Matt. 11. 28. & Judicium Joh. 5. Act. 17. quò ipsi flectetur omne genu. Rom. 14. Tunc gement præ anxietate hostes crucis Christi, Sap. 5. &, ut Hieronymi verbis utar, potentissimi Reges nudo latere palpitabunt. Tunc rusticanus & pauper exultabit, dicetq;: Ecce Judex qui involutus pannis in præsepio vagijt, qui in cruce pependit. Si quis Rex vel Princeps proditionis reus ex decreto Imperatoris capite plectendus esset, undiq; homines cum admiratione ad tale spectaculum confluerent. Quale ergo illud erit in quo tot Monarchæ, Cæsares, Reges & Principes, trepidi atq; nudi, sine ullo satellitio aut fastu ante supremum Judicem sistentur, non capitali sententia, sed æterna morte damnandi. Jò Quanta erit Beatorum gloria, qui in separatione illa, Matth. 3. 13. 25. positi ad dexteram Judicis ministerio angelorum jam visibili, qui invisibili vigilantia nostram in hac vita salutem promoverunt, cum summo gaudio videbunt blandissimum Judicis vultum & lætissimam audient sententiam: venite Benedicti patris mei. His quid blandius? quid dulcius? O felices aures quæ jucundissima hæc verba percipient, felices oculi qui placidissimum Judicis vultum aspicient! Felices animæ quibus beatissima hæc sors in tanta impiorum, Apoc. 6. totiusq; mundi ruina parata est. O quàm attoniti mitissimum Judicem aspicient electi, & mirabuntur quod per meritum & misericordiam ejus

tecta sint delicta, Psal. 32. propter quæ se confundendos verebantur, & quod futuri sint cœli Cives, dum credentibus Christus mitissimus agnus erit, quem improbi trucem leonem experientur. Et ipsi beati transibunt à peccato ad justitiam, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, à Satana ad Deum vivum, ab omni luctu ad æterna salutis gaudium. O felix Lazare in sinu Abrahæ, Luc. 16. tuq; latro cui in cruce pendenti idem beneficium à Domino concessum est, Luc. 22. & nos cum parvo grege, Luc. 12. v. 32. dum complacitum est Deo patri dare nobis regnum.

III. Quod Regnum Dei & dies ἀπολυτρώσεως, liberatio nostra ab omni malo toties petita & sperata appropinquet. Rogamus hic præceptore Christo, ut Adveniat regnum Dei, idq; quærimus in omni verbo lecto & audito. Matth. 6. Et vivimus hic in regno gratiæ, ubi animam exspiramus transfertur illa in regnum gloriæ, sed corpora nostra, (unde credimus Carnis, non totius hominis resurrectionem) exspectabunt in tumulo diem novissimum, & tunc ipsa caro honorabitur præmijs, quæ est probata in supplicijs, ipsa caro in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphavit. Liberati adhæc sumus per mortem & meritum Christi, sed in militante dum versamur Ecclesia, adhæret nobis peccatum, arrodit mundus & mors minitatur. Rom. 7. O

Quantis in tenebris, curis, quantisq; periclis
Degimus hoc ævi quodcunq; est, miseri mortales.

Liberantur hic quidem homines à dolore & morbis mortis fabricatoribus, à captivitate & vinculo ut Israël ex Ægypto & Babylone, Manasses ex duro carcere, & à morte corporis ad certum tempus, velut Ezechias ad annos 15. sed ultimus hostis mors est, cujus pedibus subjecta sunt omnia. 1. Cor. 15. v. 26. In Ecclesia autem triumphante in æternum liberati erimus ab omni malo, & hostibus illudemus. Ibid. v. 55. Ubi tua ò mors victoria, ubi tuus ò infernum stimulus. Ose. 13. Atq; si quis unquam gavisus est nudus & pauper finita hyemis inclementia, ubi arbores protrudunt gemmas, & ver novum calidam

aëris temperiem, urticas, folia & flores producit; Certè gaudium nostrum in vere novissimo immensum erit, nec quis unquam tantam voluptatem aut oblectamentum ex floribus & frugibus, ex mellito avium cantu, aliisq; æstatis delicijs percepit, quã nos percepturi sumus, ubi Ille qui sedet super thronum, Apoc. 21. v. 5. dicet: Ecce ego nova facio omnia. Tertullianus, aliiq; sententiam ejus amplexantes, cœlum & terram non credunt abolenda, sed in melius commutanda, figuram quoq; mundi, id est imaginem seu faciem, non substantiam vel naturam transituram, siquidem Eccl. 1. scriptum est, quod Terra stet in æternum, & Esa. 66. 2. Pet. 3. Apoc. 21. mentio fit cœli novi & terræ novæ, quæ per ignem novissimum emundentur sicut aurum igne solvitur, non ut pereat, sed ut expurgatâ scoriâ reddatur purius, sicut caro quoq; nostra solvenda est, non ut in nihilum redigatur, sed ut fiat sanctior & incorruptior. 1. Cor. 15. Insuper Dominum exspectantibus promissa est inhabitatio terræ in seculum. Proverb. 2. Psal. 26. Matt. 5. Sed hæc cum alijs de quibus hinc inde disceptatur in futura vita planissimè cognoscemus, & undequàq; in Deo gaudebimus, supra nos videntes lucis & salutis Authorem, infra nos conjectis in gehennã oculis, gratias agentes quod immunes facti simus à Satanæ consortio, in nobis exsultantes ob gloriæ & claritatis excellentiam, circa nos stipati Angelorum & sanctorum multitudine, nec hujus gaudij finis erit. August. ultimo de Civitate Dei: perfectè vacabimus, perfectè gaudebimus, perfectè videbimus; quia ipse est Deus qui est finis: atatum & dierum, & ipse est finis omnium desideriorum, qui sine fine videbitur, sine fatigatione laudabitur. Chrysost. de reparat. lapsi. Intuere cœlum non solùm ex hominibus, sed ex Angelis atq; Archangelis, thronis & dominationibus, principibus ac potestatibus convocatum. De Rege autem qui horum medius residet dicere vox nulla sufficiet. Effugit omnem sermonem, atq; omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia. Si cotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, pro eo ut Christum videre possemus in

mus in gloria venientem, sanctorum ejus numero sociari, non erit dignum &c. patiamur omne quod est triste modò, ut tanti boni tantaq; gloriæ participes habeamur.

Dominica III. Adventus.

DE LEGATIONE IOH. BAPTISTÆ AD CHRISTUM.

Evangelium Matth. 11. à v. 2. usq; ad v. 11.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IOhannes, Carceri inclusus pro gloria DEI, discipulos ad CHRISTUM ablegavit, ut sic confessionis suæ specimen ederet, ipsiq; Christum rectè agnoscerent. Nos ocijs, quæ nobis Deus dedit & libertate fruimur, inq; loco sancto convenimus, ut doceatur discaturq; verbum Dei potentia ad salutem credentibus. Ne autem hoc tempus gratiæ vacuum abeat, nec, quod etiam Ethnici Rhetores in politicis orationibus desiderârunt, ullum nobis verbum vel unicum temere & inutiliter excidat, orabimus Deum patrem ut propter Christum det nobis Spiritum sapientiæ. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 35. v. 5. *prædictum est, quod Messias multis & magnis se manifestaturus sit miraculis: quia tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures surdorum patebunt, tunc saliet ut cervus claudus, & laudabit lingua muti, venietq; Deus ipse & salvos faciet. Quamvis Esa. 53. de eodem scriptum sit, quod non habeat formam neq; decorem, v. 3. sed despectus & rejectus inter viros, vir dolorum & expertus infirmitatem velut abscondito facie reputatus sit. Vtrumq; in hoc Evangelio Christus allegat, & discipulis Johannis inculcat.*

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

VInclis retentus nuncios
Baptista mittit ut rogent,
Num Christus ille sit, caput
Qui trux Draconis conteret.
Affirmat hoc, & comprobat
Medicante Christus dextera;
Et Concione publica,
Formaq; despectissima.
Commendat inde prodromum,
Quod non arundo sit levis,
Nec veste mollis aulicus,
Propheta nec, sed Angelus.

TRIA EX HOC TEXTU SALUTIS NOSTRÆ FULCRA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod doctrina de Christo sit immobilis veritas, unica & antiquissima veræ salutis methodus, idq; hoc loco Tribus probatur:

Primò *Quia Satanas & Sponsa ejus hic mundus nullam doctrinam adeo crudeliter persecuti sunt, quàm hanc ex sinu æterni patris prolatam, ideò Johannes in carcerem detrusus est, quem & nuper genitum per Herodis Ascolonitæ gladium tolli optassent, nec dudum sepulto Juliano pepercit. Niceph. lib. 1. cap. 14. lib. 10. cap. 13. Hinc Moses, Exod. 4. Jerem. cap. 1. & 20. & Jon. cap. 1. multiq; potentiores, 1. Cor. 1. ab hac Theologia abhorruerunt, quod Evangelij hujus præcones tanquam agni inter lupos missi, Matt. 10. Luc. 10. & immolationi destinati, Levit. 3. ad macellum trahuntur. Psal. 44. v. 23. Rom. 8. v. 36.*

Secundò *Quia audiuntur passim miracula Christi, mera salutifera,*

tisera, & gratiæ signa. Luca 9. v. 56. Et nulla doctrina inde ab initio tam immensis miraculis, quorum & Moses, Eliasq; cum Elisæo & Apostoli, Matth. 10. Marc. 14. Act. 2. eorumq; coadjutores Paulus & Stephanus successoresq; cooperante Domino quàm plurima ediderunt, obsignata est. Ebr. 2. v. 4.

Tertiò Quia ex carcere propagatur hic sermo sacer, nec patitur se constringi, 2. Tim. 2. v. 9. nec porta inferorum hanc doctrinam evertent, sed consilium Domini stabit, Esa. 48. & prius cœlum corruet. Luc. 21. Act. 5. Paulus itaq; ex carcere Neronis, Eph. 3. Phil. 1. 2. Tim. 2. liberrimè scripsit, floruitq; virga Aaronis tempore persecutionis, Num. 16. Et angeli ascendendo atq; descendendo alij alijs succedunt, Gen. 28. Multiq; inter quos & Justinus commendatur, supplicio afficiendorum constantiâ excitati se Christo subjecerunt, præsertim quod etiam resectis linguis, Spiritus Sanctus ex multis mirabiliter locutus sit, Niceph. lib. 16. cap. 36. omnia autem pseudogmata cum tempore ceciderunt, & extirpata sunt.

II. Quod Deus generi humano, per inobedientiam Adami astutiâ Satanæ devicti, in peccatum & mortem collapso promiserit ex mera misericordia Messiam mediatorem, adhæc quod ille à Deo promissus apparuerit in plenitudine temporis, Gal. 4. sitq; Jesus Nazarenus solus mundi Salvator ad quem hi Johannis discipuli fuêre ablegati. Fundamentum aliud præter hunc Jesum ponere nemo potest, 1. Cor. 3. v. 11 ideoq; ne circa hujus fundamenti cognitionem homines aberrarent, providentia divina sollicitè providit, probaturq;:

1. Quod se daturum Redemtorem Deus promiserit,

1. Ex ipsa pollicitatione divina in paradiso, Gen 3 edita.

2. Ex paterna ejusdem facta Patriarchis, Regibus & Prophetis repetitione. Gen. 12. 22. 49. Num. 24. 2. Sam. 7. Esa. 7. 9. 11. Dan. 7. Mich. 5.

3. Ex varijs typis, historijs & similitudinibus, hujus enim veri sacrificij, ut inquit August. lib. 10. de civ. Dei cap. 20. multiplicia variaq; signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur tanquam verbis

* *verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur. Præmonstrârunt ergo Christum Gen. 3. tunicæ pelliceæ, Genes. 4. oblatio agnorum, & incensio sacrificiorum, Jud. 13. 2. Reg. 18. de cæteris legatur Gen. 22. 37. Exod. 12. Num. 19. 21. Jon. 1. &c.*

2. *Quod promissus ille Messias revelatus sit in Carne:*
- 1. *Quia sceptrum ablatum est de Juda, Gen. 49. efflu-xit tempus 70. hebdomadum, Dan. 9. & perierunt Genealogiæ de tribu Davidis. Psal. 132.*
- 2. *Quia Bethlehem redacta est in cineres, Mich. 5. domus secunda devastata est à Romanis, Hag. 2. & Terram sanctam Turcæ occupârunt.*
- 3. *Quia Natus de virgine fugit in Ægyptum, ingressus est die Palmarum, Zach. 9. Matth. 21. passus & mortuus est, resurrexit & ascendit in cœlos juxta scripturam. 1. Cor. 15.*

3. *Quod Jesus Christus sit ille venturus nec expectandus alius. Testes sunt:*
- 1. *Ipse Deus*
  - *Pater. Matth. 3. 17. Joh. 12.*
  - *Filius. Luc. 10. Math. 27.*
  - *Spirit. Sanctus. Matt. 3. Psal. 45. Act. 2. Joel. 2.*
- 2. *Angeli. Luc. 1. 2. Actor. 1. v. 68.*
- 3. *Pij confessores,*
  - *Apostoli. Joh. 6. v. 28. Matth. 16. v. 16.*
  - *Nicodemus. Joh. 3.*
  - *Centurio, Matth. 27. v. 54. & Johannes Baptista, qui ut fide dignum ejus testimonium omni careret suspicione Christum secutus non est.*

Cum autem hæc quæstio tanquam scopus principalis præcipuè tractetur in hodierno Evangelio, Christus deducendo discipulos Johannis in scripturam Prophetiam, ubi Tria imprimis Ipsi signa attribuuntur tribus modis,

scilicet
1. *Manus omnipotentis Dei Oculis argutis*
2. *Lingua diserti oris Auribus attentis* } *considerandæ,*
3. *Voluntaria Exinanitio Cordibus haud offensis*

& ite-

& iterum ex scriptura ad ocularem atq; auritam demonstrationem, sic ut opus commendet Magistrum & ipsorum errori atq; scandalo medeatur, realiter respondet.

Estq; hoc responsu ex actis & operibus Christi certissimum,
1. Quod ejusmodi miracula Messiæ à Prophetis fuerint assignata. Joh. 5. 10. v. 25.
2. Quod Johannes, ne de persona Christi erraretur, nullum ediderit miraculum.
3. Quod nec talia in V. Testamento quis unquam fecerit, cæciq; visum & multis linguam dederit expeditam. Lege Athan. de human. Verbi.

Probat itaq; Christus se esse Illum, quem Prophetæ prædixerunt, Patriarchæ typis adumbrarunt & omnia secula desiderarunt: quia
1. Destruit opera Satanæ, 1. Joh. 3. depellendo quoscunq; languores. Esa. 25. 35. Act. 10. Luc. 7. v. 21.
2. Apertè & publicè prædicat verbum DEI, evangelizando pauperibus. Esa. 50. 61. Luc. 4. Psal. 45. Zach. 9.
3. Formam servilem induit, Phil. 2. pauper & spretus, Zach. 9. Esa. 53. vermis non homo. Psal 22.

III. Quod Johannes Baptista fuerit Prodromus Christi, & Phosphorus præcedens Solem justitiæ, & Angelus præparans viam Domini. Mal. 3. 4.

De hoc illustri viro notetur,
1. Quod tria diversorum Prophetarum de ipso sint edita Vaticinia, Psal. 132. Esa. 40. Mal. 4.
2. Quod Nativitas ejus prædicta fuerit ab Angelo, Ipse repletus Spiritu sancto in utero matris, dictusq; à Christo Lux ardens, Joh. 5. & Maximus inter natos mulierum. Matth. 11.
3. Quod Testamentum Vetus abrogaverit, Christum præsentem digitis monstraverit & Baptismum introduxerit.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. *Concernit verbi ministros, ut maximè solliciti sint de gloria Dei & auditorum salute.*

Exemplo Christi,

1. *Sedulò doceant, nec negligant ægrotos aut contagio infectos. Num. 16. v. 48. 2. Reg. 20. v. 7. Luc. 7. v. 21. 1. Cor. 4.*

2. *Placidè doceant, sintq; humani, Gal. 6. Jac. 5. nec importunè quenquam duro responso abigant. Tit. 1.*

3. *Oportunè doceant: quia non omnia omnibus nec omni tempore conveniunt, sic nec ante abitum discipulorum Christus Johannis vitam, doctrinam & officium commendavit, ne zelus eorum inordinatus augeretur.*

Exemplo Iohannis,

1. *Sint constantes nec novitatis avidi, Actor. 17. v. 21. Eph. 4. v. 14. & instar arundinum vacillantes; Sed juxta Chrysost. similes ossibus duris quidem sed medulla refertis. Sintq; graves & modesti, nec molles adulatores, Esa. 30. Ezech. 13. Sed firmi in veritate Domini, Eccles. 5. & permanentes in sapientia velut Sol, Eccles. 27. vers. 12.*

Et Angeli Domini, 1. *Non aberrans ab Ecliptica.* (24. 2. *Calefaciēs. Luc.* 3. *Splēdens. Luc. 5.*

Mal. 2. Ag. 1. 1. *Vocatione & missione. Jer. 23.* 2. *Officio, Ebr. 1. & doctrina.* 3. *Sanctitate & vita innocentia. 1. Timoth. 4. 1. Pet. 4. 1. Cor. 9.*

2. *Vnica sit cura auditores ad Christum ablegare, ut ex plenitudine ejus capiant gratiam & donum.*

3. *Nec deterreantur persecutionibus, non carceris horrore, non vinculis, nec sicariorum contubernijs, nec potentum odio, nec ipsa denig; morte; sed cum Petro vel in cruce peccatores Christo lucri faciant.*

II. *Vi, quia Christus pro nobis factus est pauper, humiliter agnoscamus nuditatem & inopiam nostram, nos aspicientes & despicientes, quia mendici sumus & pauperes, Psal. 40. nec unius capitis pilus*

pllus nec aliquod temporis momentum nostrum est. Apoc. 3. Hinc Augustl: Ego confiteor tibi Domine paupertatem meam, & sit tibi tua gloria tota, quoniam tuam est omne bonum gestum per me. Nihil aliud ego sum quam universa vanitas, umbra mortis & abyssus quædam tenebrosa, terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione nihil germinat. Ad ejusmodi pauperes respicit Dominus, Psal. 69. 72. & Christus se ad ima dejecit ut nos supra cœlos exaltaret, factus pro nobis maledictum est, ut nos à maledicto legis liberaret, reprobatus est ut nos Deo redderet probabiles. Ne ergo sit nobis lapis offendiculi. Esa. 8 28. 1. Cor. 1.

Gregor. Stultum hominibus visum est ut pro hominibus Autor vitæ moreretur, atq; inde contra eum homo scandalum sumsit, unde amplius ei fieri debitor debuit.

Bernard. Quantò minorem se exhibuit in humilitate tantò majorem se ostendit in charitate, & quantò pro me vilior, tanto mihi charior. Charior Sponsus suæ Sponsæ esse debet, quando propter ejus pudicitiam & vitam tuendam eum cernit vulneribus confossum, illaq; vulnera, quò illum deformiorem eò amabiliorem reddunt. Ne præteream quod in nostra redemptione per Christum factâ, summa Dei justitia & bonitas eluceat.

Homo factus est,	Superbus,	Christus ergo redemptor,	Humilis. Actor. 11.
	Contumax,		Obediens. Phil. 2.
	Avarus,		Pauper. Matth. 8.
	Vescebatur pomo,		Famelicus. Luc. 19.
	De arbore vetita,		De ligno pendens.
	Maledicta ergo terra,		Maledictus.
	Spinas produxit,		Spinis coronatus.
	Mulier decepta est,		De virgine natus.
	Tracta è latere viri,		In latere vulneratus.
	Manibusq; deliquit & pedibus abusa,		Manus pedesq; perfossus, &c.

Sic Christi contumelia est nostra gloria, & crux Christi noster honos,

III. *Vt pij auditores gratiæ præcones à Deo missos reverenter honorent & magnificiant, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4. v. 1. Obsecundent illis qui vigilant pro animabus ipsorum. Ebr. 13. v. 17. Ducant eos quam maximè charos propter opus sanctum, 1. Thess. 5. v. 13. propter Institutionem, Consolationem, Absolutionem, Confirmationem & Recreationem in agone: quia insigne donum misericordis Dei est, Eph. 4. quod dignos Ecclesiæ suæ largitur Verbi ministros.*

III.

Triumphus & Merces Fidei Triplex.

I. *Quod pedes ambulantium in via Domini, quam Angeli sacerdotalis dignitatis præparant, Esa. 33. licèt via illa sit stricta & angusta, Matth. 7. v. 14. ipse Deus confortet, Psal. 18. Esa. 42. ut sic manu Dei ducti ex tenebris & morte ingrediantur in lucem & vitam æternam. Illam enim, quia Johannes Bapt. cujus, quam vis ipse in vita miraculum nullum ediderit, Joh. 10. tota tamen vita velut miraculum ingens existimanda est, tam insignis vir tam exiguum temporis spacium sc. vix biennium docuit, & adeò crudeliter in carcere trucidatus est, verè nobis restare credimus, ibiq; hic sponsi amicus in sanctissima, quæ ipsi hic concessa non est, cum nihil jucundius quam Christum videre, Christo adhærere & verba vitæ audire, Luc. 10. Joh. 6. ipsi contingere potuisset, cum sponso Christo lætatur* conversatior *consuetudine & conservatione. Nec eò translati interrogabimus, An Christus sit ille venturus, quia absoluto utroq; adventu, primo quidem ut dimitteret, & postremo ut judicaret, Chrysost. ab omnibus electis agnitus honorabitur in æternum.*

II. *Quod non tantùm hic varios pro omnipotenti sua bonitate tollat cotidie morbos Deus & spiritualiter cæci, surdi, muti atq; leprosi sanentur à Christo pretiosum sanguinis sui medicamentum conferente, sed quod in vita æterna futura sit æterna Sanitas, ubi hoc corruptioni obnoxium induet incorruptam naturam, & mortale*

hoc

hoc induet immortalitatem. 1. Cor. 15. v. 53. & in novo cælo pura, renovata, fortia & immarcessibilia corpora habitabunt, nemo erit cæcus, claudus aut morbidus, quid enim languidum corpus in cæleſti palatio? Hic quidem longè lateq; mors & morbi regnant varijſq; infirmitatibꝰ corpora noſtra obnoxia trepidant, ut

1. Agnoſcatur Juſtitia Dei & Eccleſia militans admoneatur de peccatorum reliquijs, nec videatur ſibi innocens. Jer. 30. Rom. 6. 1. Pet. 4.

2. Deprimatur virus Adamicum & patiens in carne deſinat peccare. 1. Pet. 4.

3. Augeatur in nobis deſiderium vitæ æternæ. Phil. 1.

In vita immortali autem tollet Deus radicem omnium infirmitatum, Baſil. νοσοποιὸν ὕλην, nec ſublata cauſa regnabunt effectus, Pſal. 147. ſed Chriſto & angelis ſimiles erimus. Phil. 3. Matth. 22. Illum non tangit infirmitas amplius, nec hi tot mille, Rom. 6. annis ægri fuêre unquam.

Auguſt. lib. 50. Hom. 18. Nemo dicet poſt reſurrectionem viſita ægrotum: quia ibi eſt ſanitas ſempiterna.

Bernard. in Medit. cap 9. Nulla ibi erit triſtitia, nulla anguſtia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors, ſed perpetua ſanitas ſemper ibi perſeverat. Et vita erit angelica. Ne ergo impatienter ſub onere infirmitatum murmuremus, neq; ſi quis claudus vel æger ab utero matris prodeat, ſpem abijciamus. ſed cogitemus de gloriosa reſtitutione & perfectione æterna. Si depoſitis veſtibus contritis novis magnificè ornari quis unquam gaviſus eſt. Si miramur quod Moſes cum natus eſſet annos 120. non caligaverit oculus ejus nec aufugerit vigor ejus. Deut. 34. v. 7. Quod Caleb, Joſ. 14. v. 11. annos natus 85 glorietur ſe fortem ad prælium. Quod, teſte Æmylio Probo, Pomponius Atticus 30. annis non eguerit aliquo pharmaco. Si denig; gaviſus eſt Rex Ezechias recuperata ad 15. annos valetudine. Tobias ſenior, Tob. 11. Bartimæus, Marc. 10. & cæcus à nativitate, Joh. 9. reddito viſu certè nos devicta & depoſita omni fragilitate triumphabimus.

III. *Quod, quoniam Johannis incarcerati in hoc exilio absentis tam honestè meminit Christus, certè fidelium ministrorum memoria sancta futura sit apud Deum. Apoc. 14. Quia ipsi vicerunt Draconem per sanguinem Agni, Apoc. 12. nec dilexerunt animam suam usq; ad mortem, ideoq; quia fideles inventi sunt, Apoc. 2 data est ipsis corona vitæ. Pro Christo dulces injuriæ sunt, inquit Ambrosius, & grata mors est & bene grata quæ acquirit immortalitatem. Lutherus pro sancto labore illustri munere donatus rescripsit, se laborum suorum mercedem potius in vita futura expectaturum. Hinc, quia nihil gloriosius quam propter Dei gloriam vinciri, Paulus cum se in initio literarum suarum Apostolum Christi nuncupasset, ubi in vincula conjectus fuit postea abjecto apostoli nomine vinctum se Jesu Christi appellare maluit. Et Chrysost. ad Eph. 4 scribit: Vinctum esse propter Christum illustrius est quam Evangelistam aut Apostolū esse. Si quis mihi vel universi cœli, inquit, vel hujus catenæ copiam largitus esset, catenam hanc ego planè elegissem. Si mihi cum Angelis standum fuisset sursum, & cum Paulo constricto in carcere, carcerem utiq; peroptassem. Non ita beatum dico Paulum, quod in Paradisum raptus, atq; quod in carcerem conjectus est. O beata vincula, ò beatas manus quas catena illa exornavit! Non erant tam præclaræ manus Pauli quando claudum in Lystria erigebat, Act. 14. Eutychum excitabat, Act. 20. & nihil detrimenti adferebat vipera, Act. 28. quàm quando vinculis erant circumligatæ. Idem de Petro Act. 12. Elige utrum velles esse, Angelus Petrum stimulans & solvens, an Petrus vinculis solutus? Petrus utiq; mallem esse propter quem Angelus descendit: quia merces ipsi & omnibus fidelibus reposita in cœlis copiosa. Ideoq; si ipsis mundus silentium imponit tamen in cœlo jubilabunt. Esa. 65. Si mundus maledicit, Deus benedicit. Psal. 109. Si tollitur eorum de terris memoria vigent in libro vitæ. Luc. 10. Si hic denegatur hospitium, mansio in cœlis est, Ebr. 13. & si occiduntur, tamen Christus vivit, ipsiq; & nos vivemus cum ipso.*

Athanas. Qui verè in Christum credunt millies mori maluni quàm

lant quàm fidem Christi abnegare, sciunt enim se moriendo non perire, sed per mortem fieri immortales.

Ambros. Daniel periclitari malebat pro lege Domini, quam pro gratia hominis inflecti.

Babylas in magna populi frequentia ad supplicium raptus alta voce gaudens proclamabat; Revertere anima mea in requiem tuam. Psal. 116. &c. Rogabatq; catenas ferreas & reliqua ligamenta collo ac pedibus affixa secum terræ mandari, ne in die resurrectionis coram filio DEI hoc splendido ornatu privaretur.

Dominica IV. Adventus.

DE LEGATIONE JUDÆORUM AD IOHANNEM BAPTISTAM.

Evangelium Joh. 1. à v. 19. usq; ad 29.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IOhannes Baptista vox clamantis in deserto exaltando valles & deprimendo colles præparavit viam Domini. Nostriq; est officij simili studio arguendo & consolando pro viribus præparare corda auditorum, hoc inprimis tempore ad adventum CHRISTI, ut omnia peccatorum impedimenta è medio tollantur, & ad nos veniens mundi Redemptor divitiarum suarum nos participes reddere dignetur. Ut autem tuba vocis nostræ elevatior cum fructu resonet, & corda nostra sermonem sanctum piè recipiant, orandus Deus est ut Spiritu Sancto nos illuminet. Pater noster, &c.

Exor-

Exordium Propheticum.

ESa. 40. v. 3. dicitur *Johannes vox clamantis: Parate viam Domini, rectam facite in solitudine viam Jehovæ Dei nostri.* Zach. 13. *prædictum est Baptismū in diebus Messiæ instituendum, quia in die illa erit vena patens domui David, & habitatoribus Jerusalem in expiationem peccati, & in aspersionem. Vtriusq; eventum obsignat lectio hujus Evangelij.*

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

EX urbe Consistorium
Quærit Johannem, an sit Siloh,
Vel de Prophetarum choro?
Sed ille constanter negat.
Instando quis sit quæritur,
Ne vana sit legatio,
Respondet ille, præco sum,
Viamq; Christi præparo.
Quid ergo Baptizas? tonant.
Ego inquit unda, Me prior
Vos inter est quem spernitis,
Hæc acta sunt Bethaboræ.

TRIA AD SALUTEM ANIMÆ NOSTRÆ NECESSARIA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod verè venerit promissus Messias, & impleto tempore emiserit Deus filium suum, Gal. 4. v. 4. natum ex muliere, & legi obnoxium. Idq; triplici ex hoc textu ꝓbatur testimonio:

1. *Testis est ipsa conscientia & legatio Judæorum; quia ex qualitate temporis constabat apparuisse CHRISTVM, licèt de persona errarent.*
2. *Gen. 49. v. 10. Mal. 3.* et

II. Testis est magnus ille Johannes, qui individuum Christum scilicet voce & digito monstravit. Ipsiusq; Testimonium maximi faciendum est,
1. Propter officij ejus præstantiam; quoniam à Prophetis, ab Angelo & à Deo, Luc. 3. immediatè vocatus est.
2. Propter divinam revelationem. Joh. 1. Matth 3.
3. Propter spiritū & virtutem Eliæ, quâ ipse donatus fuit, teste Malachia cap. 4. v. 5. Gabriele, Luc. 1. v. 17. Christo. Matth. 17. v. 12.

III. Testis est baptismus in locum circumcisionis institutus. Rom. 15. Dum hoc Sacramentum veræ præsentis Messiæ notæ esse debuit. Zach. 13.

Sic ergo non peccator ab erroribus in viam retractus, qualis fuit David, 2. Reg. 11. 12. Psal. 51. & Petrus, Matth. 27. sed homo innocentiæ laude præstans atq; ab utero sanctus delectus fuit, ut pœnitentiam prædicaret. Nec Agnus Agnum Mansuetus Mansuetum, sed Asperior Lenem, Elia tamen potius quàm Mosis spiritu, demonstravit.

Causas quæris,

1. Est, ut agnoscant homines tantò magis necessariam esse pœnitentiam, quantò qui eam prædicabat erat purior.
2. Vt ostenderet Deus propter cotidianos lapsus & pullulantes cupiditates justos etiam indigere pœnitentia, Psal. 32. quod cœlum coram Deo purum non sit. Jer. 2. v. 22. Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi borith, signata tamen est iniquitas tua coram me inquit Jehovah. Hiob 15 v. 15.
3. Quia lex & prophetæ usq; ad Johannem, in quo siquidem rigor legis cessare debuit, sicut lucerna quæ jam extinguenda, cum materia deficiente mori incipit splendidiorem flammam excitat, sic legis asperitas in Johanne finita est, & secutus est Christus cum gratiæ Evangelicæ lenitate, cujus primus præco Johannes exstitit. Matth. 11. v. 13.

II. *Quod Jesus Christus sit verus Deus & verus homo dominator Israelis, egressus ab initio & natus in tempore, Mich. 5. v. 2. primogenitus Patris ab æterno, Col. 1 Apoc. 1. Psal. 2. ante opera à principio viæ suæ. Prov. 8. v. 22. Rom. 9 Qui juxta humanam naturam gloriæ divinæ particeps factus est, Dominus dominantium. Psal. 8.*

Ideoq; ante Johannem,

1. *Deus ab æterno per quem omnia facta sunt, Joh. 1. 8. prior Abrahamo.*

2. *Opitulator præsens in afflictionibus piorum, cum Josepho in carcere, cum Daniele in spelunca leonum, cum tribus viris in fornace Babylonica.*

3. *In omnibus typis & figuris veteris Testamenti ipsum præmonstrantibus.*

Post Johannem,

1. *Quod ad Nativitatem, Luc. 1. v. 36. & officium, quo ipsum Johannes dimidio anni præcessit.*

2. *Quia doctrinæ Johannis dedit efficaciam & incrementum, 1. Cor. 3. baptizans Spiritu sancto.*

3. *Post Johannem & nos omnes venturus est in die novissimo. Joh. 5.*

III. *Quod Baptismus cælitùs, Matth. 21. v. 25. consilio sanctæ Trinitatis, Luc. 7. v. 30. institutus ad salutem nostram maximè necessarius, Joh. 3. v. 5. per quem teste Damasceno primitias Spiritus sancti accipimus & principium alterius vitæ, ut sit nobis regeneratio, & sigillum & custodia, & illuminatio, dudum in scriptura sancta verbo Dei præmonstratus, variisq; typis adumbratus fuerit. Esa. 4. v. 4. 49. v. 22. Mal. 3. v. 2. In ipsa rerum creatione cum Spiritus incubaret aquis, Gen. 1. inde per diluvium, Gen. 7. Psal. 38. 1. Pet. 3. per circumcisionem, Gen. 17. Col. 2. per oblationem sponsarum juxta fontes, Gen. 24. 29. per transitum maris rubri, Exod. 15. 1. Cor. 10. in transitu Josuæ cum populo, Jos. 3. 4. & Eliæ cum discipulo per Jordanem, 2. Reg. 2. ie ferro natante, & vase fusili Salomonis, in lotione Naaman, 2. Reg. 5. v. 14. in piscina probatica, Joh. 5. aliisq; inter*

quos

quos non ultimum locum obtinet cum actu Baptismi congruum Eliæ factum, 1. Reg. 18. ubi propheta ter jubet effundere aquam super juvencum, super holocaustum & super ligna in testimonium quod ipse verum Deum honoret. Et cum aquæ fluentes in circuitu altaris aquæductum implerent, invocato nomine divino cecidit desuper ignis Jehovæ, consumpsitq; holocaustum, & ligna, & lapides, & simul aquam linxit. Indicio hoc fuit venturum secundum Eliam, qui ter perfunderet baptizandos aqua, & sic Deus emitteret Spiritus sancti ignem in corda eorum qui consumeret affectus impuros, vitamq; incenderet & lucem.

Inde Johannis & nostrum baptisma idem est, & una fides, Eph 4. unus author Jesus Christus hodie & heri, Ebr. 13. & ex ipso eadem dignitas, ijdem effectus Baptismi.

Sed Christi Baptismus triplex est.

1. Externus aquæ & verbi per ministros, Joh. 3. nec enim ipse quemquam sic baptizavit. Joh. 4. v. 2.

2. Internus quo corda mundat per Spiritum sanctum, Mal. 3. v 2. ceu igne constante, ex merito Baptismi sanguinis sui. Luc. 12.

3. Miraculosus, Act. 1. v. 5. igne & Spiritu sancto.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt verbi ministri juxta vocationis suæ mandatum propria agentes constanter caveant ἀλλοτριεπισκοπεῖν, &, Ebr. 5. v. 4. sumere sibi aliquem honorem, sed indignitatem suam agnoscentes sub pedibus Christi se projiciant, & propiores luci quodcunq; impurum in se inprimis ad altare & in suggestu cognoscant. Cum excelsus sit Deus, humiles corde sunt sedes ejus. August. Et unda divinæ gratiæ de montibus defluat in vallibus moretur. Bernard. Et seduli in officio docendo Evangelion, & administrando Sacramenta præparent viam Domini, 2. Tim. 4. v. 2. & 5. Esa. 58. v. 1. 1. Tim. 4. v. 16. Quæ

consistit in pœnitendo & credendo, Psal. 25. 119. ut sic colles deprimantur & eleventur valles. Esa. 40. Nec moveat eos, quod sanam doctrinam non toleret mundus, 2. Tim. 4. v. 3. sed moveat jurgia, Psal. 120. & præcones veritatis viros rixarum appellet. Jer. 15 v. 10 Nec vereantur odium Satanæ, quo ille piorum pastorum posteros crebrò cribrat.

II. Vt auditores humiles & grati sermonem veritatis recipiant, ad vocem pastorum præparent viam Domini, pandant & dilatent sinum cordis, ut introeat rex gloriæ. Psal. 24. Aperiat soror & amica, Cant. 5. pulsanti ostium Cant. 3. Emundemus vasa pectoris nostri, & amoveamus offendicula quæ Dei ad nos adventum impediunt, & aditum ejus in mentes nostras ferreis quasi vectibus obstruunt, Esa. 59. Joh. 9. & animam nostram, quæ sedes Dei est, in specum & cubile dæmonum convertunt. 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. Salomon amplissimam domũ ædificaverat in Zion, aliamq; solatij & recreationis domum venationi inservientẽ exstruxerat in saltu Libani: Sic verus Salomon Jesus Christus alteram quidem domũ in cœlesti Hierusalem non manu factam habet, alteram in hoc inferiori mundo, in qua nobiscum habitare dignatur. Esa. 57. 62. Paretur ergo via Domino, & ab impuris vitiorum sordibus, à lutulenta libidine, 1. Cor. 6. ab insatiabili avaritia & crudeli odio purgentur animæ. Si magna populi frequentia, lætitia, apparatu & splendore excipitur Rex adventans, quid cessamus Regem gloriæ Spiritualibus bonis redundantem cum gaudio excipere? Esa. 40. Zach. 9. Phil. 4.

III. Vt spem fallacem rerum humanarum præcidamus, nec inanes sectemur mundi divitias, terrena & momentanea æternis præferentes, sed cœlestia apud Deum quæramus. Matth. 16. Quid prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ jacturam fecerit? aut quid dabit homo cujus permutatione redimat animam suam? Cum itaq; blandiens mundus ad se homines trahat & à Deo avocet, melius nobiscum agitur quando nos verberat, quàm cum lactat. Augusti. Quia flagellatos, & amaritudine offensos

quasi

quasi à lacte abigit, ut solidiori & fortiori cibo assueti nutriamur. Et aleam velut illi, quibus ipsa infeliciter cadit, damno nostro edocti aspernemur, quo consilio DEVS filios Israel ex Ægypto, liberandos dura servitute premi passus est, ut non inviti terram illam desererent. Hinc pharisaïs Domino suo rabidè oblatrantibus, Epiphan. & terrena beneficia apud Messiam quærentibus, dum pristinam libertatem unicè recuperare peroptant, exprobrat Christus stultitiam ingenitam ingentem. Johan. 5. vers. 33. 35. Vos misistis ad Johannem, & ille testimonium dedit veritati. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad tempus modicum exultare in luce ejus. O verè modicum propter impendentem mortem, cum detrahat animæ suæ homo nec certus sit de vita in crastinum. Jac. 4. v. 14. Similis historia de Jacobo minore legatur apud Euseb. lib. 2. cap. 23. Sed illud modicum expertus est homo dives, Lucæ 12. qui in eadem nocte, cum jussisset bene sperare animam in longum, avocatus est. Et Capernaitæ, Joh. 6. propter ventrem, propter quem Deum suum multi amplectuntur Evangelium, cum aliàs sint hostes crucis Christi, Phil. 3. Christum secuti sunt. Midas rex Phrygum, ut est in fabulis, auri cupiditate omnia quæ corpore attingeret in aurum mutari optavit. Crassus Romanorum ditissimus cum auri fame expeditionem contra Parthos suscepisset, ab ijs prælio superatus est, qui aurum liquefactum ori ejus infundentes dixerunt: Sitijsti aurum insatiabiliter, sed bibe modò aurum ad satietatem. Heliogabalus si quando animi oblectamentum quæsivit, super sparsis in palatio pecunijs deambulavit. Sed ô vanitas vanitatum. Thesaurorum autem cœlestium perpetua est possessio. Matth. 6. Et felicissimus ille est qui totam spem & salutem suam collocat ἐν ἐπουρανίοις.

III.

Finis & Merces Fidei Triplex.

I. Quod per aquam baptismi à ministro Evangelij, & per ignem ac Spiritum à Christo baptizati, per fidem salvi, Marc. 14. &,

quod non ex Schola Saducæorum vitam ac resurrectionem negantium, sed ex concilio phariſæorum bene de præmiſſorum vita ſentientium, hoc loco proponitur, cum Elia ac prophetis coram Deo in terra viventium perpetuò manſuri ſimus. Matth. 17. v 3. Hæc præmij largitio eſt ad quam fide reſpexit Moſes, & jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis. Imò, teſte Joſepho, impoſitam ſibi coronam regiam puer in terram projecit, majores arbitratus divitias probrum Chriſti, quàm Theſauros Ægypti. Ebr. 11. v. 26. Hac ſpe Johannes elegit miſer potius eſſe cum Chriſto, quàm illo amiſſo ſummos aſſequi honores. Cumq; non eſſet ipſi res cum imperitis, nec mitterentur ex pago, nec offerrent 30. nummos, ſed ſummam majeſtatem, ipſe non reſpondit adiaphoricè, nec revocavit, nec Chriſtum negavit, nec minis fractus eſt ceu Petrus, nec muneribus victus ceu Judas.

II. Quod veluti Joſua, non Moſes, duxit populum Iſraeliticum in terram Canaan melle ac lacte fluentem. Quare & Moſes, Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 1. longè per Dei ſpiritum prævidens, quis ſibi paratus eſſet ſucceſſor, & prænoſcens, quod is, qui poſt ſe regnum ſuſciperet, majoris ſacramenti miniſter exiſteret, Jeſum cognominavit eũ, qui prius Auſes parentum appellatione fuerat nominatus, ſciens quod in hujus vocabuli Sacramẽto cujusdam majoris gloriæ rex, quàm mortalis natura recipit poneretur. Sic Jeſus Chriſtus navigio placidæ mortis animas noſtras traducat in cæleſtem Canaan. Reſpiciamus ergo ad peregrinationes populi Iſraelitici; 1. Cor. 10. illi tranſeundo per mare rubrũ liberati ſunt à jugo Ægyptiaco & tyrannide Pharaonis, nec tamẽ mox ingreſſi ſunt in terrã Abrahæ promiſſam, ſed 40. annos in deſerto Arabico abſolverunt, quibus elapſis in Bethabora per Iordanẽ ingreſſi ſunt in terram ſanctam. Nos per baptiſmum, qui Ambroſio dicitur unda ſanguinis, tranſimus ex regno Satanæ & carcere peccati in regnum Chriſti, nec tamen mox cœlo tertio capimur, niſi fortè quis à baptiſmo mox evocetur, ſed aliquandiu pro arbitrio DEI in deſerto hujus mundi circumvagamur, tandem ubi ad metam, Job. 14. quæ eſt Bethabora, perventum eſt, veris Joſua Chriſtus aut per mortem beatam

aut

aut per novissimum adventum suum silata Angelica, 2. Reg. 4. Lucæ 16. nos traducit in patriam cœlestem, ubi sancta est civitas & regio immortalium & angelorum commercium. Hæc benedictio est Abrahæ & semini ejus promissa, cujus nos per fidem participes erimus.

III. Quod in vita cœlesti, velut hic in rebus divinis naturæ ignotis, quæ ingenij & oculorum acie percipere non possumus, ad legem & testimonium, Esa. 8. v 20. Joh. 5. ut oriatur nobis aurora, ablegamur, testimonio Johannis vel aliorum non indigebimus; ibi enim Deus omnia erit in omnibus, Christumq; videbimus, qualis & quantus est. Ante lapsum præditus fuit homo sapientiæ divinæ radio, ut Deum creatorem suum probè agnosceret, creaturarum simul proprietates & finem, in quem homines conditi erant perspectum haberet, sed propter transgressionem tantus ignis lucis divinæ in flammulam & favillas redactus est, & tantum in nobis infirmitatis prævaluit, ut deficiente memoria etiam illa, quæ circa & infra nos sunt, ignoremus. Ubi autem in gloriam Dei ingressi fuerimus, & in schola sanctæ Trinitatis speculum divini fulgoris intuebimur, ex fonte divinæ sapientiæ inebriabimur, 1. Cor. 13. & quæ hic discimus, illic documento implebimus: quia ipsa veritas nos illa, quæ nescimus, docebit. Hic docemus quod scimus & prædicamus ea quæ legimus & audimus, sed teste Fulgentio, in illa admiranda luce omnia nobis revelabuntur, ut perfectissimè intelligamus consilium Trinitatis de redemptione generis humani per mortem & meritum Redemptoris Jesu Christi, unde summum in nobis gaudium excitabitur. In hac vita memoria labilis est, & quæ olim didicimus facilè excidunt. Multi usq; adeò stupidi sunt, ut millies repetita ipsis vix inculcentur tanquam in lapidem sculpenda. Alij quod memoriæ mandârunt, ceu illa quæ cerâ impressa sunt, facilè oblivioni tradunt. Tempore Ciceronis Romæ quidam Grammaticus per confusionem cerebri eo redactus fuit, ut ne 24. literas quidem ordine posset recitare, quod & de Georgio Trapezuntio viro in latinis & græcis literis peritissimo memoriæ traditum est, siquidem artium scientia apud ipsum ad senium vergentem planè evanuit.

evanuit. In futura autem vita vegeta & vigens erit memoria nostra, nec quidem pauci, velut in hac vita, inter rudiores docti eminebunt, sed omnes docti erimus, à Deo omnes perfecta rerum omnium scientia donati. Si Archimedes inventa post diuturnam meditationem propositionis difficilioris solutione, præ gaudio εὑρηκα exclamavit, alijq; eodē modo speculando quæsita inveniētes exsultanti: certè ubi nobis æternæ in momento Theologiæ cognitio dabitur perpetuò gaudebimus, nec objicietur nobis, quod hîc, proh dolor, in plurimos cadit, esse in medio nostri quem non agnoscamus Jesum Christum, sed Deum cognoscemus, Nazianz. in Orat. contra Arrian. & à Deo cognoscemur. Joh. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut te solum agnoscant verum Deum, scilicet essentialiter Trinum & Vnum, & quem misisti Jesum Christum, sic patefacta voluntate in Evangelio de incarnatione Filij.

DE EXCOMMUNICATIONE.

PAstores animarum non tantùm dicendo & docendo, verùm etiam minando & monendo salutem hominum promovere debent, hinc juxta præscriptum ordinationis regiæ in Ecclesiis usitatum est, ut manifesti, reprobi ac indurati peccatores, qui non verentur iram DEI, nec sentiunt peccatorum magnitudinem, nec pœnarum æternarum considerant atrocitatem, Psal. 73. per severiorem correptionem Ecclesiasticam bis quotannis excommunicentur, instante scilicet festo Nativitatis & festo Resurrectionis Christi. 1. Quia circa hæc tempora maximè furit Satan, non libenter admissurus ut homines tanti boni reddantur participes. 2. Vt lapsus manifestiores emendentur, quare nec Ambrosius Imperatorem Theodosium ad festi natalis Christi gaudium, nisi prius acta pœnitētia publica, admisit. 3. Vt excommunicati per resipiscentiam & fidem potiantur meritis Christi, de quibus, Lucæ 2. v. 11. Rom. 4. v. 25. in hisce festis agitur.

Manifestos ergo peccatores, qui cōtumaciter Domini præcepta transgressi sunt, atq; in sceleribus turpiter vitam traducunt, excommunicatos, & à sacra cœna Domini exclusos pronunciamus, donec publicè pœnitentes

dæmitentes veniam precentur, & scandalum datum deprecentur. Eoq; juxta ordinem Decalogi in singulis præceptis traditus Satanæ ad interitum carnis, ut Spiritus salvetur in die Domini. 1. Cor. 5. v. 5. 1 Tim. 1. v. 20.

Observetur hic Doctrina Triplex.

1. *Quod hæc sit dudum recepta ex Dei mandato in Ecclesia consuetudo, qua usus est Adam contra Cainum, Noachus contra Chamum, Elias contra regem Achab, Paulus contra adulterum, 2. Cor. 5. contra Hymenæum & Alexandrum, 1. Tim. 1. v. ult. Petrus contra Simonem Magum. Actor. 8.*

2. *Quod ejusmodi excommunicationis sint tres Fines. 1. Ne flagitiosè viventes tolerentur inter Christianos. 2. Ne ejusmodi fermento corrumpatur massa bonorum. 3. Vt lapsi compellantur resipiscere. Sic quæritur gloria Dei & salus animarum.*

3. *Quod nequaquam sit res frivola aut parvi facienda: Quia hostis noster est ex Baptismo Satan, Luc. 22. Eph. 6. 1. Pet. 5. adhæc maledicti sunt trangressores impij, Levit. 26. Deut. 28. & per excommunicationem traduntur Satanæ ad internecionem corporis. Hinc Cain maledictus semper tremuit, & desperavit, Cham semper malè egit, Achan sceleris pœnam luit. Jos. 7. Sic servus Elisæi percussus est lepra, Herodem à Johanne excommunicatum roderunt pediculi, Ananias & Sapphyra subitò extincti sunt, Actor. 4. & Elimas Barjehu in Papho factus est cæcus. Heribertus Rex Parisiorum excommunicatus à Germano Episcopo, quod duas duxisset sorores, subitò extinctus est. Paulinus scribit, quod scriba quidam Stiliconis ab Ambrosio excommunicatus, mox mentis inops à Diabolo discerptus sit. Multiq; excommunicati vanescunt, & in agone cruciantur. Si autem subitò non fiat exsecutio, vel Deus misericors pro bonitate sua dat pœnitendi tempus, vel implebunt mensuram malitiæ, vel Satan abstinet, ne per pœnam excitentur ad pœnitentiam.*

Consolatio Triplex.

I. Quod bonus Deus non animam, sed corpus tantùm velit excommunicari, promptior enim est ad misericordiam, quàm ad pœnam. Ezech. 33. Joh. 3. 1. Tim. 2.

II. Quod Deus corporali pœna visitet impios, & per Satanam quasi flagellet corpus, perdat substantiam, oves bovesq; quod exempla docent, ut sic quasi stimulis coacti revertantur ad Dominum.

III. Quod pœnitentes recipiat Deus, si quoq; peccatum sit veluti coccinum. Esa. 1. Nec velit aliquem nimia severitate ad desperationem adigi. Lege 2. Cor. 2. & de Achabo. 1. Reg. 21.

Admonitio Triplex.

1. Pro omnibus. *Ne de hac excommunicatione frivolè judicent, sicut de levium hominum maledictionibus & exsecrationibus: Sed memores sint verborum Domini, Matth. 16. Quicquid ligaveritis in terris, &c.*

2. Pro ijs qui se intactos agnoscunt. *Ne, quia hactenus per Dei gratiam steterunt, turpiter labantur, sed orent incrementum, 1. Cor. 10. & perseverantiam.*

Neq; conversentur cum excommunicatis, Psal. 1. & 50. quibus comes est Satan, sed fugiant eos magis, quàm peste, fœtore & contagio infectos. Jos. 7. Numer. 16.

Nec quem confirment in malitia, & ad furorem instigent, sed authores sint excommunicatis, ut libenter confitendo coram mundo delicta, memores animæ in viam redeant, & sapientes misereantur animarum suarum.

3. Pro excommunicatis. *Ne sibi persuadeant nihil adesse periculi, quod fortè antea excommunicatos se sciant. Sed, quia forsan horæ vindictæ divinæ nondum venit, considerent quàm subitò, si Deus manum subtrahat in scelus grande ruat homo, & agnoscant se membra esse demortua & putrida, se esse ramos ab arbore vitæ, à vite Christo*

CHRISTO avulsos resectosq; Joh. 15. in quibus nec vigor est, nec vita.

Neq; existiment se domi delitescendo, aut hodie indignè manducando carnem & sanguinem Christi, iram Dei posse effugere. Quia nullibi datur delitescere, nusquam evadere. Hæc excommunicatio compages & medullas penetrat. Sola pœnitentia vera Deum placat.

Ne ergo abscondant delicta in judicio extremo revelanda, aut tardi sint ad Dominum se convertere; Sed Deum quærant dum inveniri potest. Quò longius cum Caino fugitur, eò longius à DEO & animæ salute receditur, quòq; diuturnior mora, eò gravius est periculum.

DIE NATIVITATIS CHRISTI.

Evangelium Luc. 2. à v. 1. usq; ad 15.

PRÆFATIO SUPPLEX.

SIquidem in Natali Domini nostræ salutis causa administratorij Spiritus casti gavisi sunt Angeli & genethliacon Salvatori cum summa lætitia concinuerunt, multò magis nos decet cum singulari animi motu Salvatori laudes cantare, & Incarnationis beneficium nocte dieq; ponderare. Cum autem absq; Spiritu sancto cœca & frigida sit mens nostra orabimus Deum, ut illius igne corda & animas nostras incendat atq; illuminet, linguas dirigat & aures recludat, quò de rebus his maximis piè concionem instituamus, & quod Verbum caro factum sit Alleluja sanctum grato pectore intonemus, atq; nativitate Christi in æternum beati fruamur. Pater noster, &c.

Exordium Vatidicum.

GEn. 3 v. 15. Semen mulieris conteret caput serpentis. Hoc primum Evangelium, prima post lapsum de Incarnatione filij Dei concio, à sanctis credita & à prophetis explicata, hodie impleta est, dum virgo prægnans peperit filium, cujus nomen vocatum est Immanuel. Esa. 7. v. 14. Quem exhibitum putabat Eva, Gen. cap. 4. v. 1. & Lamech, Gen. 5. v. 29. optabat rorare cœlos Esaias, cap. 45. v. 8. atq; disrumpi. cap. 64. v. 1. Cujus diem videre gestivit Abraham; Johan. 8. v. 56. Nosq; quod exhibitus sit meritò plaudimus: quia gratior Sponsi est præsentia, quàm epistola. Luc. 10. v. 23.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

SUb Imperatore Ethnico
De stirpe Juda, à virgine
Fastu carens in Bethlehem
Mundi Redemptor nascitur.
Annunciat pastoribus
Chorus coruscans gaudia,
JEHOVA nostra quod salus
Sit involutus fascijs.
Hinc angeli pandunt melos,
Soli Deo sit gloria,
In orbe pax mortalibus
Sit, & voluntas optima.

TRIPLEX SCATURIGO ET FONS SALUBERRIMUS EX HISTORIA NATI AC REVELATI CHRISTI.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod Jesus Christus natus ex Maria virgine, de quo in hoc festo*

hoc festo canitur: Puer natus in Bethlehem, &c. Sit promissum in paradiso semen mulieris, conterens caput antiqui Draconis, verus Messias. Quod Lucas quinq; circumstantiarum descriptione demonstravit ex prophetis, quod Angelus in sua concione manifestè docuit, quodq; oculares testes professi sunt pastores.

1. Quando. Legitur de tempore adventus Christi sex vaticinia in Sacris,

1. Allegoricum, Gen. 3. v. 8. de vespera mundi.
2. Gen. 49. v. 10. De amissione sceptri Judaici.
3. Dan. 2. v. 45. 7. v. 27. De quarta Monarchia.
4. Dan. 9. v. 24. De septuaginta hebdomadibus.
5. Ioel. 2. v. 28. De diebus postremis.
6. Agg. 2. v. 8. De domo secunda, cujus ornamentum Christus fuit; & sola dignitatis ejus praesentia omnibus Salomonis operibus & structuris longissimè superior fuit, quod sol meridianus lucerna non indigeat.

2. Qua de stirpe.

1. De tribu Juda. Gen. 49. De radice Jessae. Esa. 11. De stirpe Davidis. 2. Reg. 7. 1. Par. 8. Psal. 132. Ier. 30.
2. Non transferebatur hæreditas filiorum Israel de tribu ad tribum aliam; sed de familia tribus patrum suorum ducebant uxores, ut esset certa nota Messiæ nascendi de tribu Juda. Num. 36. Et hunc in usum certos constituerunt catalogos, quos Herodes jam exhibito CHRISTO combussit.
3. In Genealogia Christi habentur Judæi & Gentes, ex singulis statibus, pauperes & divites, viri & fœminæ, notorij peccatores, stulti & supplicio affecti.

3. Quanam matre: scilicet pura virgine, licèt desponsata; idq; probatur,

1. Dictis sacræ scripturæ. Gen. 3. 22. 49. Es. 7. Ier. 31.
2. Typis. Gen. 3. Exod. 16. Numer. 17. Jud. 6. 9. 1. Reg. 6. Psal. 110. Ezech. 44. Dan. 2.
3. Historijs. De Josepho. Matth. 1. De Zacharia ex Lyra. De Theodosio quodam Judæorum principe ex Suida, aliisq; ex historia Romana, de quibus consulatur Johan. Wolfius I.C. cent. primo fol. 3. 4. & 5.

4. Vbi.
1. In Bethlehem Ephrata metropoli Judæ, quod, Mich. 5. prædictum erat.
2. Fuit illa patria Davidis, ubi Boas, Ruth, Obed, Jessæ habitarunt. Hieron.
3. Locus fertilissimus, Num. 13. & domus panis.

5. Quomodo. In humili paupertate & voluntario despectu, dum prægnans virgo paupercula pedibus longum & periculosum iter ad mandatum Ethnici magistratus 20. sc. miliaria absolvit. Denegato hospitio parit in vili stabulo, infantemq; fascijs involutum reponit in præsepio, Deum & Dominum, filium, patrem, & fratrem suum, sponsum, creatorem & redemptorem. Cujus symbolum: Psal. 31. Anni mei in gemitibus. Esa. 11. 53. Zach. 9. Omnia hîc videntur abjecta & humilia, humilis domus, humiles panni, humile stratum, humile diversorium, humilis mater & humiles pastores, quibus nativitas Domini nunciatur. Hinc August: Nascitur pauper, & pauper vivit, pauper moritur, cum sit Rex cœli & terræ, Matth. 8. 2. Cor. 8. venturus judicare vivos & mortuos.

II. Quod hic puer teste Angelo sit noster,
1. Salvator, Zach. 9. v. 11. non quidem ex Ægypto, Midian vel Babylon, sed de lacu mortis liberans populum suum. Zach. 9.
2. Christus, Rex noster, Psal. 2. v. 6. & Sacerdos: Psal. 110. v. 4. quia Moses volens ostendere, quid venerationis & ministerij nomen Christi in se contineret, per unguenti mystici sacramenta eum, qui rex vel pontifex constituebatur, Christum appellavit. Euseb. lib. 1. Eccl. hist. cap. 1. Hinc nos regium sumus sacerdotium. 1. Petr. 2. vers. 9. Apoc. 5. v. 10.
3. Jehova Dominus, verus Deus, qui fuit, est, & erit. Apoc. 1. Ebr. 13. Esa. 23. 33. 43.

O res admiranda, quare & Esa. 9. Pele dicitur. Verus Deus, Dei filius patri ὁμοούσιος, splendor gloriæ ejus, Ebr. 1. nascitur verus homo

homo de incorrupta virgine, illaq; Θεοτοκον non hominem tantùm, sed Deum genuit; quia admiranda in ejus utero facta est naturarum unio. Divinitas à patre solo est, nec cepit in alvo Mariæ; sed fuit ab æterno, Psal. 2. Ebr. 1. Hodie genui te. Humana natura susceptа est de Maria, & in plenitudine temporis esse cepit, Luc. 2. Hodie natus est vobis salvator. Verùm quia istæ naturæ in utero Mariæ unitæ sunt, ideo peperit ipsa Deum & hominem in unitate personæ Jesum Christum. Propter hanc hypostaticam seu personalem duarum naturarum in Christo unionem dicitur ipse, Esaiæ 7. Immanuel:

1. Deus nobiscum, in carne nostra. Johan. 1. Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrumq; Nec assumptam carnem unquam deponit, frater & consanguineus noster. Levit. 25. Job. 19.

2. Deus pro nobis, Rom. 8. qui se pro nobis obtulit, 2. Cor. 5. pro nobis militat, pugnat & vigilat, Dan. 12. Exod. 14. Psal. 55. 121. atq; pro nobis intercedit. 1. Joh. 2.

3. Deus in nobis, tanquam in templo suo, Ioh. 14. 1. Cor. 3. 1. Ioh. 4. & apud nos: quia gaudet adesse filijs hominum. Esa. 8. Math. 18. 28.

III. Quod hic puer cum sua paupertate & divitijs, cum toto suo merito, non tantùm patriarchis & prophetis, quibus repetita est promissio; sed Nobis, Esa. 9. natus & datus sit, nec quenquam mortalium ad se confugientium despiciat. Qui cœlum condidit, & ab æterno in cœlo habitat, in terram ad nos descendit, ut nos homines ex limo terræ fabricatos, de terra in cœlum eveheret. Origen. Nisi ille natus esset carnaliter, neq; tu natus esses Spiritualiter: nisi ille portasset formam servi, neq; tu gloriam adoptionis filiorum nactus esses. Propter hoc venit in terram cœlestis, ut tu terrenus elevareris in cœlum. Cyrill. ex Amphilochio. Ille igitur parvulus, ille infantulus, ut tu vir posses esse perfectus; Ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus; Ille in præsepibus, ut tu in altaribus; Ille in terris, ut tu in cœlis; Ille locum in diversorio non habebat, ut plures haberes in cœlestibus mansiones, illius

inopia

inopia nos dicamur. Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mea virtus est. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantis vagientis abluunt fletus, illius lachrymæ meæ delicta laverunt. Plus ergo Domine Jesu injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quàm operibus, quod creatus sum. Ambros. in Luc. lib. 2. cap. 2. *Dei filius filius hominis esse voluit, ut nos faceret Dei filios, humiliavit se, ut nos jacentes erigeret, servi formam assumpsit, ut liberaret, vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret, mori sustinuit, ut nobis immortalitatem exhiberet.* Cyprian. *Quin & in tenebris noctu nasci voluit, ut lucem veræ agnitionis Dei in nobis accenderet.* Esa. 9. 60. Ioh. 1. *Consolamini ergo, qui in sordibus paupertatis enutrimini; quia vobiscum Deus est in paupertate, pauperem elegit matrem, pauperes fratres, pauperem domum, pauperes pastores, quibus paupertatis arcanum revelaret.* Bernard. *Sic mitigavit cor æterni Patris, & justam à nobis iram avertit, gessitq; impium super humeros,* Esa. 9. *ne politicum mundus speraret Messiam.*

Nihil ergo timendum Christo duce & auspice Christo. Inprimis quia gaudium hoc magnum ex immenso Dei amore, Ioh. 3. *propter immensum Mediatorem gaudium infinitum & universale contingit omni populo.* Matth. 11. 1. Tim. 2. Ezech. 33. *Omnibus Adami posteris; siquidem* Omnibus *Christus natus est, modò ipsum non negligant, qui neminem excludit.* Ioh. 6. *Hinc Augustin. Gaudium hoc omnibus commune est, quare & omnes lætentur, nec quis patiatur se segregari. Si quis sanctus est gaudeat, quoniam retribuetur ei. Si quis peccator est gaudeat, quoniam ipsi gratia offertur. Si quis Ethnicus gaudeat, quia particeps erit. Gaudete ergo sancti pueri, gaudete virgines, virgo enim vobis sponsum peperit! Gaudete justi, quia hodie natalis est justissimi! Gaudete imbecilles, quia natalis est Salvatoris & medici animarum! Gaudete captivi, quia natalis est Redemptoris! Gaudete Christiani, quia natalis Christi est! Gaudeamus servi, quia natus est hodie Dominus! Gaudeamus liberi, quia natalis est ejus, qui nos verè liberavit!* Bernard. *Gaudeat quicunq; peccato & mortis æternæ*

tis æternæ metu pressus est: Quia Jesus natus est cujus bonitas super omnia mundi peccata superabundat, &c. Gaudeant hodie omnes famelici, quia manna de cœlo descendit. Gaudeant sitibundi, ægri, leprosi, moribundi, &c. Gaudeat cœlum & terra, quia quod despoliatum erat restitutum est. Exsultent angeli, quia hodie venit, qui lapsum angelorum hominum salute resarciet. Breviter dicendo: Regibus natus est de regia prosapia, servientibus formam servi induit, & opilionibus prædicatus est, muliebri sexui de virgine natus est, operarijs à Josepho educatus est, prægnantibus in utero gestatus est, infantibus infans, pauperibus & afflictis, pauper & contritus est. Ebr. 4. vers. 5.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt de hoc Immanuele nostro semper gaudeamus, meditemur, loquamur & cantemus. Pudeat nos, quod pueri nostri magis lætentur de oblatis in nomine Jesu munusculis, quàm nos de ipso Jesu; Quod in tantarum rerum contemplatione nocte dieq; domi foriscq; non versemur; Quod aliud aliquid hisce diebus ex ore nostro proferatur, quàm filium Dei in Bethlehem de virgine natum, fascijs involutum, reclinatum esse in præsepi. Hæc meditatio triplicitèr commendabit fidem nostram & triplici bono

1. Humilitatem & mansuetudinem, ut ad regis nostri, qui ceu novissimus virorum reputatus est, nos componamus exemplum; Typus extat. 2. Sam. 15. v. 30. Quid vilius homuncio & olidum sterquilinium superbiat? Bernard. Verè intolerabilis est superbia, ut ubi exinanivit se majestas, infletur & intumescat vermiculus. Idem. O Homo quid sollicitus es de regio palatio? Ecce Rex tuus jacet in præsepio. Quid cogitas de pretioso indumento? Rex tuus induitur vili panniculo. Sic & qui in puerperio nullis parcunt sumptibus, hoc præsepe intueantur.

2. Contemtum divitiarum & deliciarum hujus mundi, quia exules in stabulo cum Christo hic diu non commorabimur.

nos afficiet. Discemus,

bimur. Aspiremus ergo ad cœlestia. Viatores & peregrini sumus quibus commorandi, non habitandi hîc diversorium à natura datum est. Si quis ita vivit, ut se semper hic victurum putet vel desideret, & exilium præ patria eligit, nec patriam veram inquirit, ille parùm Christianè vivit, sortemq; promissam in terra-sancta cum filijs Ruben & Gad, Num. 32. repudiat.

3. Patientiam, ut amplectamur labores, cùm DEVS proprio filio non pepercerit, sed ipse multoties esurijt, sitim perpessus est; fugit exul in Ægyptum, in fœno ac stramine dormivit, & nihilominus filius fuit Dei dilectissimus. Sic hæc cunabula inspiciant arrogantes, & deponant fastum, inspiciant pauperes, & desinant desperare. Hunc enim in finem delegit sibi Christus duas cathedras, alteram in præsepio, alteram in cruce, ut in hac patientiam laborum, in illa humilitatem mortales doceret.

Idem *Fructus simul requirit, ut hunc Immanuelem ex profundis cordis nostri visceribus diligamus; quandoquidem nihil deest nobis, quod nos ad ipsius amorem incendere deberet: Quia,*

1. Totus noster est, & nemo non amore prosequitur illa, quæ sua sunt, conjugem, parentes, sobolem, fratres, amicos, &c.

2. Summa in nos beneficia contulit.

3. Graves & acerbos pro nobis perpessus est labores.

4. Simile simili gaudet. Gen. 3. Esa. 7.

5. Consanguinitatis vinculo & naturæ fœdere nobis conjunctus est.

6. Ipse dilexit nos, & ardet amore pari, qui scit se amari.

7. Virtute & bonitate ejus ad amorem incitamur. Eph. 5. Rom. 5.

8. Ereptos ex summo periculo adeò fideliter præmonuit. Luc. 13. 21.

9. Speciosius

*

9. Speciosus est præ filijs hominum. Psal. 45.

10. Linguam habet eruditam. Psal. 50. Esa. 50. 61.

11. Heroica virtute suos & nostros hostes debellavit. Act. 10. 1. Joh. 3.

12. Infans, pauper, parvulus & nudus apparuit, ut ipsum, ceu Pharaonis filia Mosen, infantulum diligeremus. Exod. 1. Et velut Elisæus, 4. Reg. 4. inclinatur jacentibus, æquatur parvulis, cæcis applicat lumen, osculo solvit ora muta, & manus emortuas roborat contactu suo. Bernard.

Tandem suadet, ut pro familiari consuetudine Christum, quia natale ejus festum est vinculis amicitiæ alligemus, oratione scilicet, quæ vincit invincibilem & ligat omnipotentem; Bernard. Gen. 32. v. 26. Exod. 32. v. 10. & impetrabimus ut sese magnifico aliquo munere solvat, non equidem fundendo vinum aut mulsum, sed liberando nos à vinculis hostium nostrorum, Rom. 7. communicando nobis gratiam, vitam & Spiritum sanctum, meritum lachrymularum suarum, quas vagiens arcto in præsepio, posteaq; Joh. 11. Luc. 19. emisit.

II. Ut, quod hic in civibus Bethlehemiticis & in Samaritanis, Luc. 9. desideratur, peregrinos libenter hospitio excipiamus, Rom. 12. 1. Tim 3. Tit. 1. Ebr. 13. Christumq; & membra ejus benignè tractemus, Matth. 25. Gen. 18. 19. 24. Jos. 2. 1. Reg. 17 2. Reg. 4. Luc. 10. 19. Actor. 10: Simul tempus in quo vivimus consideremus, quod & ipsi qui articulus adventum Christi numerare; & ex prima hac descriptione exhibitum agnoscere debuissent, turpiter neglexerunt;

O miseri dum tempus adest cognoscite tempus.

ut ad diem novissimum, quem præterita & præsentia signa propinquum esse docent, piè nos præparemus. Deniq; cunas infanti Christo adornemus in cordibus nostris, ipsumq; osculemur, Psal. 2. fide, & confessione.

III. Ut cum opilionibus his vigilanter custodiamus gregem nostrum,

strum, corpus & animam nostram, sensus & affectus nostros, ne ad caduca & voluptates dilabantur, & fenestram secundæ morti aperiant; nec opus, ad quod conducti sumus, otiosè tractemus, aut fraudulenter. Col. 3. Item noctu cæli atria percurramus, & regem cæli precibus ac laudibus honoremus: Psal. 119. quandoquidem nec mundi amatores totas indormiunt noctes, sed aliquid temporis quieti corporis subtrahunt, prohibente apud quosdam somnum ægritudine, quod salutare, apud quosdam verò, quod dolendum, avaritiâ. Chrysost. Non propter hoc facta nox est, ut semper dormiamus. Anima noctu purior, levior & subtilior, magis sublimis & agilis est. Quin & fabri ferrarij maximam noctis partem juxta fornacem inter ignem & fumum cum ferro decertantes absumunt. Crede mihi non ita rubiginem ignis excoquere solet, sicut oratio nocturna nostrorum rubiginem peccatorum. Deniq; quæramus Christum in Bethlehem, ubi panis vitæ distribuitur. Joh. 6. In fascijs sacræ scripturæ. Joh. 5. In præsepi Sacramentorum. Sic Angelus concionem ex prophetis concinnavit: Ecce, Esa. 7. evangelizo, Esa. 40. vobis, Esa. 9. Omni populo, Gen. 22. Salvator, Zach. 9. Christus. Psal. 2. Jehova. Esa. 42. Bethlehem. Mich. 5. David. Esa. 11. Memoresq; tam difficilis quod pro nobis Christus absolvit itineris, cum agnoscat bos & asinus præsepe Domini sui. Esa. 1. Non gestemus pedes plumbeos: sed proni & alacres, quod ignis propè accedentes, non longè distantes calefacere soleat, ad Christum frequenter accedamus, eumq; humiliter, ne emoriatur amicitia, visitemus. In orat. Chrys. de Philog.

Finis & Præmium Fidei Triplex.

I. *Quod per Incarnationem CHRISTI elevati super Angelos, Ebr. 2. v. 16. feliciores futuri simus in die resurrectionis, quàm Adamus ante lapsum, conditus quidem à Deo, sed nondum tum temporis Dei consanguineus, nec confirmatus. Bernard. Caro nostra gloriosa est, Deus homo factus est. Augustin. lib. Med. cap. 5. Vbi caro*

mea

mea glorificatur, ibi me glorioſum eſſe agnoſco. Similes ergo Angelis tàm corpore, quàm anima fulgentes erimus, dabitur enim corporibus ſanctorum ineffabilis claritas, nec ceu aurum & argentum, ſed velut ſtellæ & ipſe Sol lucebunt. Dan. 12. Matth. 13. De Alexandro legitur, quod pro declarandâ certis temporibus majeſtate ſua aureo talari uſus ſit in aureo ſolio, fueritq; regia illa veſtis artificioſè picta, inſcripto cæli firmamento. Act. 12. v. 21. Herodes regia veſte ſuperbivit. Loliæ tunicam ſmaragdis micantibus precioſam fuiſſe traditum eſt. Sed electis Dei major gloria continget, quia erit in illis cœleſtis gloria, lux magna & ſplendor angelicus, de quo invicem cum ſumma admiratione ſibi gratulabuntur. Eſa. 65. Licètq; in vita æterna diſſimilis futura ſit illa claritas; 1. Cor. 15. prout fidem in Chriſtum diligendo, docendo, orando, & crucem ferendo in tota vita demonſtrarunt: nulla tamen ibi regnabit invidia, teſte namq; Chryſoſt. in Epiſt. ad Ebræ. juſti etiam in hoc erunt mirabiles, quod ſicut de proprijs bonis, ſic gaudebunt de bonis fratrum. Auguſt. ſuper Johan. Non erit aliqua invidia diſparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.

Renovabitur quoq; anima in ſua ſubſtantiâ, ſiquidem per lapſum deformior facta eſt, ſicut & Sol & reliqua creata in integritate ſua non permanſerunt. Cùm autem renovanda ſit facies terræ, Pſal. 104. & glorificanda corpora noſtra; certè nec animam, quæ præcipua pars hominis eſt, negliget Deus, ſed implebit illam ſplendoribus. Eſa. 58. Quorum meditatione Auguſt. & Bernard. exclamant: Qualis erit ſplendor animarum, quando Solis claritatem habebit lux corporum? Sed verbis hæc exprimi non poſſunt. Videbimus autem ſuo tempore cum jucunda admiratione. Velut Danieli viſus eſt, cap. 10. v. 6. Angelus, cujus corpus velut Tharſis & facies ſicut fulgur, oculi verò ut lampades ignis, & brachia pedeſq; ſicut color æris candentis, &c.

II. Quod in cœlo accepturi ſimus perpetuum & ſummum, de quo hoc loco Angelus gratulatur electis, gaudium. Joh. 16. Eſa. 65. Apoc. 19. v. 7. auditur vox turbæ magnæ & multæ in cœlo dicentis

Halleluja, gaudeamus & exsultemus, & demus Deo gloriam. In hac vita pro misericordiâ suâ Deus interdum spirituali gaudio pectora sanctorum demulcet, Rom. 8. sed quia hic sunt mala mixta bonis, & catenati dolores, sapissimè depulso gaudio mœror anxius præcordia torquet. In vita autem cœlesti ejusmodi vicissitudo non erit. In hoc exilio multi se frontem exporrigere simulant, cum luctus interim animam miserè coarctet. Multi lætitiæ suæ in actum producendæ certum tempus constituunt, sed intervenit repentina calamitas. Multi splendida convivia adornant, quæ in lachrymas & lamenta erumpunt. 1. Sam. 25. Job. 1. v. 18. Dan. 5. Dum hic vita trahitur sæculi lætitia impunita est nequitia, miscetur levitas, cantantur flagitia, August. super Psal. 18. tantò libentius, quantò immundius. Gaudia hujus mundi quantumcunq; excellentia tandē mortalibus tadium & nauseam pariunt, finiturq; gaudium carnis in carne. Chrysost. Et tandem mortale gaudium evanescit. In cœlesti autem patriâ anima nostra exsultabit & lætabitur ex intimis thalamis spiritus nostri. Nec perturbabit aut interrumpet Satanas lætitiam nostram, nec amplius infundentur lachrymæ. Joh. 16. Dabitur nobis sanctum & Deo placens gaudium, purum ac intemeratum, absq; omni tadio perpetuò jucundissimum, ut corpus & anima nostra exsultet in Deo vivente. Psal. 94. Esa. 61. Nec gaudij hujus finis erit. Idq; non uni aut alteri, velut in hoc sæculo, paucis lætantibus plurimi lamentantur: sed singulis & omnibus in Christum credentibus erogabitur largissimè.

III. Quod absq; omni dissonantia, quam hic cogitationes carnales & delicta pariunt, dum multi labijs tantùm ad Deum appropinquant: Esa 29. & ore & anima ex intimis cordis nostri fibris perpetuò & perfectissimè in cælo cū Angelis cantabimus: Sanctus, Sanctus. Esa. 6. Gloria in excelsis Deo. O quàm dulcis & beata hæc erit musica! Ubi angeli suo modo tibijs & tubis, æternum Patrem cum Filio & Spiritu celebrabunt, nosq; voces nostras elevabimus:

Jesu

Jesu tibi sit gloria,
Natus Redemptor gaudia
Immanuel Rex optime,
Grates Iesu dicimus,
De virgine quod castissima
Nobis dederis cœlestia,
Toto tibi de pectore
Per te quod hostes vicimus.

Si varia instrumenta musica sibi invicem elegantissimè accommodata, unquam hominem recreârunt; & quisquam concentu ac suavitate musices oblectatus fuit, sic ut molestè ferret si quis hoc tempore strepitu aut colloquio dulcedinem illam interciperet, quamvis id aliàs gratum foret & necessarium: Si cithara Davidis dulce refrigerium Sauli contulit, 1. Sam. 16. v. 23: Si quis unquam in convivijs honestioribus ex tubarum vel tympanorum sonitu voluptatem percepit, aut psalmodia sancta & musica vocali suaviter figurata delectatus fuit unquam: Si hîc jucundum est laudare Deum in clangore buccinæ, in cymbalis sonoris, fidibus & organis. Psal. 150: Certissimè in choro cœlesti, in concentu Angelorum & hominum ineffabilis erit jucunditas, quæ quidem hic acquiri potest, æstimari non potest. Maximus in Homil. Hyemali. in Vigil. Natal. Domini. Quanta nos accuratione æterni Regis nostri Jesu Christi natalem suscipere debemus, qui pro devotione nostra non nobis temporalem largitur gloriam, sed æternam. Nec terreni honoris administrationem dabit, quæ successore finitur; sed cœlestis imperij dignitatem, quæ non habet successorem. Narrabant veteres, hominem quendam sacris deditum in sylva amaniore deambulantem audivisse aviculam miro modulaminis arte & vocis suavitate aëra & aures animamq; ejus ita demulcere, ut subitò effluerent anni centum, cum ipse extra se raptus, ne unius quidem horæ spatium elapsum putasset. Inde autem reversus monasterium & templa, urbem domosq; partim desolatas, partim renovatas, & totum rerum statum immutatum cernens, Angelum sibi præcinuisse deprehendit. Hac igitur narratiuncula dulcedinem hymnorum cœlestium, quibus mille anni tanquam dies unicus præterierunt, depingere conati sumus; si enim tantùm unus præsiterit, quid non faciat totus chorus Angelicus?

Feria

Feria II. Nativitatis, quæ Stephano Protomartyri consecrata est.

DE INGRATITUDINE JUDÆORUM ERGA MINISTROS DEI, EJUSDEMQUE POENA.

Evangelium Matth. 23. à v. 34. usq; ad finem.

PRÆFATIO SUPPLEX.

ABlegavit Deus ad populum suum prophetas, sapientes & scribas, sed illos flagellârunt, & occiderunt. Venit ipse Filius Dei volens convocatos congregare, ceu gallina pullos sub alis suis. At ipsi noluerunt. Taxavit illorum vitia Stephanus, sed obturaverunt aures, attendere noluerunt, & ipsum lapidibus obruerunt. Absit à nobis tanta improbitas & verbi divini contemtus, idq; dum hodie proponetur nobis, orandus Deus est, ut paternè largiatur nobis per Spiritum sanctum cor rectum, attentas aures, & linguam eruditam. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

MAlach. 4. v. 2. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol Justitiæ, & salus erit sub alis ejus. Quod autem Jehova Ecclesiam suam in umbra alarum suarum abscondere, Psal. 17. v. 8. velit, & sperantes in umbra alarum ejus, Psal. 57. v. 2. in eadem commorabuntur, Psal. 91. v. 1. ex suavissimo ore Christi in hodierno Evangelio confirmatur. Quamvis plurimi oblatam gratiam aspernentur. Ose. 13.*

PERIO-

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTVS METRICA.

VErbum Dei factum est Caro,
Misitq; vates plurimos,
Ecclesiam optans colligi,
Gallina ceu pullos fovet.
Judæa gens crudeliter
Petram salutis reprobans,
Cæsis Dei præconibus,
Parere stulta noluit.
Terram hostis ergo diruit,
Domusq; sancta corruit,
Cruorq; sanctus obruit
Dignos furore Judicis.

TRIPLEX PROMOTIO SALUTIS EX HOC EVANGELIO.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Deus paterna & propitia voluntate cupiat omnes homines salvari, nec ullum ipsi gratius sit opus, quàm nos de regno Satanæ liberari, Ezech. 33. v. 11. & converti à vijs impijs ne moriamur. Hoc bonum & acceptum est coram servatore nostro DEO, 1. Tim. 2 v. 3. 4. ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant & serventur: 2. Thes. 5 v. 9. Quia non constituit nos Deus ad iram.

Testimonium hujus divinæ vo-

1. Quod filium Dei, ad quem pervenire nostris viribus nunquam potuissemus, nos dilexerit, Eph. 5. ad nos venerit, nobis natus sit, Luc. 2. & mortuus pro peccatis nostris. Rom 4.

2. Quod ab initio miserit, mittatq; salutis præcones,

luntatis Triplex.

* operarios sanctos, Matth. 13. Luc. 9. in messem Spiritualem Deus, quorum pedes jucundi in montibus, Esa. 52. dum Evangelizant, v. 7. pacem & salutem annunciant: ut sic audiatur & credatur, Rom. 10. & propagetur regnum Dei per homines, ne circumveniat nos Satan in formâ Angeli. 2. Cor. 11. Gen. 1.

3. Quod mirabilem curam & solertiam divinæ providentiæ & ineffabilem suum erga genus humanum amorem, Christus cum amore gallinæ comparat, quæ cum alias timeat atq; fugiat homines, amore pullorum timorem superante, ob illorum defensionem quemvis etiam hominem aggredi non veretur.

Divina providentia pro majori labore in pullorum educatione, majorem avibus amorem quàm pecudibus ingeneravit.

1. Quia aviculæ cum fame & siti ovis incubant atq; marcescunt, animalia autem gravida usq; ad horam generationis pascua sequuntur.

2. Pulli avium implumes sunt & imbecilles, cùm fœtus animalium subitò pedibus utantur.

3. Aves cibum jam in viscera condendum sibi ipsis præripiunt, ut sic pullos alant, quod sine magnæ charitate fieri non posset, nec expediebat, ut aves quæ ad volandum conditæ sunt, ubera lacte distenta, quæ pondere volatus impediretur, gestarent, ceu reliqua animantia, quæ de cibo jam concocto pullis lac præbent.

II. Quod Satan & Mundus, licèt truci odio ardeant contra Ecclesiam, & impij indignentur quando taxantur, Chrysost. super Epist. ad Ebræ. Hom. 30. non pro lubitu suo invadant verbi ministros, quomodo & quando velint: sed ipsis præscriptum est quosnam debeant flagellare, proscribere, decollare, comburere, &c. Abel occisus est. Noha, Lotb, Moses ab auditoribus afflicti sunt. Elias exul. Elisæus derisus est. Esaias serra dissectus est. Jeremias, Zacharias, Stephanus lapidati, Vrias gladio, Amos hasta interfectus est. Baptista, Jacobus

Jacobus Major, Paulus, decollati sunt. Jacobus Minor de templo præceps actus. Petrus & Andreas crucifixi sunt. Polycarpus, Ignatius, Johannes Hus combusti, &c.

Quod autem tam multi inde ab initio Prophetæ & Apostoli cum martyribus ad macellum ducti sint, promissione divina factum est,

1. Vt videamus regnum Dei non esse de hoc mundo, sed vitam restare æternam.
2. Ne videantur mercenarij, sed edant doctrinæ testimonium.
3. Vt Christo conformes militent. Rom. 8.

Sic ergo aperto cœlo Stephani mortem Christus aspexit, nec capillum amittit, Matth. 10. nec lapide tangitur, nisi juxta voluntatem Christi, qui prævidit hoc mortis genus, & locum, & momentum, semperq; afflictis potenter adest, 1. Cor. 10. & cum tentatione auget robur & gratiam; ut persecutionum impetum sustinere possint. Cum itaq; mundus in pios homines maximè sævit, tunc DEVS maximè blanditur, & quò magis calamitatum immanitas crescit, eò magis divini præsidij lumen affulget. Contemplare Josephum in carcere, Israel in Ægypto, Eliam in fuga, 1. Reg. 19. v. 7. Danielem inter leones, tres viros in fornace, Petrum, Act. 12. Paulum, Act. 16. 18. 27. & Stephanum, adversus quem dum Judæi lapides fulminant, ipse apertis cœlis videt gloriam Dei, & Jesum à dextris virtutis Dei. Porrò non omnes sed aliquos tantùm occident: ait enim Dominus, Joh. 16. Sinite hos abire. Sic Noha, Loth, Jonas liberati sunt, & Elisæus in Dothan, 4. Reg. 6. Apostoli, Act. 5. Paulus, Act. 23. & Athanasius circumdatus à militibus Juliani, evaserunt.

Tandem sicut violentas manus injecerunt, licèt ipsi dicant Dominus oblitus est, tamen in divinæ mentis libro annotatum est, scriptum Esa. 65. & signatum, Job. 21. in oculis Dei. Sic ergo Abelis ante 4000. annos Gen. 4. occisi meminit Christus, & Zachariæ Jojadæ filij. 2 Paral. 24. & 1. Reg. 15. Saul jubetur demoliri Amalechi universa, propterea quod ante trecentos & eò amplius annos Israeli in via restitisset.

III. *Quod hostes verbi divini & ministrorum ejus persecutores gravissimè à Deo puniantur, nec ullus unquam patientia divina in furorem mutata finaliter bene egerit; Psal. 37. 109. quia Christus non tantùm, Esa. 9. Puer, sed etiam Gibbor dicitur. Ibid. v. 6. & Psal. 45. v. 4. Nec tantùm Agnus; Joh. 1. sed etiam Leo. Apoc. 5. Esa. 53. Sicut ovis ad occisionem ductus; sed Apoc. 6. clamant improbi: Defendite nos ab ira Agni, qui quàm patiens fuit tolerando tyrannos, tam vehementer ira ejus excandescet.*

Recensetur in Textu pœna Triplex.

1. *Veniet super eos ingens diluvium sanguinis justorum, clamantis de terra. Gen. 4. Notetur hoc loco historia de scaturigine sanguinis in templo, cujus Euseb. in Chron. de Joas 10. rege in Juda, August. Con. 242. de Temp. meminit, quam Nebuzardan cadendo multa millia Judæorum obturare conatus est. Sanguis sanctorum fundamenta & muros sanctæ civitatis Adamantinos confregit, & delectati sanguine, ut satiarentur concretus sanguis tempore vastationis imaginem piscinæ retulit. Nec ullus unquam tyrannus impunè egit; quia ubiq; habent accusatores ultionem postulantes. Infra se, sanguinem & cineres occisorum: Circa se, cœtum Christianorum gementem: Supra se, animas mactatorum propter verbum Dei. Apoc. 6. v. 10.*

2. *Domus eorum relinquitur deserta, Regioq; vastatur cum religione, ut fame spirituali torqueantur animæ. Amos. 8.*

3. *Si hîc pœna differtur, certè cum revertetur Christus ad judicium rationem reddere cogentur. 2. Par. 24. v. 22. Jer. 26. v. 15. Et maledictis annumerati confitebuntur, Rom. 14. Christum esse Dominum, cum infligetur ultio ijs qui Evangelium non receperunt. 2. Thes. 1. v. 8. Tunc non obturabunt aures, nec frendebunt dentibus, nec flagellabũt. Quid tunc respõdebunt Christo? quid Stephano? quid nobis? Si quis, quod Deus avertat, à salutis semita aberret.*

II. Fructus

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. *Vt Verbum Dei, & præcones ejus grato animo hilariter excipiamus, nec tangamus pupillam oculi Domini. Zach. 2. v. 8. Noli me tangere. Discamus punitorum exemplo cautius mercari, & pastoribus animarum nostrarum declaremus,*

1. *Reverentiam & honorem. 1. Tim. 5. v. 17. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè ij qui laborant in sermone & doctrina.*

2. *Dilectionem & gratitudinem. 1. Thes. 5. v. 12. Rogamus ut agnoscatis eos, qui laborant inter vos, qui præsunt vobis in Domino & admonent vos, diligite eos propter opus illorum, & pacem colite cum illis.*

3. *Obedientiam. Ebr. 13. v. 17. Obedite illis, qui præsunt vobis & obsecundate; vigilant enim illi pro animabus vestris, &c.*

II. *Vt suavissimam vocem Christi, Matth. 11. v. 28. cupientis nos congregari ac defendi, patulis auribus recipiamus, & ad umbram alarum ejus sedulò confugiamus; Psal. 57. ne Leo Satan nos devoret, neglectáq; gloriante in prædam cedamus rugienti. 1. Pet. 5. Spiritualiter mortui, fragiles, miseri, inermes & imbelles, si à gallina Christo recesserimus, in vitæ ac salutis discrimen conijcimur, & cum dolore atq; dedecore occinetur nobis:* Vos noluistis.

Frequenter contingit, ubi taxantur delicta, & mortales ad vitæ emendationem pietatemq; instigantur, ut oggannant nobis: Nolumus, *verùm ubi maledictis annumerati, cur non ad dexterã Dei collocẽtur, interrogabunt, respondebitur illis:* vos noluistis, *& dicente Judice:* Abite cum Satana, *non respondebunt amplius:* Nolumus, *imò trahentur. Hæc ergo dum adhuc tempus emendandi superest altius menti infigant. Aliàs cum infelices illi concessa à Deo ad piè vivendum adjumenta ad memoriam revocabunt, videbunq; se æternis cruciari*

tormentis, & à beatorum consortio Deiq; conspectu excludi, ad quem fuerunt tot vocibus invitati, tot beneficijs allecti, tot exemplis excitati, cum intelligent se æternas delicias brevissima voluptate commutasse, & modò damnati quærendæ salutis oportunitatem neglectam nec unquam redituram ponderabunt, seq; toties præmonitos & per Christum rogatos recordabuntur, quod pro rebus nihili tantam gratiam ultrò oblatam neglexerint, & Christo ipsos vocanti propter causas levissimas obstinato animo restiterint, adversum se ipsos furore insanient, parentes, amicos & scelerum socios execrabuntur, & in perpetuo fremitu viventes, quod venire noluerint ad Christum, mortem frustrà invocabunt. Veluti Rex Zedechias, 2. Reg. ult. si parva licet componere magnis, cum in Chaldæorum potestatem venisset, & jam dirutis mœnijs exustoq; templo, filios & filias ante oculos suos jugulatas vidisset, ipse effossis oculis in tetrum carcerem conjectus cum summa animi amaritudine recoluit, se, cùm toties oratione Jeremiæ tantæ calamitatis admonitus fuisset, & hanc malorum procellam evadere potuisset, leviter fideles monitus spreviſſe & noluisse, unde cruciatibus confectum lachrymas fudisse, & miserandam nativitatis suæ sortem deflevisse consentaneum est. Sed video, opto & spero, multos hîc moveri & ingemere, eosq; jubeo bene sperare atq; progredi; ne ficus, Luc. 13. v. 6 quæ hactenus terram inertem reddidit, non invento fructu excindatur, ipsiq; tragicè pereant cum venire nolentibus. Ioh 5. Matt. 22. Qui si vocati essent ad levandam pecuniam, certè vel ex media concione advolassent.

III. Ut cum Stephano & omnibus martyribus Christum constanter ad finem usq; confiteamur, doctrinamq; si opus fuerit, proscripti, flagellati, occisi morte obsignemus, sicut ille teste Bembo:

Ibat ovans animis, & spe sua damna levabat.

Et gaudentes cum Apostolis, Actor. 5. v. 41. gratias agamus DEO, quod digni habeamur pro nomine Jesu contumelia affici.

III. Trium-

III.

Triumphus & Finis Fidei Triplex.

I. *Quod mors Sanctorum gloriosa sit in conspectu Dei: Psal. 116. quoniam glorificati sub umbra alarum Christi, Mal. 4. perpetuò habitabunt, sicq; Act. 6. v. 15. intentis in Stephanum oculis omnes qui sedebant in concilio viderunt faciem ejus quasi faciem Angeli; verè hæc gloria devicta morte in cœlo major erit, & angelico splendore refulgebunt, quia donabuntur stolis albis, Apoc. 6. v. 11. & gaudebunt judicari & vindicari sanguinem suum de ijs qui habitant in terra, post paululum temporis, ubi quoq; conservi & fratres eorum trucidati fuerint, sic videbunt oculis suis retributionem impiorum. Psal. 91. v. 8.*

II. *Quod omnes piè decedentes & cum Stephano in agone dicentes: Domine Jesu suscipe spiritum meum, licèt id exclamando non proferant, in luctâ mortis videant cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei, & velut in procinctu adjuvare paratum. Quis mortalium, si omnes totius mundi divitias unus haberet, non eas hoc proposito spectaculo libenter amitteret, & vitam morti promptissimè offerret? Quare & minus mirandum, quod martyr invictus pro ipsum lapidantibus Dominum invocaverit, quorũ rabie & furore ad tantam gloriam festinanter pertingebat, juxta illud Polycarpi: Occideris me, beaveris me. O Homo quanti hanc gloriam redimeres? Euge age pœnitentiam, crede Evangelio, perfer & obdura, immola Deo preces, promptus est Dominus, & voti compos eris.*

Chrysost. Hom. 47. ad populum Antiochen: In terra certas, in cœlo coronam habebis, ab hominibus puniris, sed à Deo honoraris.

Liberata ex corporis ergastulo anima subitò absq; mora & longiore profectione in eodem momento gloriam Dei videbit, nec indigebit ascensu aliquo; quoniam Dominus Jesus cum regno suo in medio nostri est. Constat hoc ex Salvatoris similitudine de gallina & pullis. Ovum quasi primo natum per se mortuum calore naturali incubantis gallinæ

tis gallinæ pullum profert, qui vitam adeptus & crustæ inclusus audit quidem atq; pipit; siquidem fragore & strepitu multoties antequam excludantur vitam perdunt. Nihil autem ejusmodi pullus jam suo modo in mundo versans & vita donatus videt, nullo fruitur, antequam tenello rostro ovum perfregerit, & sic rupto putamine egrediens matrem sequitur, cibumq; appetit & defensionem. Eadem ratio est vitæ nostræ: Quia juxta carnalem nativitatem spiritualiter mortui per regenerationem & renovationem in baptismo, Johan. 3. Tit. 3. vitam spiritualem in regno Christi in cælo Ecclesiæ agimus, peccato & ejus stipendio circundati, & quasi squamas ob oculos gerentes, Actor. 9. v. 18. loquimurq; de Deo & rebus cælestibus, sed in regno fidei oculi nostri gloriam Dei non intuentur; 1. Cor. 2. Donec tandem per beatum obitum emigrans anima Jesum Christum, velut pullus matrem videat, vocem ejus perfectissimè agnoscat, ipsum sequatur, & Angelis electisq; associetur. Hoc est quod Paulus cum gemitu optat, Rom. 7 v. 24. Miser homo quis me eripiet ex isto corpore mortis! Sic ergo St phanus plenus spiritu ac virtute in Ecclesia præco & membrum Christi, cum in ipso esset Regnum Dei, quod est, Rom. 14. v. 17. Justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, quo obsignatus erat, de Christo audit & loquitur, hostes Christi sertò arguit, & Jesu nomen imperterritè confitetur, se beatum & jam in cælo constitutum agnoscit, licèt in fide nec in videndo versetur. Nihil itaq; facit hostium sententiam, nec horret mortem primam, quod per eam in vitam, in cælum tertium detur transitus. Et quidem peculiare hoc ipsi donatur à Deo, ut nondum deposita vita hac mortali sævientibus contra ipsum Judæis, in persecutione & agone videat cælum apertum, & gloriam Dei, Actor. 7. v. 55. Jesumq; stantem ad dexteram Dei, quod manifestè proclamat, &c. Est Stephanus in curia coram senatu, sub tecto & contignatione, nec videt in cælorum natura quid mutatum, nec scissuram aliquam cæli, ad quam oculi ejus transcenderent, sed data est Stephano nova & spiritualis oculorum acies, qualis omnibus datur piè in Christo defunctis, eaq; per obstacula

omnia

omnia usq; ad invisibilem regni cœlestis gloriam penetrat, quæ ipsi soli in hoc confessu & tanto conventu fuit conspicua. Augustin. de cognit. veræ vitæ cap. 42. inquit: Illud non fuit materiale sed spirituale cœlum, in quo tunc erat Stephanus, nec via fuit aliqua ulterius absolvenda, tantummodò ut corporis tabernaculum deponeret, quod per lapides Judæorum factum est, quo spiritum suum Christo commendavit, & extemplo cum eo fuit. Eadem ratione multi morti vicini confidenter pronunciant, sibi portam paradisi apertam, in quo jucunda & amœnissima quæq; perspiciant, optant propterea dimitti & bonis illis cœlestibus frui. Augustin. de cognit. vitæ æternæ. cap. 4. Quod dicitur & ducitur animas deportari in cœlum, pro captu nostro dicitur, cum videatur nobis cœlum ultra splendorem Solis fulgere. Quando autem animæ dimittuntur, localiter non moventur, nec ad locum corporalem ducuntur, unde Deum intueantur: Sed ubi à corporibus segregantur subitò angelis & electis adjunguntur, & Dei conspectu intra & extra mundum fruuntur absq; mora. Vt si cæcus soli expositus solis claritate, si oculi ejus aperirentur, illico frueretur.

III. Quod oculi nostri Christum videbunt revertentem, Job. 19. ipsiq; cum æterno jubilo obvij cantabimus: Benedictus qui venit in nomine Domini, & cum Stephano verè coronati consequemur coronam honoris, 1. Pet. 5. Justitiæ, 2. Tim. 4. vitæ, Apoc. 2. quam reddet Dominus Jesus omnibus illis qui exspectant illustrē ipsius adventum. 2. Tim. 4. v. 8. Nec frustra Tyranni electos Dei persequuntur. De Antiocho legitur, quod ante Christum Anno 167. instinctu Satanæ illo ipso die, quo postea natus est Christus, templum Hierosolymitanum erectis in eo idolis in ignominiam venturi Messiæ, quod tamen post annos 5. repurgatum est, prophanaverit. Euseb. annotavit, quod Diocletianus Nicomediæ die Natali Christi 20000. Christianos in templis crudeliter trucidari jusserit. Maximinus, teste Nicephoro lib. 7. plurimos in templis occlusos combussit, qui publicum de nativitate Christi gaudium, ejusq; confessionem ipsi vitæ præferebant, & sic varijs modis Satan per membra sua diem hunc factum

ctum incarnatione Christi glorioſum, cruentum fecit & lamentabilem. In regione autem viventium gaudium noſtrum non perturbabitur; ſed populus Dei ſedebit in pulchritudine pacis. Eſa. 32.

Sic ergo animæ noſtræ per piam emigrationem cælo capiuntur, & gloriam Dei coram Chriſto ſpectant. Et corpora noſtra in die judicij Domino Jeſu in nubibus conſpicuo ſeu viſibili cum infinito gaudio occurrent, & cum jubilo triumphabunt.

Feria III. Nativitatis, quæ dies eſt Iohannis Evangeliſtæ.

DE OBEDIENTIA CHRISTO PRÆSTANDA, ET FUGIENDA CURIOSITATE.

Evangelium Joh. 21. à v. 20. uſq; ad 25.

PRÆFATIO SUPPLEX.

PRO demonſtranda dilectione qua Chriſtum proſequebatur, juſſus eſt Petrus paſcere προβατα τὰ ἀρνία, oves & agnos Chriſti, & ſequi Chriſtum Dominum ſuum. Idemq; noſtri eſt officij, ut tam vitâ, quàm doctrinâ ad fontes vivos & paſcua divina à nobis vos educti, reddamini pingues & fortes, ſaturi ac beati. Cum autem hîc virtute & ſapientia Spiritus ſancti opus ſit, eam à Deo patre in nomine Principis paſtorum Jeſu orando impetrabimus. Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

VAticinatur David, Pſal. 23. de Chriſto, quod ſit verus paſtor deducens oves ad germina & aquas ſalutis, illumq; in finem ipſe Princeps paſtorũ in hoc Evangelio Petrum atq; Johannem conſtituit ſynergos, paſtores & miniſtros, illuq; quoniam Vrim & Thumim, Exod. 28. id eſt, Jeſum Chriſtum, quem etiam in morte confeſſi ſunt, geſtârunt

ſtârunt in cordibus ſuis, inſpectionem ovilis ſancti ſeriò committit, & de cruce tollenda & ferenda maturè præmonet. Luc. 9. v. 23.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

OVes amore debito
Chriſti jubetur paſcere,
Chriſtum ſequi, mori in cruce
Petrus: Dei hæc eſt gloria.
Johannis ille protinus
Quæ ſors futura ſit rogat?
Sed his omiſsis propria
Tractare diſcit, & ſequi.
Hæc annotavit Apoſtolus
Dilectus à Chriſto intimè,
Teſtis fide digniſsimus,
Et ipſa ſunt hæc veritas.

TRIA SALUTIFERA EX HOC TEXTU, DILIGENTER RUMINATO ET FIDELITER auditoribus præmanſo, pro animabus noſtris viridaria.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

1. *Quod ſimus oves paſcuorum Archipaſtoris Chriſti, Pſal. 100. v. 3. de quibus ipſe Creator noſter maximè eſt ſollicitus; Ezech. 34. v. 11. 12. 13. 14. ſic enim, Ibid. v. 15. inquit Jehovah: Ego paſcam oves meas, & ego accubare eas faciam, perditam requiram, & abjectam reducam, confractam obligabo & ægrotam conſolidabo, & paſcam illas in judicio, &c. Ioh. 10 Luc. 15. Ipſe velut bonus paſtor, qui non eſt mercenarius, nos oves ſuas fovet, quia Agnus redemit oves, 1. Pet. 1. noſq; ducit ad apricum & paſcua irrigua, Pſal. 23. & in ſinu geſtat, Eſa. 40. uſq; ad ſenectam nobiſcum, Eſa. 46. nec deſerit nos, quando*

deficit fortitudo nostra; Psal. 71. v. 9. modò simus oves puræ, patientes & mansvetæ, nec torvi leones, lupi voraces, subdolæ vulpes, hirci impuri & squalentes porci. Ipse nos diligit, Ephes. 5. Rom. 5. quod

inter omnia Dei munera primum est. Et amorem suum quo nos prosequitur, insignioribus signis abundè declaravit,

1. Quia innumera amoris sui indicia nobis exhibuit, & maximum beneficiorum cumulum in nos congessit, tam corporalium, quàm spiritualium. Psal. 103. Ipse Creator noster, Johan. 1. pro nobis homo factus formam servi induit, Phil. 2. se ipsum pro nobis tradidit, Tit. 2. legem pro nobis implevit, Gal. 4. mortuus est propter peccata nostra, Roman. 4. delevit chirographum debitorum nostrorum, Coloss. 1. in sinu ejus molliter recumbimus. Ipse adest nobis, Matth. 18. 28. intercedit pro nobis, 1. Joh. 2. & attrahet nos in die novissimo. Joh. 17.

2. Secretorum suorum nos fecit participes, nec dicit nos servos, Johan. 15. quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, sed amicos, quia quæcunq; audivit à patre suo nota fecit nobis. Quæ etiam amicitiæ dignitas Abrahæ ostensa est, dum inquit, Gen. 18. Num celare potero Abraham, quæ facturus sum?

3. Concredidit nobis verbum suum ex arcano consilio Trinitatis revelatum, commendavitq; nobis Sacramentum carnis & sanguinis sui, res longè pretiosissimas.

Hinc ergo agnoscimus, quod nos Christus diligat, cumq; amicorum omnia sint communia, quocunq; nos fortuna vertat aut devolvat quid molestiæ nobis contingat, cum omnipotentem Deum amatorem, defensorem, & vitæ custodem habeamus, simusq; discipuli quos Jesus diligit? Rom. 8. v. 35 38. 39.

II. Quod licèt, Ps. 66. v. 11 ponatur angustia in lumbis nostris, horrineaq; se efferant super caput nostrum, & ambulemus per ignem & aquam, prævideat tamè Deus persecutiones nostras, & si occidendi trahamur ad macellum, Psal. 44. ipsemet per vincula & mortem nostram glorifi-

glorificetur. Ideoq; prædixit, ut certò statuamus, nos non derelictum iri in angustijs, Psal. 68. v. 20. nec ultra vires onerandos esse. 1. Cor. 10. Joh. 16. Sic captivitatem Ægyptiacam Deus Abrahamo, Gen. 15. v. 13. prænunciavit, sicut & Babylonicam passim in Prophetis. Et de Antichristo, Dan. 12. Matth. 24. Apoc. 13. 17. & de Gog atq; Magog. Ezech. 39. Apoc. 22. Cumq; vincula & fata nostra Deo sint gloriæ, quod illius legi & imperio nihil anteferamus, & dignissimum illum existimemus, pro quo omnia vitæ ornamenta & ipsam vitam profundamus: Beati certè sumus, 1. Pet. 4. si ignominia propter nomen Christi afficimur. Ex hoc fundamento gaudent Apostoli cæsi, Act. 5. & Paulus gloriatur de suis vinculis, Eph. 3. Mosesq; Ebr. 11. elegit cum populo Dei pauper esse. Quod ad Petrum Apostolum spectat, morem ille gessit Domino Jesu, & post ascensionem ejus aliquandiu concionatus est Judæis, quos etiam gemino visitavit Epistolio, &, teste Euseb. hist. Eccles. cap. 14. & 15. Romæ Evangelium docuit, ubi auditores Marcum Petri discipulum exorarunt, ut quæ Petrus docebat scripturæ traderet; & hæc fuit causa scribendi Evangelium secundum Marcum. Vxorem per martyrium præmisit, Euseb. lib. 3. cap. 30. Cumq; instaret tempus oblationis sui corporis, verborum Christi recordatus, se brevi depositurum suum tabernaculum scripsit, 2. Pet. 1. Idq; factum est sub crudelissimo tyranno Nerone, cujus jussu Petrus & Paulus uno die Romæ interfecti creduntur, hic quidem decollatus, ille autem deflexo capite in crucem actus, triduo ex hac cathedra docuit. Euseb. lib. 2. cap. 25. & Eccl. hist. lib. 3. cap. 1.

Quod ad Johannem spectat, ille post glorioſos aliorum Apostolorum agones diutius in hac vita permansit, nec crucis supplicio aut alio martyrij genere è vita emigravit, sed velut lampas splendidissima initio nascentis Ecclesiæ permansit; ideoq; ex ferventis olei dolio sub Domitiano divina providentia ereptus est, ne extingueretur lucerna Israelis. 1 Reg. 21. Sicut enim in exordio nascentis mundi divina sapientia primos homines diutissimè vivere voluit, ut numerosam so-

bolem procrearent: Sic necesse erat hunc ex Apostolis diutius superstitem manere, ut ejus authoritate, consilio & institutione Ecclesia confirmaretur. Anno Domitiani 14. Anno Christi 96. in insulam Pathmos relegatus fuit. Euseb. lib. 3. cap. 10. Iren. lib. 1. cap. ult. Ab Imperat. Nerva, Anno Christi 98. revocatus. Vnus tandem Apostolorum morte & tumulo placido exceptus est apud Ephesios. Lege Euseb. lib. 3. cap. 1. Iren. lib. 3. cap. 3. & sequent.

III. Quod verbum Dei sit immota veritas sufficiens ad salutem nostram, & testimonium infallibile. Joh. 3. quod filius Dei ex arcano sinu æterni patris revelavit, Matt. 11. Paulus Apostolus, 2. Corint. 11. in tertio cælo à Domino accepit, & Johannes, ceu Smaragdus loquitur, de pectore Jesu Christi doctrinæ cælestis fluenta hausit, quæ nobis eructavit. Cum autem fidem habeamus relationi honestorum & fide dignorum hominum, non aliter quàm si ipsi quod referunt vidissemus vel audivissemus; nequaquam addubitandum est de illis, quæ Spiritus sanctus per organa sancta sua in salutem nostram annotavit, præsertim cum tot factis Christi confirmatum sit hoc testimonium, ut si singula calamo exarata essent, nec mundus caperet libros illos; Joh. 21. v. 25. quod Augustinus non de spatio locorum, sed de capacitate legentium intelligendum esse judicat. Cyrill. lib. 12. in Johan. Non igitur omnia quæ Dominus fecit conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarũt sufficere, ut recta fide ex operibus & virtute rutilantes ad regnum cælorum perveniamus in Jesu Christo. Augustin. Tract. 49. in Johan. Cum multa fecisset Dominus Jesus non omnia scripta sunt, electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt Christum diligamus, & in quocunq; statu pascamus ejus oves.

Cum amor Dei genus & fundamentum sit virtutum Theologicarum, nec

ram, nec quis ad munus docendi sit idoneus, nisi Christum ex toto corde diligat, & quidvis propter Christum pati sit paratissimus, ut sicut sponsa honesta sponsum, hunc patri & matri, & omnibus bonis suis præferat, dicatq; cum Psal 73. Domine præter te quid est mihi in cælo & quid in terra? quis mihi placeat in cælo præter te? quem præter te in terris diligam? Te unum amplector, te unum suspicio, te excepto reliqua omnia mihi fordent, tui desiderio languescit anima & corpus meum, tu es robur meum & hæreditas mea. Ideo Christus longa oratione, Matth. 10. v. 37. amorem sui postulat, quod qui Christum non diligit sit anathema, Maranatha, 1. Cor. 16. v. 22. Vultq; hoc amoris glutino animos ita copulari, ut amans amatum tanquam se ipsum, non tanquam alium diligat.

Nec linguæ tantùm, sed opere & veritate diligendus est Christus. 1. Joh. 3.

Ut dicamus cum Psal. 139. Domine probasti me; Et cum Petro, absq; hypocrisi: Domine tu scis quod te diligam.

1. Ut præstemus quod amato jucundum est, sicut uxor marito. Gen. 3. & Jonathan Davidi, scilicet, 1. Ut credamus, in Christum & confidamus huic amato. Johan. 16. 2. Audiamus & observemus verbū ejus, Joh. 14. sic ut juxta Decalogum vitam instituamus. 1. Joh. 5. 3. Ut in vita & doctrina fugiamus hostes Christi, & quæcunq; ipsi invisa sunt, contra diligamus amicos ejus: 1. Joh. 4. fieri enim non potest, ut caput alicujus corporis diligamus, cujus membra dilaniamus. Christum cum Martha, Simon leprosus & Zachæus hospitio excipere non possumus, nec nardi unguento lavare, præstemus ergo egenis hoc officij. Matth. 25. Sicut Dæmon, quia Deo nocere non potest, hominem rabiosè persequitur.

2. Libenter pro amato labores sustineamus, & quidvis patiamur, voluptatum ac libidinum impetus frangamus, etiam pro Christo mori parati.

3. Sitiamus præsentiam amati, de eo assiduè cogitemus, & semper cum eo versemur, ejus videndi desiderio æstuemus, & hoc modulo metiamur statum animæ nostræ; operamq; demus, ut multos simul ad Christum adduca-

*adducamus. Quem in finem mandavit ut pascamus oves ejus & nihil omittamus, quod faciat ad ædificationem Ecclesiæ.

Pascent autem Oves Christi.

1. Legitimè vocati verbi ministri, quod Petrus ex hac institutione Christi repetendo inculcat, 1. Pet. 5. v. 2. & Paulus, Act. 20. v. 28. Siquidem Deus sanguinem de manu ipsorum requiret. Ezech. 33. v. 8. Vt sic doctrinâ & sacramentis ex pastoribus, Spiritu a. & Fide ex Christo tanquam gemina clave ipsis aperiatur cœlum. Et pastores exemplo Ambrosij non minus diligant eos, quos per Evangelium Christo lucrifecerunt, quàm de propria carne genitos, quia non infirmior est gratia, quàm natura.

2. Magistratus, bonos defendendo, & improbis pœnam irrogando. Esa. 3. Hinc Cores dicitur pastor. Esa. 44. Et Tiberius se bono pastori comparavit. Quales fuerunt Moses, Num. 16. & Samuel, 1. Sam. 12. quorum vestigijs utinam multi insistant.

3. Patres & matres familias, in educandis liberis & regendâ familiâ. Eph. 6.

II. Vt Christum sequamur, nec moram trahamus retrospicientes: sicut illi. Matth. 8. v. 21. Luc. 9. v. 59. Matth. 19. v. 22. Nec Deo vocanti reluctemur, ceu Moses, Exod. 4. Jonas, cap. 1. Jerem. 1. & 20. Nec sequamur amore lucri propter ventrem. 1. Pet. 5. Act. 8. v. 19. Nec propria nos ducat temeritas, ceu filios Ephraim. 1. Chron. 7.

Primò verbi ministri debêt Christum sequi,

1. Obedientiâ vocationis, sicut Apostoli, Luc. 5. Matthæus ex telonio, & Paulus. Act. 9.

2. Doctrinâ pura & intemerata. Joh. 8. 16. Eph. 4.

3. Amore erga oves. Joh. 10. Cor. 4. Phil. 1.

4. Humilitate, Matth. 11.

5. Vitâ honesta & irreprehensibili. 1. Tim. 3.

6. Patien-

* 6. Patientiâ in cruce, quod summus ille Sacerdos noster per omnia tentatus sit. Ebr. 4. 5.

Secundò in omni vocatione requiritur, ut

1. Sit legitima.
2. Fides & dilectio sit actionum Regula & amussis.
3. In cruce adsit bona conscientia.
4. In omnibus & singulis quæratur Dei gloria, & Ecclesiæ emendatio.
5. Precibus impetretur auxilium divinum.
6. Memores simus reddendæ rationis.

Tertiò imitandus Christus est, ceu docet Basilius, juxta vocationis cujusq; debitum,

1. Quando ipse vult: quia dies nostri sunt in manibus Christi. Psal. 31. Quidam adhuc juvenes vocantur ad ministerium & sine molestia, quidam ætate profecti. Idem de morte nostra judicium. Petrus ante passionem Christi se offerebat ad mortem, sed exspectanda fuit cana senectus. Et nos oportet semper esse paratos. Act. 21.

2. Quomodo vult. Quod alijs injungitur à Deo, quid ad nos? nobis in statu & statione nostra manendum est. Saul & David ab asinis & ovibus ad regiam dignitatem vocati sunt. Constituit Deus quosdam Apostolos, alios verò Prophetas, Eph. 4. v. 11. alios autem Evangelistas, Episcopos & Pastores. Nec omnes eodem tempore, nec uno modo morimur.

3. Ubi vult: quia prævidit Dominus locum, victum & mortem. Petrus Judææ, Johannes Ephesinis, ego miser homo Alsenis, alij alijs & alibi pro arbitrio Dei methodum salutis monstrabunt, utinam Deus labori nostro benedicat. Quâ in regione, quo in loco vita cum morte commutanda sit incerti sumus; verùm ubicunq; morimur etiam procul à patria, dum alit omnis terra peritos, eadem via est in regnum cælorum, nec Magnete & Elevatione poli mensuratur, sed per CHRISTVM patet omnibus credentibus. Luc. 16. 23. Act. 7. &c. Estq; in nobis. Rom. 14.

III. *Vt contendamus esse quieti & res nostras agere, 1. Thes. 4. v. 11. atq; quod mandatum est exequi; Syr. 3. nec ea curiosè tractare, quæ non sunt necessaria, v. 24. dum plura quam humanus sensus capiat nobis patefacta sunt. 1. Cor. 7. Maneat quisq; in vocatione sua. Ne quis affligatur polypragmaticus, ceu alienarum rerum inspector. 1. Pet. 4. v. 15. Sic enim Lucifer, Adam, Cain lapsi sunt. Hinc Maria, Num. 12. Chore, Num. 16. Bileam, Num. 31. iram Dei in se derivârunt. Et cum Saule, 1. Sam. 13. v. 9. cum Vsia, 2. Chron. 26. Vsaq; 2 Sam. 6. absq; vocatione arcam Domini attrectante, graviter puniti sunt. Si alijs melior est conditio, status dignior, sors felicior, thorus fœcundior, ager fertilior, ætas florentior; Quid ad nos?*

Feceris haud quicquam, nisi quod feciſſe neceſſe eſt,
Sed ſequere hanc normam, quam dedit ipſe Deus.
Diſce docente Deo mandato munere fungi;
Et fuge ceu Satanam τὴν πολυπραγμοσύνην.

III.

Finis & copiosa Fidei Merces Triplex.

I. *Quod Jesus Christus pastor noster longitudo dierum, Deut. 30. ac sustentatio vitæ nostræ, ducat oves & agnos suos ad viridaria Angelica immarcessibilia; ubi neq; lupi, Matth. 7. neq; leones, 1 Pet. 5. in nos impetum facient; nec ulla unquam*

Morbida facta pecus Christi corrumpet ovile.

Siq; hic sequemur Christum, & præcones Evangelij loco Christi nos docentes & ducentes; certè in novissimo die jam lata super vivos & mortuos sententia sequemur Archipastorem animarum, 1. Pet. 2. v. 25. & in unico sancto perpetuo ovili, Joh. 10. derelictis ac depressis ad infernum hostibus crucis Christi, Phil. 3. cum Domino manebimus semper; 1. Thes. 4. Vbi neq; invidia regnabit, nec hoc vel illud deërit nobis: quia omnes in Christo erimus felicissimi, sapientissimi, & latissimi.

II. *Quod si Dominum Jesum dilexerimus, ab eo diligamur dilectione*

dilectione perfectissima. Ergo si gratulantur sibi, qui singulari gratia florent apud Reges vel Principes, illisq; omnes honorem deferunt, ut quibus regiæ fores semper patent; O felices nos quos Christus, quod omnium maximum est, à se diligi dignos fecit! Siq; in verbo & sacramentis recubuerimus super pectus Christi & credentes in eum mandata sancta servaverimus, Joh. 14. fovebimur in pectore & gremio Christi. Hîc quidem recreant nos verbum Dei & Sacramenta; sed varia rerum est vicissitudo, & multi propter Christum supplicio affi iuntur, quorum mors pretiosa est, Psal. 116. quod sic Deus glorificetur. In futura autem vita beati recubabimus in sinu Christi, ad quem Baptista toto corpore contremuit, cujus Majestatem Angeli verentur, ad cujus nutum cæli columnæ pavent & potestates contremiscunt. O felices quos ille brachio suo congregat, Esa. 40 v. 11. & sinu suo portat! quia hoc Jesu Christo innitemur, Cant. 8. in illo obdormiscemus, illius amplexibus fruemur, & per eum in pace gaudebimus: sicut infans in gremio matris, & Lazarus in sinu Abrahæ. Luc. 16. Hac refectione spirituali ita satiabimur, ut nihil aliud optemus aut curemus triumphantes, quod ab irrequietis & turbidis hujus seculi hominibus liberati simus.

III. Quod reversurus Christus exuvias, quibus mors natalis vitæ æternæ fuit, Nazianz. de pulvere terræ, protrahet, noſq; cum Petro & Johanne, cumq; Electis omnibus vitæ corona decorabit. Ubi per beatam mortem ad Christum venerimus, non amplius sollicitè retrospiciemus, quæritantes de fortuna aliorum: quia omnes sapientes & potentes, fortunati & fortes, honorati ac beati erimus. Nec posthæc ullus Christi discipulus morietur amplius, quod quidem hîc multi exoptarent, nemini autem datur, sed illic omnibus continget: quia mors non dominabitur amplius. 1. Cor. 15. Ebreor. 2. v. 14.

Dominica post Nativitatem Christi.

DE SIMEONIS ET HANNÆ VATICINIIS.

Evangelium Luc. 2. à v. 33. usq; ad v. 41.

PRÆFATIO SUPPLEX.

SImeon ducente ipsum Spiritu Sancto ingressus est in templum, in quo Hanna Deum, cui nocte dieq; inserviebat, confessa est adventum Messiæ expectans. Et nostrum est cum jubilo visitare domum Domini. Cumq; in ea hoc loco & tempore convenerimus, ut felix sit convētus & labor noster in gloriam Dei nostramq; salutem & nos per energiam & motum Spiritus sancti sanctiores & meliores evadamus, orabimus in nomine Christi. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

GEn. 49. Jacob Patriarcha non tantùm vaticinatus est, sceptrum in diebus Messiæ ablatum iri de Juda; sed etiam legulatorem de pedibus ejus. Idemq; Azarias 2. Paral. 15. prædixit inquiens: Dies multi erunt Israëli absq; Deo vero, & absq; Sacerdote doctore, & absq; lege, quod impletum esse textus evincit; quia vix Simeon senex & Hanna vidua reliqui manserunt, qui Messiam in templo exciperent, & honoratum proclamarent.

PERIOCHA ET DISPOSITIO EVANGELII METRICA.

CHristum ruinam plurimis
Signumq; quod petant fore,
Mariam ut ensis vulneret,
Senex benedicens præmonet.

Idem

Idem Hanna post mortem viri
Matrona templo vicitans,
Docendo confirmat fidem
Jesum piè expectantium.
Post hæc parentes se domum
Ad Nazarenam conferunt.
Crescit puer, fit Spiritu
Fortis, Deiq; gratiâ.

TRIPLEX MEL EX PETRA SALUTIS IN HOC EVANGELIO.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod hic puer, super cujus commendatione Josephus & Maria mirantur, sit patribus promissus, expectatus & exhibitus Messias.*

Quod ex hoc Evangelio testimonio constat triplici,

1. *Senex Deum timens & pudica vidua excitati à Spiritu sancto, Simeon & Hanna insignem de hoc puero ediderunt confessionem.*

2. *Honorifica sua præsentia gloria domus secunda, Ag. 2. Templum ornat, & inde cum matre revertitur in Galilæam: quia Nazarenus vocabitur. Jud. 13. Esa. 11.*

3. *Describitur duplex in persona ejus substantia; dicitur enim ab Hanna Dominus Jehova, filius Altissimi, Redemptor in Jerusalem, & vocatur à Luca puer, qui corpus humanum atq; animam rationalem verè assumsit: crescit enim more hominum ætate & statura corporis, & doctus animæ, suxit ubera matris, Luc. 11. atq; in omnibus invētus est sicut homo, Phil. 2. esuriens & edens sitiensq;, &c. Verè igitur humanam naturam assumsit ex substantia Mariæ virginis, nec fuit phantasma aut cœlitus delato corpore per Mariam tanquam per canalem, ceu nugati sunt hæretici, transijt.*

II. *Quod*

11. Quod Jesus Christus sit lapis vivus, 1. Pet. 2. v. 4. ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretiosus positus in Sion, v. 6. cui qui credit non pudefiet. Nobis igitur honos est qui credimus; immorigeris verò lapis quem reprobaverunt ædificantes factus est caput anguli, & lapis offendiculi, & petra offensionis, Esaiæ 8. v. 14. 15. in laqueum & in tendiculam, impingentq; in eam plurimi, & cadent, & conterentur, irretienturq; & capientur. Matth. 21. Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit eum conteret. Psal. 118. Factus est caput anguli. A Domino factum est illud, & mirabile est in oculis nostris. O verè mirabile! Sicut apes ex floribus mel; aranea autem venenum ex eisdem sugunt. Sicut majorana porcis noxia est; hominibus autem ægris medetur: sic puer JESVS porcis luto gaudentibus in pœnam & perniciem; credentibus autem Evangelio, licèt cruce pressis in gloriam ac salutem crescit, impijs odor mortis est ad mortem; 2. Corinth. 2. nobis verò odor vitæ ad vitam. Non per se effectivè, sed per accidens permissivè. Idem enim causa contrariorum esse potest; Namq; cum Deus omnes salvari cupiat, 1. Timot. 2. multi oblatam gratiam non recipiunt. Hinc duplex semper hominum genus ad diem usq; novissimum, Matth. 24. Luc. 17. Christum duplici, sed diverso modò excipit; Impijs & incredulis Christus est petra scandali, Actor. 4. in quem impegerunt in Israël, Roman. 9. & corruerunt: accepto enim scandalo offensi sunt de Christi persona & doctrina, de gratuita remissione peccatorum & miraculis, de morte Christi & vocatione gentium. Dixitq; Lucianus Christum Sophistam de palo suspensum, & Averroes se malle inhonestissimum esse nebulonem quàm Christianum. Illis qui credunt Lapis est Christus pretiosus, nec positus in ruinam, sed in resurrectionem: 1. Petr. 2. quia lapis est fundamenti angularis in Ecclesia positus, Ephes. 2. cujus ope velut infantes, ægritudine confecti, senio languentes, aut pondere nimio onerati surgimus, & de lapsu erigimur. Ex hac petra profluit Aqua vitæ, Exod. 17. Mel & Oleum, Deut. 32.

hoc est

hoc est, Evangelium & Spiritus sancti gratia. In hac petra, Cant. 2. quæ Christus est, 1. Cor. 10. securi habitamus. Beati ergo qui ædificant super hanc petram, Matth. 7. super quam fundata est Ecclesia, Matth. 16. & cum Jacobo, Gen. 28. suppositio lapide hoc capiti suaviter obdormiunt & in pace requiescunt: Psal. 4. quia hæc dulcissima est Euthanasia. Luc. 2.

III. Quod Christus & Ecclesia ejus, cujus Maria typus est, in mundo cruci debeat esse subjecta: quia hostes sese opponunt, { Corde. Ore. Manu.

Corde quidem, quod offendantur & contemnant, & sic prædicetur Christus Judæis scandalum, Ethnicis stultitia. 1. Cor. 1.

Ore, quod acuant contra Christum linguas, & sapientiam justificent, Matth. 11. telaq; venenata confertim singulari impetu velut ad metam & scopum directa emittant hæretici & hypocritæ.

Manu, quod romphæa & gladio perforent animam Christi, Mariæ & Ecclesiæ. Christum infantem quæsivit Herodes interimere, initiatum officio Judæi calumnijs proscindunt, Samaritanum vocant, opera Diabolo adscribunt, lapides tollunt, proditum ad crucem trahunt, ne sepulto parcitur. Maria cum infante in Ægyptum fugit, postea ipsum in templo amittit, tandemq; vulnera, sanguinem & supplicium cum summo dolore intuetur. Ecclesia atrocissimas persecutiones sustinuit, posita quasi signũ ad sagittam, Thren. 3. Mulier contra quam, Apoc. 12. v. 15. ejecit Serpens aquam tanquã flumen, ut ab eo raperetur. Nec tantùm Judæi Dominum suum in membris ejus lacerârunt, quamobrem à Mose, Joh. 5. v. 45. accusantur, dum exclamat Deut. 32. v. 6: Nunquid Jehovæ illud retribuis populus stulte & insipiens? Nunquid ipse est pater tuus, qui possedit & præparavit te pretioso sanguine filij redemit? Verùm & gentes insaniunt, Psal. 2. persecutiq; sunt Ecclesiam atrocissimè Imperatores post ascensionem Christi per 300. annos & Doctores plurimos igne, fune & gladio è medio sustulerunt, & fremit adhuc Turca cum Papa. Sed Diaboli progenies

nies frustra contra stimulum calcitravit; Act. 9. quia symbolum Christianorum est: Quò magis premimur, eò magis erigimur. Mergitur at non submergitur Christi navis, nec portæ inferorum prævalebunt. Quò magis sanguis effunditur, eò fertilior est messis Domini, floretq; ceu rosa inter spinas & polygonon pedibus tritum. Quia Christus petra est immobilis & infinitæ potentiæ, κεῖται jacet immoto fundamento, quicquid allidit frangitur, sicut navis oneraria ad petram concussa, sicut vas luteum vel caput nudum ad saxum attritum, nec plus contra Christum efficiunt Satanas & mundus, quàm si musca alis suis ferreum feriat parietem. Licèt q; contingant ruinæ personarum & impiorum, manet tamen Ecclesia multiq; in Christo surgunt, nec disputando aut contra dicendo quid effectum est; sed obloquutores quasi ferreo sceptro concussi, Psal. 2. turpiter perierunt. Nestorii lingua à vermibus rosa est, Manis collum fractum est, Samosatenus inter calumniandum exspiravit, Ebionem Magister malus abstulit, Cerinthus ex Balneo non redijt, Arrius Judæ equo vectus ilia evomuit, Nestorius cum Chore descendit, Servetus quoq; non præcedente morbo vitam finijt. Nec quis unquam persecutor, quod omnium temporum historiæ abundè testantur, pœnam divinam effugit. Pharaonem mare absorpsit, Achab casus, Sanherib extinctus est, Ascalonita sibi manus intulit, Agrippam pediculi roserunt, Julianus retorto telo Jesu Galilæo palmam attribuit, Nero, Decius, Diocletianus & reliquæ omnes ejusmodi putridæ ollæ ad petram salutis confractæ sunt, revelatis cogitationibus multorum, ut sic pij ab impijs, sicut igne aurum à scorijs & cribratione triticum à paleis, constantes q; ab hypocritis dignoscantur: quia ubi crux ibi lux. Tauler.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt si alij super hoc lapide angulari ruant, illorum periclitatio, juxta Augustini admonitionem, sit nostra emendatio. Si ratio stulta nobis ante oculos ponit Christi paupertatem, excusso scandalo ponderemus verbum Dei. Zach. 9. 2. Cor. 8. Si mortem CHRISTI gaudea-

gaudeamus. Esa. 53. Rom. 4. Si crucem Ecclesiæ oportet nos esse Christo conformes Rom. 8. Surgemus ergo in Christo: Eph. 5. quia in Adamo turpiter lapsi sumus, eia revertamur ad Dominum qui nos redemit, & verè pœnitendo surgamus à tenebris, peccato ac morte ad lucẽ, justitiã & vitam;

ne præcipites acti ruamus in,
1. Cimmerias tenebras Spirituales, amisso Sole justitiæ.
2. Pœnas corporales, excidia, bella, famem, &c.
3. Barathrum gehennæ. Psal. 49. Esa. 66. Et ficus fidei nostræ, Matth. 21. v. 19. Marc. 11. v. 13. sterilis, folia tantummodo nec fructum habens, maledicta exarescat.

II. Vt studiosè petamus templum, vigilijs & orationibus castè ac sobriè serviamus Deo, die & nocte, si fortè clamor fiat & media nocte exeundum sit in occursum Sponsi, Matth. 25. v. 5. assiduè de Christo & adventu ejus loquamur, eumq; confiteamur senes & juvenes, virgines & viduæ, quibus Hanna à Spiritu sancto proponitur, q. d. En imitamini illam, ut Deum timendo, castéq; & pudicè vivendo cohæredes sint, 1. Pet. 3. templaq; & domicilia Spiritus sancti, Deumq; habeant patronum & defensorem. Psal. 68. 72.

Tres status sexus fœminei commendantur à Spiritu sancto in Hanna,

1. Quod honesta & intemerata virgo florem pudicitiæ illibatum, Sponso reservaverit, nec eum potando, saltando aut expaciando, ceu Dina, Gen. 34. perdiderit. Quod utinam ab omnibus observaretur, nec ceu filia Jephtæ, Jud. 11. flerent super virginitate sua. Lege Euseb. lib. 8. histor. Eccles. de Dorothea virgine Alexandrina, aliisq; pudicitiæ laude præstantissimis, inter gentes Brasilla, &c.

2. Quod in conjugio vixerit & thoro immaculato annos 7. Ebr. 13. nec velut Bersabea adulterio ansam præbuerit. Imitentur fœminæ castitatem Susannæ, miretur de animosa castitate Sophroniæ. Euseb. lib. 8. hist. Eccl. Quin & Lucretia gentilis à Tarquinio stuprata, Collatini mariti lectum scandere se indignam reputavit.

3. Vidua seu relicta jam præmisso viro reliquum vitæ

* tempus absolvit. In vidua honesta tria requiruntur, I. Ut piè & pudicè vivat, nec lasciva sit nec impura. 1. Tim. 5. v. 6. vidua quæ in delicijs versatur, ea vivens mortua est, v. 13. nec sint otiosæ, curiosæ, nugaces & garrientes. II. Si adhuc vegeta sit ætate, secũdas nec tamen leviter nuptias contrahat. 1. Tim. 5. v. 14. Velim juniores viduas nubere, 1. Cor. 7. liberos gignere, & domum administrare. III. Si profectior fuerit annis sola maneat, in dilectione Dei perseveret, ut confidentius moriendo maritum præmissum sequatur. 1. Tim. 5. v. 5. Verè vidua est, quæ sola est & sperat in Deo, & permanet in deprecationibus & orationibus nocte ac die.

III. Ut ambulando juxta legem Domini, Esa. 8. omnia perficiamus, inprimis demus operam ut pueri nostri benè educentur, nequoniam in peccatis concepti & nati sunt, Psal. 51. dum innata labes per actuale peccatum se dilatat, ipsiq; in necessarijs nati in spontaneis se volutant, August. sicut vulpes, ursi & leones cum annis deteriores & crudeliores evadant, & sic per innatam pravitatem dispereant; sed domicilia sint Spiritus sancti, proficiantq; in sapientia, cujus initium est timor Domini, Syr. 1. & in Dei gratia, quæ ceu præstantissimus thesaurus angelicam custodiam & favorem hominum secum trahit.

Tripudium & Merces Fidei Triplex.

I. Quod in futura vita perpetuò mirabimur super his, quæ in hac vita audivimus de Christo, & credimus licèt frigidè nimis; illic autem longè majora videbimus, quàm hic relatu percepimus.

Rem maximè mirabilem Moses arbitrabatur, quod Deus in montem Sinai nebula & igne tectus descendisset, ideo ait, Deut. 4. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creavit Deus hominem supra terram, si facta est aliquando hujusmodi res, vel unquam cognitum est, ut audiret populus vocem Domini sui Dei

Dei loquentis de medio ignis. Quid quæso diceret, si Deum humana carne vestitum, & in præsepi conditum linteis involutum audivisset vagientem?

David, Psal. 8. v. 5. cum admiratione inquit: Quid est homo quod recorderis ejus, & filius hominis quod visites eum? Quid quæso diceret? si Deum ipsum in natura humana propter homines inter homines agentem, cum hominibus versantem, Luc. 10. homines familiari voce docentem, & pro hominibus in cruce exspirantem vidisset.

Salomon, cùm post septennium templum opulentissimum, ut sedes & domicilium Dei foret, perfecisset, 1. Reg. 8. v. 27. admirabundus exclamat: Verum ne est, quod habitabit Deus super terram? quem cæli cælorum capere non possunt. Quo quæso stupore teneretur si stabulum ingressus Regem cælorum inter muta animalia, inter fœnum & paleas jacentem vidisset? Si templum ingressus, illum, cujus majestate amplissimam domum tanta magnificentia extructam indignam putabat, in templo, in gremio Mariæ & in ulnis Simeonis aspexisset? Cogitari hoc ut cuncti potest, verbis explicari nequit.

Viderunt patres mirabilia multa, quia cælum illis angelicas ravit escas, lapis durus dulcissima pocula ministravit, cursum mutavit mare & Jordanus. Muri tubarum strepitu corruerunt. Sol in cælo moram traxit; sed Unigenitū Altissimi assumpta carne in ulnis positum non viderunt. Miramur si Rex subditum visitare dignatur, si opes & prædia largitur, si hostes qui insidias vitæ Regis struxerunt dimittit. Quid magis admiratione dignum? quàm quod filius Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, infra angelos se abjecerit & vilem servi formam assumserit, & pro crimine nostro sanguinem fuderit? Mirari possumus, rimari non possumus; Chrysost. præsertim cùm nulla collatio sit finiti & infiniti. Quid quæso homo si conferatur cum procera arbore? quid si cum celso monte? quid si cum toto mundo? quid si cum Sole, qui unica tantùm est creatura 666. Terram magnitudine sua adæquans? quid si conferatur cum cælo, cujus terra punctum est? Nihil ergo ad Deum collatum. Disputatur quidem in schola

Aristotelis philosophicè, quod Finitum non sit capax Infiniti: Sed ex schola Spiritus sancti theologicè affirmat Paulus, Col. 2. v. 9. de natura humana Christi finita, quod in ipso inhabitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter. O ergo verè admirandum quod unione hypostatica seu personali duarum naturarum Deus homo factus sit, & infinita natura finitam assumserit. Idcoq; Mirabilis Christus ab Esa. cap. 9. ex propria appellatione, Jud. 13. v. 18. dictus est. Nosq; deposita mortali hac stupiditate in cœlesti Academia de hoc mysterio cũ infinita admiratione lætabimur in Domino, ut, ceu illis qui stupenda & jucunda spectant hora brevis videtur, mille anni transeant velut dies unus. Psal. 90. v. 4. 2. Pet. 3. v. 8.

II. Quod præcedente efficaci benedictione, Matth. 10. Christi & ministrorum Evangelij, Num. 6. parentumq; Gen. 9. 27. 28. 48. 49. & quorumcunq; piorum, Gen. 47. Deut. 33 die ἀποκαλύψεως virtute & voce Christi resurgemus de sepulchris, & benedictis æterni patris annumerabimur: Matth 25. Coram quo Christus cum summa gloria nostra nos confitebitur. Matth. 10. v. 32.

III. Quod puer Jesus non tantùm corporaliter, sed etiam spiritualiter crescens, conferat nobis Spiritum sanctum & gratiam Dei, ut maneamus perpetuò in templo ejus sancto. Rex & Propheta David, Psal. 27. v. 4. unum petendo quærit à Jehova, ut habitet in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ suæ, & videat pulchritudinem Jehovæ in templo ejus. Psal. 84. v. 3. ait concupiscere & etiam deficere animam suam ad atria Jehovæ. Psal. 122. v. 1. lætatur sibi dictum esse, ibimus in domum Jehovæ, in qua, ipso teste Psal. 84. melior est dies una, v. 11. quàm alibi mille, quare & elegit potius esse in limine, domus Dei, quàm habitare in tabernaculis impiorum, sed mors ipsi locum in atrijs Jehovæ ademit. Hanna quoq; per obitum ex templo remota est, nosq; ubi ad positum tempus in domo Domini, quod unicum necessarium est, Luc. 10. & utilissimum, & glorioſum, coram Deo & Angelis, salutis doctrinam tractavimus, vel in templo, vel in vicinia sepulchrum exspectamus & sic excludimur. Verum qui vicerit,

Apoc. 3.

Apoc. 3. v. 12. columna erit in Templo Dei, nec foras egredietur amplius; sed ante thronum Dei, Apoc. 7. v. 15. cum Sanctis serviet Jehovæ in templo ejus die ac nocte. Hoc templũ apertum erit in cœlo, Apoc. 11. v. 19. idq; est Dominus Deus omnipotens & Agnus. Apoc. 21. v. 22.

DIE CIRCUMCISIONIS CHRISTI,

Qua novum annum ordimur.

Evangelium Lucæ 2. vers. 21.

PRÆFATIO SUPPLEX.

COloss. 3. docet nos Paulus, ut quicquid acturi simus sermone vel facto, id omne faciamus in nomine JESU. Cumq; pro initio novi felicis anni, quem nobis singulis ex toto animo precor, hodie de Circumcisione Christi, & de nomine JESU habenda nobis sit concio, Euge fiat illud in nomine JESU, in quo nobis, Joh. 16. promissa est exauditio. Deus pater gubernet nos Spiritu sancto propter Dominum Jesum. Pater noster. &c.

Exordium Propheticum.

ZAchar. 9. v. 11. prædictum est de pretio redemptionis nostræ, scilicet illud non fieri caducis rebus auro & argento, 1. Petr. 1. v. 18. sed per sanguinem fœderis, illumq; effusum pro nobis non in cruce solùm, verùm etiam octavo post nativitatem die, cum Salvator noster infans Christus circumcideretur; testis est historia hodierni Evangelij.

PERIOCHA TEXTVS ET DISPOSITIO METRICA.

BIs quarta venerat dies,
Infansq; circumciditur,

Legi Deus se subjicit,
Et pura signatur Caro.
Nomen rogas? Immanuel
JESUS vocatur. JESUS est
In corde nostro jubilus,
In ore mel suavissimum.
Hoc nomen illi cœlitus
Gregem suum quod liberet,
Jussu Dei dedit Angelus
Carnem priusquam sumeret.

PROMOVET HOC EVANGELIUM ANIMÆ NOSTRÆ SALUTEM TRIBUS MODIS.

I.

Ter corroborando Fidem.

I. *Quod Jesus Christus propter veritatem pollicitationum*, Roman. 15. v. 8. *minister fuerit Circumcisionis pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones patrum. Nec tantùm ideo, ad quem Lex & Prophetæ se extendunt, ut legis finem Christus sine labe conceptus & natus, qui Abrahamo, Gen. 17. hanc legem dedit, ipse circumcisus est: ut testaretur se semen esse benedictum, Gen. 22. promissum Messiam, verum hominem de semine Abrahæ & populo Judaico genitum. Nec ideo tantùm, ut utriusq; Testamenti populos in suo corpore collectos colligaret, & discrimen inter Gentes ac Judæos tolleret, cum his circumcisus, cum illis verò postea baptizatus lapis angularis & pax nostra, Gal. 3. Eph. 2 v. 14. qui fecit unum de duobus interpositi parietis septum solvens. Sed, quod Paulus docet Gal. 4. v. 6. factus est legi obnoxius, ut legi subjectos redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Sic per Unius obedientiam, Rom. 5. quod legi impossibile erat fecit Deus, Rom. 8. ad justitiam credentibus. Rom. 10. Circumcisio ergo Christi nostra est, & quicquid per eam acquisivit nostrum est, cum nobis*

nobis natus & datus sit, Esa. 9. Luc. 2. nosq; Esa. 66. consolatur, sicut quem mater sua, v. 13. quæ inter offensum patrem & delinquentem sobolem meditatrix verbera pro dilectis sustinet: sic castigatio nostra super eum, & livor ejus sanitas nostra. Esa. 53. v. 5.

Declaratur hoc tribus similitudinibus,

1. Chrisost. Sicut ægrotantibus membris & languente toto corpore vena capitis secatur, ut misso sanguine refocilletur vireq; recuperet corpus: Sic caput Ecclesiæ, Eph. 4. 5. Christus vulneratus est, ut misso de vena capitis sanguine, Ecclesia & singula hujus corporis membra jã languida mortiq; animæ & corporis vicina convalescerent, essetq; sanitas in nobis, qui accepit carnem & vulnera pro nobis.

2. August. Christus cum venisset in mundum, ut ceu Mercator pretio sui sanguinis pretiosissimo nos redimeret, pro consuetudine mentium, ut firma & rata sit venditio, in signum futuræ plenariæ persolutionis statim effudit tenerum sanguinem suum, & in passione apertis venis ac poris, perfossis pedibus & manibus, punctoq; latere abundantissimè nos redemit.

3. Vinculis Adamantinis in lacu hujus miseriæ, mortis & inferni detinebamur, sanguine autem hoc Agni immaculati emollitis & fractis compedibus, libera turba sumus. Zach. 9. 1. Petr. 1. 1. Joh. 1.

II. Quod hic puer Jesus sit noster JESVS, nostra salus, nostrum salutare, dum in Ebræo propter emphasin abstractum ponitur per concreto, Jehova Isch ceu ab alijs derivatur notantibus naturas & officium Christi. Noster Liberator & Protector; contra peccatum si id arrodat conscientiam nostram: Matth. 1. 9. 11. quia ipse peccatum obsignavit, Dan. 9. in mare projecit, Mich. 7. & chirographum delevit, Col. 2. jussitq; in nomine suo rogari, Matth. 6. & prædicari remissionem peccatorum. Luc. 24. Contra legis accusationes: Galat. 4. Rom. 5. 8. quia satisfaciendo legi pro nobis justam Patris iram à nobis avertit, Contra Satanam & membra ejus: Joh. 12. 16. 1. Joh. 3. quia ipse con-

ipse contrivit serpentem, Genes. 3. captivum cum triumpho traxit, Col. 2. & spolium ejus distribuit. Luc. 11. Hinc contremuêre Diaboli, Matth. 8. & ejecti sunt per Christum, Matth. 9. 12. 15. 17. Marci 1. 3. 5. 7. 9. 16. Luc. 4. 6. 8. 9. 11. 13. ab Apostolis, Act. 5. 16. &c. quod & filij Scevæ sacerdotis in Epheso, sed temerè & impiè, Act. 19. tentârunt. Joh. 18. ad Nomen Jesu retro labuntur Judæi, & Act. 9. attonitus cæcusq; tremit Saulus. Jesus ergo & Salvator noster est in persecutionibus. In tentationibus quas caro & mundus, Joh. 16. excitando suggerunt, in morbis & languoribus, Act. 10. quod Evangelica passim testatur historia, plurimosq; beati Apostoli in Nomine Jesu curarunt ægrotos, Luc. 10. Act. 3. 5. 8. 9. &c. neq; nos derelinquet orphanos: Johan. 14. quia Turris fortissima nomen Domini, Prov. 18. v. 10. ad quod confugiet justus & exaltabitur. Nosq; in Nomine Jesu adoptamur à Deo, Joh. 1. & justificamur, 1. Cor. 6. per Nomen Domini Jesu. Solus Jesus dat fructum ventris, & prolem benedictam in conjugio, quod Persarum ac Cypri rex Costus ex Macrobij institutione didicit & mirabili artificio expertus est, ceu Viterbiensis ac Raymundus annotarunt. Solus Jesus morbos & mortem abigit, ideoq; Artaxerxes pro liberanda Regina de morte & restituenda valetudine Junoni aureum pontem frustra obtulit. Solus Jesus absolvit credentes à delictorum ponderè & supplicio, nec aliud nomen datum est. Act 4. Matt. 9. v. 6. Ipse, ut Bernhardus scriptum reliquit, venit cum Salute: quia tollit peccata nostra. Cum unctione, quia recreat nos Spiritu sancto. Cum gloria: quia coronabit nos justitia & gaudio. Hinc Ambros. Omnia Jesus nobis est si volumus. Curari desideras, Medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si ire desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum appetis, alimentum est. Gustate igitur & videte quoniam suavis est Dominus. Bernhard. Oleum effusum nomen Jesu. Aridus est omnis cibus, si non oleo isto infundatur. Insipidus est, nisi isto sale condiatur. Si scribas non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non mihi sapit, nisi sonuerit ibi Jesus.

Augusti-

Augustinus: Quid est Jesus nisi Salvator? Ergo propter temet ipsum esto mihi Jesus. Noli Domine, noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine etsi ego admisi unde me damnare possis, tu non amisisti unde me salvare soles.

III. *Quod Nomen Jesus Redemptori nostro cœlitus datum sit. Cum Adamo & posteris libera concessa sit potestas attribuendi soboli suæ quæcunq; nomina, hanc ipse Deus licentiam quinquies ademisse legitur, de Ismaële, Gen. 16. de Isaaco, Gen. 17. de Cores, qui est Cyrus, Esa. 44. de Baptista gratiæ præcone, Luc. 2. & Immanuele tandem nostro; cujus nomen Sancti omnes in veteri Testamento summo cum desiderio investigârunt. Mosi respondetur Exod. 3. v. 14. Est mihi nomen Jehej, id est, ero qui ero. Moses servo suo nomen Josuæ propter hoc mysterium dedit. Jud. 13. v. 18. dicitur Nomen hoc occultum. Esa. 49. ipse Christus inquit, v. 1. Jehovah ab utero vocavit me, de ventre matris meæ memoravit nomen meum. Zach. 9. dicitur Salvator. Sed tandem erumpit Angelus, Luc. 1. Matth. 2. & nomen Messiæ in Concilio Sanctæ Trinitatis decretum revelat, cum Etymologica interpretatione. Quoniam ipse non alius, Act. 10. nec gloriam suam alteri dabit, Esa. 42. liberabit & salvabit categoricè in indicativo, ad hoc enim missus est à Deo, & vult; quia noster est frater, & potest; quia Deus, populum suum dolentem & credentem, non præfractos & petulantes iniquitatis operatores, à peccatis infinito illo malo & cūctis illi adhærentibus morte & Satana, & quidē* Suis *emphaticè. Bernhard. Non satis est credere remissionem, sed addas hoc: Tibi & tua remissa sunt peccata. Idem: Melius esset non esse, quàm esse sine Jesu. Idem, Nomen Jesus est Mel in ore; propterea S. Ægidius quoties Jesum nominabat, toties ob dulcedinem spiritualem labia sua quasi melle tincta lingebat, Melos in Aure, & in Corde jubilus. Paulus tandem, ex cujus relatione Lucas, Euseb. lib. 3. cap. 3. Evangelij historiam conscripsit, nominis hujus virtutem & eminentiam solidè expressit Phil. 2 v. 9. 10: Quod sit nomen supra omne nomen, ut ad nomen Jesu omne genu se flectat cœlestium, ac terrenorum & subter-*

rancorum, quia qui in cœlo sunt, per & propter Christum beati sunt, qui in gehenna cruciantur, propter ejus contemtum eò dejecti sunt, qui in terra sunt, propter illius gratiam & merita justificantur, sicut nulla in cœlo stella est, quæ fulgorem suum à Sole non accipiat.

Hic tria enodanda occurrunt.

I. Cùm Judæi Jesum non esse Messiam argumententur, quod nomen ejus non sit vocatum Immanuel, Esa. 7. v. 14. Respondetur, quod Esaiæ non loquatur de proprio Christi nomine, sed hoc nomen sit officij, quemadmodum & alia ipsi attribuit cap 9. sc. v. 6. Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis: quia enim Jesus noster esse debuit, oportuit eum esse Immanuelē & Mirabilem in gemina substantia, & Angelum magni hujus consilij, de eripiendo genere humano, & Heroa fortissimum, qui nos paternè foveat pacemq; afferat æternam.

II. Cum plurima sint in scriptura Salvatoris nomina, ultra 100. quorum quædam ad divinam Christi naturam, quædam ad humanam, quædam ad officium Christi referuntur, quærit Bernhardus: cur nomen Iesus illi imprimis sit impositum? Respondetq; omnia illa nomina adhoc potissimum fuisse instituta, ut partim ad amorē, partim ad spem, partim ad obedientiam, partim ad gaudium spirituale hominis incitarent. Sed cuncta hæc commoda & officia cumulatissimè in nomine Jesu contineri, nosq; eo excitari, ut Deum amemus, in Deo speremus, obediamus & lætemur.

III. Cur ad hoc solum nomen Jesu genua flectimus, & non etiam ad alia, quæ adeò multa & magnifica sunt? Respondetur, Hoc honoris signum non solùm in reverentiæ, verùm etiam in grati animi officium Christo propter redemptionis beneficium exhiberi. Cum enim in alijs nominibus sola Christi gloria designatur, in nomine Jesu & ipsius gloria, & simul nostra salus continetur. Ideoq; audito hoc salutari nomine meritò genua flectimus: quia Oleum effusum nomen hoc, Cant. 1.

Oleum

Oleum elucet, pascit & ungit, fovet lucem, nutrit carnem, lenit dolorẽ: Sic ergo Jesus Lux est & Cibus & Medicina, seq. appellat Joh. 14. Lucem mundi, Johan. 6. Panem vitæ. Matth. 9. Medicum infirmorum. Hinc Bernhard. Nomen JESV lucet prædicatum, pascit cogitatum, lenit invocatum.

II.

Ter excitando ad ferendum Fidei fructum.

I. Vt quoniam ita festinavit puer Jesus, & infans cruento hoc sacramento pro nobis se subjecit, ipse sit nobis Speculum piæ conversationis, & maturè pueros ad Deum adducamus: Augustin. in serm. de immol. Isaac. Non justum est, ut res quæ tam magna, tam præclara creditur negligenter aut tardius, quàm expedit requiratur: quia urit maturè, quod vult urtica manere, nec aliàs inculpatam vitam transigent, Psal. 119. nisi secuti consilium: Syr. 6. & 30. ceu de Josia scriptum extat, 2. Reg. 34. Dominum maturè quæsiverunt. Idemq; nobis animadvertendum venit, ne conversionem nostram in ultima vitæ spatia differamus, & extremam vitæ partem Deo destinemus. Quis nobis dierum ac temporum potestatem dedit, ut Jac. 4. v. 13. dicamus: Hodie vel cras ibimus in hanc vel illam urbem, & transigemus ibi annum unum, mercabimur & lucrabimur? An non veremur quod Luc. 12. contigit & Matth. 24? veniet Dominus servi illius in die quam nescit: quia nescit homo tempus suum, Eccl. 9. & vita hæc vapor est. Seneca: Audies plerosq; dicentes: A quinquagesimo anno in ocium secedam, sexagesimus ab officijs me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ vadem accipis? quis ista sicut disponi ire patietur? Si hic cœlorum Dominus in nullo nostri indigens per summam erga nos charitatem ab incunabulis & ipsis cunis cepit salutis nostræ negocium tractare, & fundendo sanguinem pœnas quas non meruit exsolvere, quid nos quorum causa agitur, ad quos tanti operis utilitas manat, quasi in Deum rebelles & in nos ipsos crudeles moram trahimus?

II. *Vt gladio timoris Dei abscindamus præputia cupiditatum, & circumcidamus stultitiam cordis nostri, singulorumq; membrorum, quod Deus per Mosen mandavit, Deut. 10. v. 16. ne induremus cervicem nostram, Jer. 4. v. 4. ne fortè ut ignis egrediatur ira Jehovæ, qui & ipse circucidet cor nostrum & seminis nostri. Deut. 30. Ne simus incircumcisi corde & auribus; Actor. 7. v. 51. quia cor malum est, Gen. 6. fraudulentum est & perversum, Jer. 17. v. 9. procedunt ex corde cogitationes malæ, cædes, adulteria, furta, mendacia, calumniæ Matth. 15. appetitus scortationis, & tumor superbiæ, vel inexplebilis Judæ erumena, 1. Tim. 6. quæ nisi præcantur, actum est de anima. Oremus itaq; ut Deus det cor purum. Psal 51. Sic resecemus spurcam à labijs ingluviem, execrationes, turpia colloquia ceu venenum luridum de labijs nostris, oremusq;, ut ponat custodiam Deus ori nostro. Psal. 144. Si crescant in oculis maculæ inhonestatis avertamus eos, Psal. 119. ne videant vanitatem, aures quoq; asininas & obturatas, Actor. 7. pandamus iterum, ne pravis consilijs & spurcis sermonibus se patentes præbeant, sepiamus eas spinis. Eccl. 28. nec audiamus linguam frivolam; si pulmones torqueat situs extra modum, si in epate vesica fellis & ira intumescat, si in manibus & digitis ungues se prodant latronum, furum & fœneratorum, in pedibus ubi templum adeundum est, podagra dolorem excitet: hæc omni studio amputanda & evellenda sunt. Idemq; Christus docet, Matth. 18. v. 8. 9. Matth. 5. v. 29. 30. si oculus tuus facit ut offendas erue eum. Et Paulus Eph. 4. v. 22. deponite juxta priorem conversationem veterem hominem, qui per voluptates deceptrices corrumpitur, renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui juxta Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam, ne sopito rationis judicio, affectibus noxijs nos regendos permittamus. Augustl. Bono implendus es, funde malum, puta, quia melle te vult implere Deus, si aceto plenus es, ubi mel ponet. Vt frugiferam arborem inserere possis, ramos sylvestres abscinde. Vt diligas Deum, Psal 97. odio habe malum. Vt ergo simus, Phil. 3. v. 3. circumcisio vera, Spiritu serviamus Deo, nec confidamus*

damus in carne sed gloriemur in Christo, in quo circumcisi sumus circumcisione sine manibus; Col. 2. v. 11. dum corpus carnis peccato obnoxium exuimus per Circumcisionem Christi. Intra mensuram suam se contineant membra nostra, nec exaltetur cor nostrum; Psal. 131. Sed contenti simus, 1. Timot. 6. si dederit nobis Deus panem ad vescendum, & vestimenta, quibus operiamur. Gen. 28. Sobriè vivamus, laudes Dei, Ose. 14. & pacem loquamur à pravis colloquijs abstinentes, Eph. 5. opera Dei aspiciamus. Verbum Dei & gemitum pauperum observemus, labore victum acquiramus, nec curramus cum furibus. Psal. 50. Aliàs circumcisio & præputium nihil sunt; 1. Cor. 7. sed fides in Christum per dilectionem efficax est. Gal. 5. Et hoc nos maximè præstare decet, qui sub gratiam Evangelij degimus. Gal. 5. ne ambulemus sicut gentes, Eph. 4. quarum lethalia sunt peccata; Auguſt. sed filij simus lucis & lux in Domino. Rom. 13. 1. Thess. 5. Æquum est omnium sanorum judicio, ut terra repurgata, diligenter exculta, quæ fœcundum semen excepit & frequentibus aquis irrigata est, fructum ferat ampliorem, quàm squalens, inculta & sterilis. Item ut, qui 20. annis in schola celebri sub industrijs præceptoribus literis operam dedit, doctior sit & magis in studijs provectus, quàm qui domi delitunt. Et cui multum concreditum est, ut de illo multum exigatur. Plato, Cicero, Aristides alijq; Ethnici viri justi coram mundo & optimi, exiguum tantummodo naturalis luminis radium originali peccato & prava consuetudine corruptum habuerunt, quo ad virtutis cultum ducerentur; nos autem Christi beneficio præsidijs nullis destituimur.

III. Ut omnia incipiamus, tractemus & absolvamus in Nomine Jesu, Col. 3. illumq; gestemus in corde nostro, 2. Tim. 2. v. 8. ceu de Ignatio legitur, quod cum jussu Trajani ad tormenta educeretur nihil nisi nomen Jesu in ore habuerit, idq; in corde interfecti consciſſo, velut aureis literis insculptum apparuisse.

In nomine Jesu fiant vocationis nostræ labores. Luc. 5. In nomine Jesu ablegentur tabellarij orationis. Joh 16. In nomine Jesu congregemur

in loco sancto. Luc. 18. In nomine Jesu fiant gratiarum actiones. Eph. 5. In nomine Jesu prædicetur pœnitentia. Luc. 24. In nomine Jesu hauriatur consolatio. Iob. 19. In nomine Iesu distribuantur Eleemosynæ. Matth. 25. In nomine Jesu emigret anima. Luc. 23. & deficiente voce ad extremum vitæ halitum recordemur Domini Jesu; Sic tamen, ut recedamus ab omni iniquitate. 2. Tim. 2. v. 19. discedat ab omni injustitia, qui nominat Nomen Christi, ne eo sanctissimo abutatur, & contra gloriosum Salvatoris nomen contumeliosè delinquat, ceu multi illo partim in mendacijs suis, partim in rebus nihili confirmandis abutuntur. Quæ admonitio in principio novi anni admodum est necessaria; Cum enim Jesus factus sit nobis à Deo sapientia & justitia & sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. v 30. verè ipse dixit Johan 15: sine me nihil potestis facere. Transegimus quidem annum, quo duce? Jesus nos sustentavit. Vivemus hoc anno, sed non omnes, quo benedicente? Domino Iesu. Si moriendum est optamus salvari, quo dante? Domino Jesu. Pudeat ergo nos, quod elapso anno malè vixerimus, prædicemus misericordiam Dei, quod non consumti simus. Thren. 3. David elapso anno, 2. Sam. 11. Bersabeam impudicè aspexit, illiq; se conjūxit, & Uriæ insonti se crudeliter opposuit. Hic aspectus infelix, turpisq; conjunctio & oppositio portendit ipsi annum arumnosum & mala quam plurima; quia stuprata est Thamar, oppressit eam frater Ammon, hunc è medio tulit Absalon, idem pepulit patrem in exilium, & tragicè periit. Nos rectius edocti cum novo anno novam inchoemus obedientiam, oremusq; nobis pro strena dari à Christo gutulam innocui sanguinis, quem circumcisus ipse in signum futuræ solutionis pro salute nostra obtulit & effudit.

III.

Monstrando Finem Fidei Triplicem.

I. Quod per Christum liberati simus non tantùm à cruenta carnis circumcisione: quia restituuntur pignora & tollitur scriptura cautionis,

cautionis, ubi as alienum dissolutum est; verùm etiam ab insultu Satanæ, ne nobis præcidat vitam & justitiam. Deus enim, Dan. 9. v. 4. custodit pactum & misericordiam erga diligentes ipsum, & custodientes mandata ejus, non secundum justitiam, quia peccatores sumus; sed juxta misericordiã diligentibus eum retribuit. 1. Reg. 8. v. 23.

Circumcisio itaq; sicut & Baptismus non est ipsum fœdus vel pactum, sed pacti seu Testamenti cum Deo initi symbolum duo complectens, scilicet: primò Deus nobis sua bona legat. Secundò vicissim à nobis obedientiam exigit, postulat à nobis cultum & pollicetur nobis patrocinium. Gen. 17. dicit Abrahamo: Ambula coram me & esto perfectus, auditur promissio retributionis: Ego ero scutum tuum & merces tua magna. Nec quis unquam Deo gratis inservijt. Esaiæ 45. Joh. 8. Joh. 14. Hinc, licèt nemo cognoverit sensum Domini, Rom. 11. assequi tamen licet, quo loco apud Deum simus, quid in pectore divino de nobis agatur, & in venturo seculo de nobis sit futurum. Nec opus est propter inquisitionem hujus arcani in cœlos ascendere: 2. Cor. 12. talis enim ergo nos divina mens est, qualem nos erga Deum gerimus animum, sicut in fonte pellucido ope speculi Solis videtur deliquium, quod in Sole ipso propter oculorum imbecillitatem cernere non datur. 1. Sam. 2. v. 30. Honorantes me honorabo, inquit Dominus, contemnentes autem me contemnentur. 2. Paral. 24. v. 20. Quia dereliquistis Jehovam, ipse quoq; derelinquet vos. 1. Paral. 28. v. 9. David morti vicinus instruit filium. Vtinam pari zelo non tantùm in agone, sed in tota vita informaremus sobolem nostram, ne deesset illis hoc speculum in corde recto. Si quæsieris Deum invenietur à te, si dereliqueris eum, abijciet te in æternum, hoc est, qualis tu erga Deum fueris, talem erga te Deum experieris. Si hîc in terra Jesum honoraverimus, honor & gloria nobis ab ipso dabitur in cœlesti palatio, justitiaq; & sanctitatis claritas.

Vt autem futuræ gloriæ gustum percipiamus, alicujus bene præmissi animam Domino Jesu commendatam nobis ante oculos proponamus, quæ cum felix in cœlo residens eos videat, qui infinito tortorum & tor-

& torquentium ejulatu in tenebris extremis cruciantur, videatq; se Christi meritis & sanguine à tanto malo ereptam, & in summa felicitate cœlesti locatam, quid quaso aget? quibus oculis Salvatorem intuebitur? quo affectu se pedibus ejus obvolvet? Si Esther virgo paupercula à Rege potentissimo in uxorem ducta & regni consors facta, Regem tantæ dignitatis authorem amantissimis oculis aspexit; Si David de ovili ad regnum evectus, misericordiam Dei humiliter agnovit, & omnes creaturas, quæ sunt in cœlo & terra ad laudandum Deum invitavit; Psal. 148. Si tres pueri, Dan. 3. ab incendio fornacis flammivomæ erepti adeò in amorem sui liberatoris exarserunt, ut pro liberatione à momentaneo corporis incendio se totos in præconia divini numinis effuderint, & omnia creata ad eundem cultum excitarint; quidnos totis animi fibris non faciemus, jam liberati à flammis gehennæ, & æterna cœli possessione donati?

II. Quod velit esse JESVS noster in lucta mortis. Esa. 25. Ose. 13. Rom. 10. 1. Thes. 4. 2. Tim. 1. Hac spe erectus David inquit: Psal. 31. v. 6. In manum tuam commendo Spiritum meum, redemisti me Deus veritatis. Petrus Apostolus cum uxor ad martyrium traheretur, hoc idem ipsi inculcavit: Memento Domini Jesu. Euseb. lib. 3. cap. 30. Hoc suum officium Christus probavit erga latronem, Luc. 23. & Stephanum. Actor. 7. Ignatius & omnes Martyres utriusq; sexus, quod historiæ Ecclesiasticæ luculenter commemorant, cum hoc triumpho in nomine Jesu vitam cum morte commutârunt. Erit porrò Jesus noster in die resurrectionis: quia protrahet nos de sepulchris nostris, & liberatos de lerna impiorum constituet à dextris suis, & tandem ad thronum judicij Joh. 5: quia est filius hominis massa nostra, Ephes. 5. & liberabit nos ab aspero verbo, & de lacu mortis. Zach. 9. Quis ergo contra nos? quis accusabit, quis damnabit nos? Rom. 8.

III. Quod non tantùm hic annos naturæ, Deut. 30. Esa. 38. Psal. 56. quia in ipso movemur & sumus, Actor. 17. & annos gratiæ; Esa. 49. 2. Cor. 6. sed annos infinitæ gloriæ in terra viventium, Psal. 27. mutato luctu nostro in choream, Psal. 30. & excellentissimum

mum pondus, 2. Cor. 4. infiniti gaudij nobis distribuere velit. In hoc seculo numerantur Anni Mundi. Anno Mundi 1656. cataclysmus orbem inundavit, Anno post diluvium 391. qui fuit Annus mundi 2047. Circumcisio instituta est. Duravit jam mundus Annos 5574. & properè vergit ad finem. Numerantur Anni Christi. Octavo die circumcisus est, Annos natus 12. disputavit in templo, Anno ætatis 30. baptizatus, & Anno 34. crucifixus, surrexit tertio die, 40 ascendit in Cœlos. Numerantur Anni mortalium. Circumcisus est Abraham Anno ætatis 99. Ismaël Anno 13. Baptista die 8. Psal. 90. v. 10. Dies vitæ nostræ sunt annorum 70. ad summum 80. Numeratur modò à Nativitate Christi Annus 1612. numeramusq; in brevis hujus vitæ curriculo unusquisq; Annos suos, à quo brevissimo spacio unus nobis hodierna die annus subtractus est, & paulatim cæteri subducentur, nec longiores erunt qui sequẽtur, quàm qui præcesserunt. Quæ futura longa putamus, repentè transacta avolant, Gregor. præ foribus est tremendum judicium, nec aliud de morte nostra nobis certum constat, nisi quod hora ejus incerta est. Illi qui elapso anno vita functi sunt, certè ad hunc novum se perventuros arbitrabantur, sed hac spe fraudati sunt, quod & nobis meritò timendum est. Avolant hic anni & dies evanescunt, in cœlesti autem vita sollicitè non dicemus: Deo notũ est, an omnes ad anni hujus exitum superstites erimus? quia ibi nemo mortẽ timebit. Joh. 14. Sicut vivit Christus sic & nos vivemus. Apoc. 21. v. 4. Mors amplius non extabit. Nec dicemus: Deo notum est, qualis sit futura conditio sortis nostræ, lætáne an lugubris? quia Apoc. 21. v. 4. abstersurus est Deus omnes lachrymas, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor extabit amplius. Nec inquiremus: Vbinam versabimur redeunte novo anno? quia manebimus coram Deo semper. 1. Thes. 4. Hæc erit perpetuò florens, immarcessibilis strena, & novi anni gaudium, quod neq; mors, neq; secula tollent. Ibi nec opus erit pro strena singulis statibus sua attribuere munuscula: Magistratui pelecanum, subditis apem, conjugibus turturem, patribus-

familias formicam, virginibus cochleam, pueris ciconiam, ut de suo admoneantur officio; quia omnes in statu perfecto filij Dei erimus, omnes Unus in CHRISTO JESU. Galat. 3.

Dominica inter diem Circumcisionis & Trium Regum.

DE REDITU CHRISTI EX ÆGYPTO.

Evangelium Matth. 2. v. 19. usq; ad finem.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IN exilio hujus mundi vagantibus verbum Dei unicum est refugium, & consolationis scaturigo; quoniam teste Cypriano, Exul non est, qui Deum, cujus terra est, in mente habet. Poëta ergo & Propheta Regius David ingenuè fatetur, quod si verbo Dei instructus non extitisset, sibi desperandum fuisset. Vt autem sermo divinus profundas agat in visceribus nostris radices, orabimus in nomine Jesu dari nobis Spiritum Sanctum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

OSea 11. v. 1. ante Annos 810; vixit enim Oseas circa annum Mundi 3153. Christus autem natus creditur Anno Mundi 3963. prædixit Deus: cùm puer Israël esset, dilexi eum, & ex Misraim vocavi filium meum; idq; adimpletum esse constat ex narratione hodierni Evangelij.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

HErode mortuo Deus
Christum reducit exulem, Solum

Solum parentes & pede
Judæ salutant provido.
Archelai quoniam metu
Terra relicta patria,
In Galilæam mox iter
Carpunt ad urbem Nazareth.
Sed concionis veritas
Exegit hoc propheticæ,
Ut Nazareni nomine
Homo potiretur Deus.

TRIA MONSTRANTE HOC TEXTU IN MUNDI EXILIO PRÆSTANDA.

I.

Confirmanda fides tribus Modis.

I. *Quod quemadmodum æternus Deus paternè sollicitus fuit de vita ac salute filij sui; ita & nos, quos sibi complacentes, Matth. 3. in Jesu Christo adoptavit, Johan. 1. Roman. 8. Eph. 1. & Ecclesiæ membra elegit, pectori divino insculptos gerit, Psal. 36. neq; dormitat, neq; dormit, qui custodit nos ab omni malo, Psal. 121. sed mandavit Angelis suis, Psal. 91. ut pericula à nobis avertant. Psal. 34. Et hi Spiritus administratorij, Ebr. 1. duxerunt Lothum de incendio Sodomæ. Gen. 19. Comitati sunt Jacobum, Gen. 28. cum fugeret Esau fratrem. Cibum attulerunt Eliæ, 1. Reg. 19. cum persequeretur ipsum Jezabel. Adsunt Elisæo, 2. Reg. 6. Petroq; in Carcere, Actor. 12. & Paulo in naufragio, Actor. 28. nobisq; & pueris nostris, Matth. 18. benefaciunt, donec ad multitudinem eorum perveniamus. Ebr. 12. Credimus ergo quod Deus sit pro nobis, Rom. 8. & quis contra nos? nec comitatus nec commeatus deerit nobis.*

II. *Quod licèt nullum regnum violentum sit diuturnum, certo tamen consilio proroget Deus vitam tyrannorum, patiaturq; illos sævire contra Ecclesiam, & multa coram Deo & hominibus abominabi-*

lia perpetrare; siquidem hic Herodes 37. Annos regni fasces tenuit, & juxta Lysandri sententiam, quò cutis Vulpina pertingere non potuit, induit Leoninam; præter tyrannidem, quam in posteros Davidis exercuit, tres filios suos Aristobulum, Alexandrũ & Antipatrũ occidi jussit, & inter infantes cruentas strages edidit omnium certè Regum in toto mũdo amentissimus. Fuêre enim qui eô vesaniæ processerũt, ut pro Dijs vel Deorum filijs haberi vellent, de quorum numero fuit Nebuchodonosor, Alexander Magnus, Cajus Caligula, Herodes, Actor. 12. quod & Dæmonum princeps affectavit; sed hoc monstrum non tantùm se Deo parem, verùm superiorem efficere conatus est, quia potentiam DEI calliditate sua superare quæsivit, dum Deum è medio tollere, Salvatorem mundi in cunabulis occidere, & quasi florem in herba supprimere conatus est.

Causas divinæ permissionis quæris:
1. Ut longanimitate Dei vocentur ad pœnitentiam. Romanor. 2.
2. Ut subditorum sic puniantur delicta. Job. 34.
3. Ut impleta jam peccati mensura tyrannorum damnatio justior sit.

Quos Deus pro lubitu voluntatis suæ potenter imposito fine crudelitatis de sedibus suis deturbat, juxta illud: Væ tibi qui spolias, quoniam spoliaberis ipse; ut sic Deo vindice pereant, qui quærunt animam & persequuntur membra pueri Jesu. Psal. 37. 58. Sap. 6. Job. 20. v. 6. 7. 8. Si ascenderit usq; in cœlum sublimitas ejus, & caput ejus nubem attigerit, attamen instar stercoris in sempiternum peribit. Videntes eum dicent, ubinam est? instar somni avolabit, & recedet sicut visio nocturna. Exempla dantur in Pharaone submerso, in Sanherib à propriis filijs interfecto, in Balthasaro ultimo rege Babylonis, Dan. 5. cujus Epicedium legatur, Esa. 14. v. 4. usq; ad 12. De morte hujus Herodis Ascalonitæ seu Magni legatur historia Tripartita lib. 1. cap. 5. 9. Joseph. de bello Jud. lib. 1. cap. 21. Incidit in pavidum timorem, utpote nec Deum nec homines habens amicos. Intestina computruerunt, velut & Antiochi, 2. Mac. 9. cum pessimo fœtore. Caro quasi

quasi inflammata frustratim dujecta est. Ilia vermibus scatuerunt. Ipse multivorax & insatiabilis fuit. Sibi ipsi manum inferre voluit, sed prohibitum est, ut diutius torqueretur. Die quinta ante tragicum obitum unum filiorum interimi mandavit, quod è carcere prodijsset. Morti vicinus per sororem Salomen & sororium Alexin multos procerum trucidari curavit, ut sic luctus excitaretur. Post mortem ejus regnum in 4. partes divisum est, ipse cum satellitibus ad infernum tractus est. Sic Herodes Agrippa à vermibus erosus est. Act. 12. v. 23. Sic Julianus qui baptismum sanguine oblationum abluit, Judæis contra Christum suppetias tulit, scholasq; & templa enervavit, tandem à Christo ictus & victus est. Zonaras Tom. 3. scribit, quod vigiles Antiochiæ noctu viderunt stellas cæli concurrere, & expressis verbis colloqui: Hodie Julianus in Persia occidetur, nec defuit eventus. Sic mortuis ejusmodi tyrannis, Triplex excitatur gaudiũ,

1. Inter Angelos bonos in cœlis, quod viri sanguinum deleti sint, & liberata ab ijs Ecclesia.

2. Inter Dæmones malos in gehenna, quod præda petita potiti sint.

3. Inter homines in mundo, quod crudele flagellum in ignem conjectum sit.

III. Quòd verè hic puer sit Messias, quia juxta Vaticinium, Ose. 11. vocatus est ex Ægypto, simulq; impletæ sunt prophetiæ, Numer. 24. v. 8. Deus eduxit eum ex Ægypto. Jer. 31. v. 15. Rachel plorans super filijs suis, renuit consolationem admittere. Ezech. 12. Dux eorum super humerum portabitur, & egredietur in caliginem, quæ verba S. Hieronymus de hac historia interpretatur. Fuitq; Josephus Jacobi filius sicut in multis alijs, sic in hoc etiam Christi Typus, quia ipse primus in Ægypto exul venditus est, sed ex carcere ad summos honores & divitias evectus, populum suum eò vocavit præses & præsul, & ibidem doctrinam de Christi adventu promulgavit. Alter hic Josephus eundem Christum jam incarnatum per Arabiam Petræam in Ægyptum deportat, testisq; est Sozomenus lib. 5. cap. 21. Oros. lib. 7. quod hac occasione quamplurimi in Ægypto ad veram religionem de-

cultu Simulachrorum conversi sint. Ad hæc vocatur Nazarenus, de qua appellatione, quoniam in Nazareth conceptus & educatus fuit, non disputatur; Sed de eo, quod prædictum fuerit per Prophetas dicentes: Nazarenus vocabitur, Triplex est opinio.

1. Est Chrysostomi. Quod sicut Judæorum socordiâ multorum prophetarum scripta perierunt, de quibus legitur, 1. Reg. 4. 1. Paral. 29. 2. Paral. 12. 20. 29. &c: ita temporibus Evangelistæ forsan extitisse illud propheticũ scriptũ, unde sententia hæc desumpta sit, quod postea intercederit.

2. Est Osiandri. Quod non fuerit scriptum in prophetis, quia Evangelista non dicit, Scriptum esse, sed Dictum esse per prophetas; & sic in traditionibus observatum posterũ innotuerit.

3. Est Hieronymi. Quod Evangelista, quia non inquit, dictum est per prophetam, sed per prophetas significet, se non certi alicujus propheta verba recitare, sed ad sententiam in prophetarum scriptis traditam alludere.

Hæc ergo sententia triplex esse videtur,

1. Quod Evangelista fortè respexerit ad legem consecratorum seu Nazaræorum. Num. 6. Siquidem Christus summum votum de redemptione generis humani vovit, idemq; præstitit ad hoc ab utero matris ceu verus Nazaræus segregatus, quin &, ceu Lentulus scribit, longam comam aluit. Et multi huc transferunt historiam Simsonis Nazaræi, Jud. 13. quod ille typus Christi in multis extiterit. Vtpote Solaris ille mirabiliter natus, Heros fortissimus liberans Israelem à Philistæis, qui hostibus plus nocuit moriens, quàm vivens. Judic. 14. 15. Christus enim fortissimus fortem armatum ligavit, Luc. 11. v. 22. & per mortem Christi mors exarmata est, infernus destructus, serpentis caput contritum. De Christo Angelus dixit: quod ex te nascetur Sanctum vocabitur filius Dei. Et crescens casaries, quæ erat signum externum ex voto Nazaræorum, vocatur Nezer. Num. 6. v. 5, 8. Et Joseph Nazarenus quasi conservator

* *servator fratrum appellatus fuit. Gen. 49. v. 26. Deut. 33. vers. 16.*

2. Ex Etymologia, quia appellatio Nezer נֵזֶר *per Zain in scriptura tribuitur illis, qui vel sanctimonia singulari, ut Pontifex, vel dignitate, ut Reges segregati erant à vulgo. Corona sanctificationis in capite pontificis vocatur Nezer, Exod. 29. v. 6. & 39. v. 30. Diadema Regum vocatur Nezer, 2. Sam. 1. v. 10. 2. Reg. 11. v. 12. Psal. 89. v. 40. Vt ergo notum & manifestum esset figuras illas impletas in Christo mirabili Dei consilio, appellatione à patria Nazareth, ubi educatus erat, accepta, publicè prædicabatur verus Dei Nazarenus, Pontifex & Rex; & de Messia expressè loquitur, Psal. 132. v. 18. super illum florebit Nezer, Corona seu sanctificatio ejus.*

3. Quando Judæi Jesum vocarũt Nazarenũ, scripserũt per Zade נָצָר *&* הַנּוֹצְרִי *quæ etymologiæ explicatio etiam pia & consentanea est; nam Esa. 11. v. 1. Messias vocatur Nezer, surculus, virga vel germen de radice Jesse exsurgens, & sæpius vocatur* צֶמַח *Germen justum, Jer. 23. v. 5. Jer. 33. v. 14. Zach. 3. v. 8. 5. v. 12. Esa. 4. v. 2. sic iterum mirabili Dei dispensatione à loco educationis Surculus Davidis, de quo Prophetæ vaticinati sunt, Nazarenus vocatus est.*

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt cum puero Jesu, qui numerat fugam nostram, Psal. 56. propter gloriam nominis ejus in exilium abire non subterfugiamus: quandoquidem Dux Palæstinus qui Israelitis Abrahamo & semini ejus ex mera misericordia terram Canaan promisit, eosq; ipsemet ante Annos 1510. instar ignis & nubis nocte dieq; de exilio 215. Annorum ex Ægypto comitatus 40. Annis sustentavit in deserto, tradiditq; illis terram

ram melle ac lacte fluentem; iterum de captivitate 70. Annorum illos ex Babylone liberavit, ipse ab ingratis eorum posteris puer in exilium pulsus, cogitur incertis sedibus vagari, & per Arabiam Petraam cum matre in Ægyptum aufugiendo latibula quærere. Certè nos non meliores sumus Redemptore nostro, cui nos oportet fieri conformes, Roman. 8. Joh. 21. ut sublato jugo ejus, Matth. 11. piè viventes, 2. Timot. 3. ingrediamur in regnum Dei. Actor. 14. Interim licèt, ut Basilius dixit, aurum & argentum deserant homines, nec cum possessoribus suis migrare velint, Credentibus non deerit consilium nec auxilium,

quia teste Augustino habent,

Patrem, de quo Joh. 3. legitur, quod nos dilexerit; nec filio, ut servum redimeret, pepercit. Bernhard.

Patriam, mansionem à Christo paratam. Joh. 14. πλείονας in cœlis. Phil. 3.

Patrimonium seu hæreditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nempe in cœlis servatam nobis, 1. Petr. 1. v. 4. 1. Cor. 15. Ubi Deus erit omnia in omnibus. Rom. 8.

August. in Explic. Psalm: Membra Christi cogitate, quale caput habeatis; Filij Dei cogitate, qualem patrem inveneritis; Christiani cogitate, quæ vobis hæreditas promittatur.

Exul erat Christus, comites nos exulis hujus
Esse decet, Christi qui pia membra sumus.

Si bona conscientia fugam non dissuadet, exempla habemus Christi hoc loco, & Luc. 4. Joh. 8. Davidis dum fugit socerum & filium. Eliæ, 1. Reg. 19. Pauli Act. 9. & aliorum. Sapiens enim videt infortunium & abscondit se. Prov. 22.

Instante confessionis necessitate invicto animo manendum est, Actor. 5. 12. 16. 29. in laboribus, in fatigationibus, in verberibus, in carceribus, in morte. 2. Cor. 11. v. 23.

Si Deo ita visum fuerit, potest Danielem inter famelicos leones, Tres viros in medio crepitantium flammarum, Johannem Evangelistam in oleo ardenti illæsum servare.

II. Ut

II. *Vt Deo nos præmonenti præstemus obedientiam, nec pia præsaga somnia temere contemnamus, quia Christianorum anima & spiritus semper vigilant in Domino.*

Somnia seu imaginationes in somno triplices sunt.

1. *Physica seu naturalia ἐνύπνια, de quibus Claudianus:*

Judicibus lites, aurigæ somnia currus.

2. *Præsagientia ὄνειρα, qua futuros eventus quasi allegoriis depingunt.*

3. *Divina χρηματισμὸς ut omittã hoc loco ὅραμα δαιμονιῶπεμπτον. Historiæ memorabiles in sacro codice leguntur, de somnio Josephi, Gen 37. v. 5. & 9 de somnio pistoris & pincernæ: Gen. 40. v. 8. de somnio Pharaonis, Gen 41. v. 1. de somnio fatali, Jud. 7. v. 13 1. Reg. 3. v. 5. Esth. 10 de somnio Nebuchodonosarii, Dan 2 & 4. de somnio Danielis, Dan. 7. v. 1. de apparitione Angelorum, Matth. 1. & 2. sic & conjunx Pilati in somnijs admonita fuit de innocẽtia Christi. Promisit quidem Deus, Numer. 12. v. 6. se in visione & somnijs loqueturum cum Prophetis, excepto tamen Mose, cum quo ore ad os locutus est; ibid. v. 8. In Novo autem Testamento quia nobis cum locutus est per Filium, Ebr. 1 visiones & somnia consulenda non sunt. Syr. 34. Licetq; haud rarò somnia deceperint miseros mortales, nequaquam tamen omnia sunt vilipendenda, inprimis ubi humili oratione cubitum euntes, nos Deo commendavimus, quia anima actionibus licèt imperfectis insudat. Si ergo somnia horrenda nos perturbant, Syr. 40. v. 5. & mentem variè afficiunt, rogandus Deus est, ut mala promerita clementer avertat; si jucunda nos reficiunt, oremus incrementum; si mali quid suggeritur cautè ambulemus, & præmonitionem grati agnoscamus.*

III. *Vt si non datur locus in terra Israël, habitatione exigua in Nazareth Galilææ simus contenti: 1. Tim. 6. Sic tamen, ut ubicunq; vixerimus, recordemur nos esse Nazarenos & Christianos, qui in Baptismo renunciavimus Satanæ, ideoq; persolvamus Altissimo votum,*

Psal. 50. & præstemus quodcunq; promisimus, quia melius esset nil promisisse, quàm promissa facere irrita, Eccles. 5. ambulemusq; in vita nova. Rom. 6. III.

Triumphus Fidei Triplex.

1. Quod, quia exul pro nobis factus est, hoc merito Jesus reparaverit nobis mansiones æternas in domo patris sui, Joh. 14. revocabitq; nos ab exilio immundi hujus mundi in regionem viventium, Psal 27. in terram Israel, hoc est, cum Deo dominantium super peccatum mortem & Satanam. Velut Adam, Gen. 4. gladio Cherubin ex paradiso: sic Christus gladio Herodis in exilium pulsus est, sed hoc merito in paradisum intromittimur, ut nobis agonizantibus dicat Princeps vitæ Dominus Jesus, Luc. 23. Hodie mecum eris, &c. Præter dubium Joseph & Maria cum puero Jesu ab exilio reversi, post septem annos juxta Sabellicum, vel post duos, ut placet Epiphanio lib. 1. cap. 2. quorum spacio magno cum mœrore inter Ethnicos hospite, ceu D. Chytræus ex narratione cujusdam Græci annotavit, Aphrodisio in urbe Alcair, quæ alias Memphis, inter Idola & cultus Dæmonum languentes extremo desiderio veri cultus Dei patriæq; & amicorum vitam ægerrimè traxerunt, cum summo gaudio ad tenues penates suos, ad notos & agnatos reversi sunt. Stat enim sententia Poëtæ:

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non sinit esse sui.

Sicut & David Rex ex duplici suo exilio dum Saulem fugit & Absalonem, & Johannes è Pathmo ad Ephesios, & Athanasius alijq; ad domesticam & catholicam Ecclesiam cum summo gaudio redierunt. Sed cum majori animi jucunditate nos ad piè præmissos in cælesti palatio colligemur: in illa patria, de qua amico morituro spem fecit Carolus Magnus.

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te manet alta quies, nos lachrymosa dies.

Licetq; hic aliquandiu in Galilæa transmigratorum terra delitescendum

dum sit, dum Archelaus alijq; tyranni imperium habent in populum. Deis mox tamen mortuis illis, qui Jesum & membra ejus, Exod. 4. persequuntur, in terra Israel securè habitabimus, & absq; metu versabimur in templo sancto Jehova.

II. Quod verè sit vita aterna, ex qua Angeli præsentes Christum cum matre ducunt & reducunt, Psal. 34. 91. quorum nos erimus contubernales. Matth. 22. Nec ipsi in somnijs nobis operas suas præstabunt, quamvis & dormientes ignito muro circumdent. Nec, velut de lætitia ac voluptate populi à captivitate Babylonis redeuntis cum summa cæterorum populorum admiratione David loquitur, Psal. 126. v. 1. Erimus veluti somniantes. Nec velut de Genadio Medico Aurelius August. in Epist. 100. narrat, quod ipsi cogitanti an esset vita alia post mortem in somnis apparuerit Juvenis, eumq; duxerit ad locum amœnissimum hymnis suavissimis personantem, retuleritq; hymnos esse beatorum & sanctorum; subsequenti nocte idem Juvenis secundò apparuerit, atq; eum interrogaverit, utrum cognoscatur: Cui Genadius, te nosco ait, & simul hymnos quos audierat recenti memoria narravit. Porrò ille percontatus est, num quod narrabat in somnis vidisset, an vigilans? Respondit Genadius in somnis. At ille: In somnis quidem illa vidisti, sed annè & nunc in somnis te videre scis? Cui affirmanti inquit: Scisnè in corpusculo illigatos esse clausosq; & ociosos oculos tuos, quibus jam nihil vides? Respondit ille scio. Rogatus autem quinam illi sint oculi, quibus modò secum colloquentem videat, Genadius conticuit, responsumq; est hæsitanti: Oculi carnis in dormiente nunc vacant nec aliquid operantur, nec tamen desunt oculi quibus me intueris; Sic post mortem, nihil agentibus oculis tuis carneis, vita tibi erit qua vivas, sensusq; quo sentias. Sed verè velut Etiam, 2. Reg. 2. v. 11. & Lazarum, Luc. 16. ex mundi hujus exilio in æternam patriam transferent Angeli animas nostras, manibus suis exceptas, ut juxta petitionem Hieronymi in Agone accipiat Dominus Jesus filios hic famelicos in regione aliena & reddat eos patri suo, suscipiat ulceribus plenos & collocet in sinum Abrahæ. Imò multis An-

geli, quantùm ferunt oculi humani, in agone ceu juvenes, agni, columbæ & flores apparuerunt.

III. *Quod Jesus Christus fortis Nazarenus, Numer. 6. Jud. 13. qui morte sua hostes suos & nostros contrivit, Rex & Sacerdos noster, virga Davidis & germen justum, noster Nezer, sive per Zain, sive per Zade scribas, vera ex surculo vitæ Arbor plantata in locum illius in paradiso, qua propter transgressionem frui non est concessum mortalibus, suis ramis atq; fructu nos fovebit & pascet in æternum. Apoc. 21.*

Hoc loco Carmen, quod de hac Arbore vitæ composui subjungam, nec succensebit mihi amicus Lector, sed hoc orationis genere ad pios affectus magis excitabitur.

DE ARBORE VITÆ PLANTATA IN GOLGATA.

Meditatio

JOHANNIS MONRADI. L. P.

ASpice ut avulsum sterili de robore lignum	*Deut. 21.*
Per Christi frangat vulnera mortis opus:	*Esa. 53.*
Sic datur erecto nobis medicina colubro,	*Num. 21.*
Vepribus & cinctus liberat Agnus oves.	*Gen. 22.*
Arida dante Deo sic vitæ efflоruit arbos,	*Num. 17.*
Regnat & à ligno gloria viva Dei	*Psal. 96.*
Nam patulæ Radix Jessæ ceu virgula plantæ	*Esa. 11.*
Exserit è viridi dulce cacumen humo,	*Zach. 3.*
Et tumulo impositum vidit lux tertia vitæ	*Marc. 16.*
Victrici lignum tollere fronde caput.	*Psal. 110.*
Post quater inde decem crescens super æthera soles	*Actor. 1.*
Subdidit imperio quæq; creata suo.	*Matth. 28.*
Bis senos fero ubi ramos plantaverat orbi,	*Marc. 16.*
Pondere qui ferrent uvam oleumq; gravi,	*Matth. 10.*
Quos decima inde die supera decoravit oliva.	*Actor. 2.*
Pectora cœlesti flaminis imbre rigans,	*Ioel. 2.*

Ut sa-

Ut ſacra poma pijs poſſent monſtrare ſalutis, *Gen. 3.*
Et miti Gentes paſcere fruge vagas. *Gen. 22.*
Puncta ſed ipſa dedit geminum de vulnere ſuccum, *Ioh. 19.*
Ut medicina forent lympha cruorq; reis. *1. Ioh. 5.*
Inde ſalutiferum videas ſub tegmine fontem, & *Zach. 13.*
Farre meroq; ſacri fercula tecta cibi. *Luc. 21.*
Sic tribus ipſe velut digitis vitam atq; ſalutem *Ezech. 33.*
Comprobat erectis ſe dare velle Deus; *Ioh. 8.*
Quodq; ſit in merito Chriſti ſpes certa, fideſq; *Ioh. 3.*
Vivida, teſtantur Spiritus, Unda, Cruor. *1. Ioh. 5.*
Fertilis in vera Palmes modò vite vireſcas, *Ioh. 15.*
Inq; Olea maneas furculus ipſa ſacra. *Rom. 11.*
Toxica & antiquum Cedrus fugat illa Draconem, *Iſidor.*
Illa dat æternæ pacis oliva decus. *Gen. 8.*
Hæc decorat celebres victo palma hoſte triumphos, *Apoc. 7.*
Palmula vipereum hæc enecat eſa genus. *Pauſan.*
Palma dat hæc virides adverſo pondere ramos, *Pſal. 92.*
Hæc vitæ Vitis corda liquore rigat. *Ioh. 6.*
Lenit hic infeſtum ſuccus ſub pectore vermem, *Eſa. 66.*
Gentibus hoc fructu vita ſaluſq; datur. *Apoc. 22.*
Hac quem fervor agit Domini te conde ſub umbra, *Pſal. 91.*
Legis & à torvo fulmine tutus eris. *Gal. 4.*
Confuge ad hoc vitæ vitæ in diſcrimine Lignum, *Gen. 3.*
Perpetuò & vitam non moriturus ages. *Apoc. 2.*
Hoc quicunq; doles roſeo præcordia ſucco *1. Ioh. 1.*
Unge, ſit hæc oculis unda, lucerna tuis. *Tit. 3.*
Hoc vino, hoc oleo liventia vulnera cordis *Luc. 10.*
Obline, ſed fidei miſceat illa manus. *Ebr. 11.*
Mitiget hæc vitæ calicem crucis Arbor amarum, *Exod. 15.*
Et fidei foveant hæc ſacra ligna focum, *Levit. 6.*
His tege te nudum foliis, his contege ſordes, *Gen. 3.*
Hîc tibi curarum ſit vacuo alta quies. *Pſal. 4.*
Hoc iter in cœlum per ramos carpe, Coronam *Gen. 28.*
Gloriæ ut hinc vitæ, juſtitiæq; feras. *1. Pet. 5. Apoc. 2. 2. Tim. 4.*

Exulibus baculus confertur ab Arbore vitæ, *Psal. 23.*
Virgaq; qua reprobos vindicis ira quatit. *Psal. 89.*
Hoc malè ne pereas vaga tu vestigia firma, *Psal. 119.*
Hoc baculo Stygium pelle subinde canem. *Psal. 118.*
Si quoq; fors primo fructum non percipis ictu, *Abac. 2.*
Perfer & urge, insta, crede beatus eris. *Matth. 15.*

Die Festo Trium Regum seu Epiphaniæ,

DE MAGIS.

Evangelium Matth. 2. v. 1. usq; ad v. 13.

PRÆFATIO SUPPLEX.

HOdie in Ecclesia docetur, quomodo Magi, duce stella, Christum quæsitum invenerint, muneribus suis honorarint; & prænoniti à Domino feliciter in patriã reversi sint. Habemus & nos stellam sanctam, 2. Petr. 1. firmissimum sermonem propheticum, cui rectè attendimus, velut lucernæ splendẽti in loco obscuro, donec dies illucescat, & phosphorus exoriatur in cordibus nostris. Orabimus itaq; ut & nobis per Spiritum Sanctum concedatur prælucente fide Christum in verbo reperire, cordis muneribus, fide, invocatione & patientia ipsum honorare, & per felicem obitum in æternam transferri patriam. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 60. v 6. Psal. 72. v. 10. prædictum fuit de vocatione Gentium, & oblatione auri & thuris, quæ Reges maris & insularum afferent Messiæ; Idq; impletum esse, & verè nacta esse eventum hæc vaticinia, constat ex historia hujus Evangelij.

ARGV-

ARGVMENTVM ET DISPOSITIO TEXTVS METRICA.

EX orbe Persico Magi
Stellam secuti præviam,
In urbe sancta quæritant,
Judææ ubi sit Rex novus?
Horret Tyrannus anxius
Adesse qui Israël regat,
Locus Magis ostenditur,
Ad se reverti quos cupit,
Sulcum sequuntur Syderis,
Infantulo Regi, Deo
Thus myrrham & aurum conferunt,
Herodis evitant dolos.

TRIA MAXIME NECESSARIA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod hic Puer à Magis ex Oriente quæsitus verè sit promissus Messias, verus Deus & verus Homo, in una persona.

Verè apparuisse Messiam testatur,

1. Deus, creatione novæ stellæ, novo & inaudito miraculo. Hæc autem Stella, ut Fulgentius, qui vixit Anno Christi 500. memoriæ prodidit, fuit à reliquis discreta, locumq; habuit non in firmamento cum stellis minoribus, neq; in æthere cum Planetis, sed in aëre vicina terræ locum suum occupavit; Ideoq; Chrysost. & Theophylactus fuisse Angelum Jehovæ in forma stellæ apparentem, Psal. 104. annotârunt. Scribitq; Chalcidius Platonicus super Timæum Platonis, Græcus author vetustissimus, qui paulò post natum Christum vixit, quod ortu hujus stellæ insolitæ non morbi mortesq;

* teſq; prænũciatæ ſint, ſed deſcenſus Dei venerabilis ad humanæ conſervationis, rerumq; mortalium gratiam; & quod à Chaldæis obſervata fuerit, qui Deum nuper natũ muneribus venerati ſint. Et alia conceptione atq; nativitate Chriſti miracula contigerunt, quæ uſurpare mortalium nemo potuit.

2. Teſtatur hoc ordo perverſus in officio Magni vel Summi Sacerdotis, quod jam plures omneſq; convocati ab Herode per vicem illegitimam adminiſtrabant, cum ordinatione divina unicus tantùm, qui & typus Chriſti erat, Num. 35. v. 28. Pontifex fuiſſet conſtituendus. Et hi quidem jam plures una cum phariſæis teſtimonium, Mich. 5. allegantes, de Meſſia confeſſionem edunt.

3. Sceptrum Herodi homini Ethnico traditum, Gen. 49. qui, quod audiviſſet à Judæis Meſſiam futurum Regem omnium ſeculorum auguſtiſſimum, ubi Judæorum ſceptrum corruiſſet, ſtirpem Davidis ex qua ipſe oriundus erat, planè enervare conatus eſt, 45. Principes ex ea natos, & 70. Seniores in conſiſtorio paulatim è medio tulit, & hoc loco audito rumore de novo Rege, cùm aliàs leo eſſet truculentus velut ad gallicinium metu perculſus, de eripiendis ſibi faſcibus exſtupeſcit. Hinc Auguſtinus: Quid non faciat tribunal judicantis, quando ſuperbos Reges terret nativitas infantis?

Eſſe hunc puerum Deum & Hominem demonſtratur,

I. Mich. 5. v. 2. ubi hic geminæ ſubſtantiæ Heros ita deſcribitur, quod juxta carnem egrediatur ex Bethlehem Ephratæ, ſed juxta divinam naturam ſit egreſſus ejus ab initio, à diebus ſeculi. Sic ergo bis natus in principio ab æterno, & in tempore, primò quidem verus coëſſentialis & coæternus Deus, Pſal. 2. Deinde Mariæ filius verus homo, Phil. 2. & tamen unus Chriſtus, una & eadem perſona. Actor. 2.

II. Ex

II. Ex quæstione Magorum, qui teste Strabone lib. 16. cum essent in Persia & Babylone aularum Magistri, Sophi, & Historici, atq; vel ex oraculo Sybillæ Erythrææ, quod volunt Basil. & Hieron. vel ex libris Balaam divinatoris, Num. 22. vel certò ex libris Danielis juxta Clement. Alexand. Cyril. Chrysost. & Theodoreti sententiam de Christi adventu essent edocti; utramq; Christi naturam confitentur, humanam quidem, dum interrogant, ubi sit qui natus est Rex Judæorum, divinam autem, dum ajunt, se venisse, ut ipsum adoraret, qui cultus soli Deo debetur, Deut. 6. v. 13. & cap. 10. v. 20. Et quoniam in Bethlehem humiliter prostrati adoraverunt puerum Jesum, verè fides eorum oculos Lynceos habuit. Non illis sordet stabulum, non offenduntur pannis, non illos retardat lactentis infantia, vagientis infirmitas. Parvulum vident & omnipotentem credunt. In præsepio jacentem contemplantur, & in cælo sidera moderantem confitentur, venerantur & adorant. Ejusmodi fides vix inventa est in Israel. Matth. 8 Et à nobis exigitur in Verbo atq; Sacramentis.

III. Demonstratur persona mirabilis, & officium Christi ex muneribus ipsi oblatis. De quibus Sedulius:

Aurea nascenti fuderunt munera Regi;
Thura dedêre Deo, Myrrham tribuêre sepulto.

vel sic:

Aurum, Thus, Myrrham Regiq; Deoq; Hominiq;.

Psal. 72. Dan. 7. Psal. 110. Dan. 9. Psal. 16. Dan. 9. Chrysost. Corpus Christi in præsepi jacẽs Magi venerati sunt, & longè venientes in timore ac tremore multo adoraverunt. Et sic sacrificium labiorum Deo & Homini obtulerunt Christo, cui data est omnis potestas, Matth. 28. ad dextram Dei, Psal. 110. Psal. 8. 72. Zach. 9. etiam in venturo seculo. Eph. 1. Eodem modo hæc tria proponuntur in

* *Psal. 110. 1. v. 1. Sede à dextris meis, id est, esto Rex regum. II. v. 4. Tu es Sacerdos. III. v. 7. de torrente bibet id est myrrham gustabit, ut quidam hæc interpretantur.*

II. *Quod Gentes in lumine Christi, Esa. 60. qui ex Lux gentium, Luc. 2. Desiderium gentium, Agg. 2. & Vexillum populorum, Esa 11 ambulent, sintq; cohæredes gratiæ divinæ. Eph. 2.*

Hoc loco notandum de Genealogia generis humani ex Adamo ante diluvium, quod, cæsa in Abele media ferè mundi parte, quæ ex illo stipite fuisset proditura, quare & Chaldeus interpres sic vertit illud Genes. 4. v. 10. Vox sanguinis generationum, quæ successuræ erant de fratre tuo clamat ad me de terra, aliud semen dederit Jehova Adamo pro Abele. & natus ipsi sit Seth, qui fuit pater Henos, qui fuit Cainan, qui Mahalaleel, qui fuit Jared, qui fuit Henoch, qui fuit Mathusalah, qui fuit Lamech, qui fuit pater Nohæ, qui solus tempore diluvij cum illis qui simul arcam ingressi erant, relictus est super terram, Gen. 7. v. 23. tota autem posteritas Cain cum reliquis terræ incolis inundatione diluvij perierunt.

Habuit autem Noah tres filios, ex quibus benedictus Sem, Gen. 9. v. 26. retinuit promissionem de Messia. Japhet quoq; dilatatus habitavit in tabernaculis Sem. Cham autem maledictus est.

NOAH.

Sem.	Japhet.	Cham, & posteri ejus.
Arphaxad.	Gomer, *à quo Cymbri originem traxerunt, maximam Asiæ & Europæ partem occupantes, progoni nostri.*	
Sale.		
Heber		
*		Phalech.

Phalech.
|
Ragau.
|
Saruch.
|
Nachor.
|
Tare.
|
Abraham.

Ascenas, à quo Ascanij & Teutones.

Isaac. Ismaël, *ex quo Agareni, jam Saraceni dicti.*

Jacob. Esau.

|

XII. filij, *quorum posteri dicti sunt à Jacobo Israëlitæ, à Juda verò Jacobi filio Judæi.*

Hinc omnes orbis incolæ distribuuntur in duo genera hominum, scilicet in Judæos seu filios Abrahæ, & in Gētes; de filijs Sem ante Abrahamum ortos, de Ismaële & Esau, de posteritate Japhet & Cham per totum mundum dispersæs. Illorum erat adoptio & gloria, Roman. 9. v. 4. hi absq; Christo extranei à promissionibus propinqui facti sunt per sanguinem Christi. Eph. 2. v. 13. Porrò notandum. 1. Quod promissio venturi Christi non fuerit particularis sed universalis. Gen. 3. 22. 2. Quod Apostolis non concessum fuerit ante mortem Christi docere in plateis Gentium. Matth. 10. 15. Rom. 15. 3. Quod post ascensionem Christi missi sint in orbem universum. Marc. ult. Actor. 13. Disputabitur autem, an hæc esset voluntas Dei, ut Gentes per fidem, in meritum Christi fierent cohæredes vitæ æternæ? Id Judæi manifestè negabant, & Gentes ad habitaculo Domini abigebant, Act. 21. ægerrimeq; ferebant, Esa. 9. quod Gentibus prædicaretur Evangelium de Messia ipsis promisso. Fuit ergo hoc mysterium, Ephes. 3. antea non

non revelatum, quod & Jonæ, & Petri, Actor. 10. historia, & concilium Apostolicum testatur. Actor. 15.

Denig. notandum, Gentes non tantùm in Novo, sed & in Veteri testamento promissionum divinarũ esse participes. Idq. demonstratur,

1. Dictis scripturæ. Gen. 9. 17. 22. Deut. 32. Psal. 2. 18. 22. 115. Esa. in omnibus ferè capitibus. Jer. 3. 16. Ose. 1. 3. Joel. 2. Amos 9. Agg. 2. Rom. 1. 3. 9. 10. 15. Gal. 3. 4. Eph. 2.

2. Typis & figuris. Exod. 26. v. 35. 2. Sam. 24. v. 25. Actor. 10. v. 15.

3. Historijs. Gen. 14. 20. 35. Exod. 12. 17. Nec Gentes excluſæ sunt à Genealogia Salvatoris, scilicet Ruth, Rachab, Bethsabea mater Salomonis. In Babylone & Persia conversi sunt reges Ethnici Nebuchodonosor, Evilmerodach, Darius Medus, Cyrus Persa, Hiram Rex Tyri, alijq. innumeri, utpote ex Madian Jethro, ex Edom Job cum agnatis, ex Hethitis Vrias, 2. Sam. 1. ex Philistinis Ithai vir bonus, 2. Sam. 15. ex Syrijs Naaman, ex Assyrijs Ninivitæ, ex Arabia Regina, 1. Reg. 10. ex Babylonia Berodach filius Baledan, 1. Reg. 20. ex Persia Ahasuerus cum subditis, Esth. 8. ex Æthiopibus Camerarius. Act. 8. Sic populus in tenebris vidit lumen divinum, Esa. 60. & in novo Testamento catervatim ad Christum advolavit. Matth. 8. 15. Actor. 3. 14. 15. 16. 17.

III. *Quod DEVS, cum non accipiat personam, Actor. 10. v. 34. etiam potentiores ad CHRISTVM confluentes recipiat. Psal. 68. Johann. 4. Matth. 8. Nec despiciat humiles & egenos. 1. Cor. 1. Matth. 11. O quàm mirabilis Dominus est in operibus suis, qui etiam per exilium & flagellum captivitatis Babylonicæ Ecclesiam propagavit, & doctrinam de adventu Messiæ illustravit, ut sic omnia cedant Deo in gloriam, pijs in bonum; Rom. 8. nec adeò imbecillitatis nostræ ignarus est, ut auxilium Spirituale nobis detrahat, aut justum, & semen ejus ad stipem adactum derelinquat. Psal. 37. v. 25. Ille ergo qui*

go qui ex paterno favore Mariæ in exilium abeunti de viatico rectè prospexit, necessaria nobis suppeditabit, Tob. 4. v. 23. modò recedamus à peccato, & faciamus quod ipsi gratum est. Siquidem nec esca, nec potus defecit in peris Magorum, dum ad Christum profecti sunt, Chrysost. Tom. 2. Homil. in Matth.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut puerum Jesum, posthabita quacunq; itineris molestia, exemplo Magorum adeamus, & inventum in domo panis sancti humiliter invocemus, ambulantes dum habemus lucem, Joh. 12. & quærentes Dominum dum inveniri potest; Esa. 55. non peregrinationinibus stultis & impijs, quales, teste Beroso, homines post diluvium versus montem Ararath, Judæi versus Bethel & Gilgal, Jer. 2.3. 4. Ose. 4. 5. 10. versus Delphos & in Ægyptum ad Jovem Hammonium Gentes, Paptistæ Hierosolymam & Romam, Compostellamq; versus, & Turcæ versus Mecham susceperunt; sed studio sancto & arduo, ne hoc unum maximè necessarium negligamus. O quàm piè, & feliciter Magi hoc tempus & sumptus hos collocarunt! Illi quidem unicæ stellæ apparitione excitati, cùm nobis tot labentibus annis splenduerit lux Evangelij, nec defuerint signa in Sole, Luna ac stellis: Illi per 300. milliaria, cùm nos verbum Dei habeamus pro foribus; Illi cum vitæ discrimine, per pluvias & frigora, nos autem in summa commoditate. Caveamus ergo ne hæ Gentium primitiæ in novissimo die nos negligentiæ accusent.

II. Ut nos Gentes, quoniam ad gloriæ tantæ fastigium pervenimus, pro tanta misericordia glorificemus Deum, Rom. 15. v. 9. & psallamus nomini ejus. Psal. 115. Cum enim pro Dei veritate oblata sit Judæis gratia tanta, nobis eadem ex gratuita bonitate, Matth. 20. confertur, fractisq; ramis naturalibus, Rom. 11. nos pro ipsis insiti sumus, v. 17. & ædificati super lapidem angularem, ideoq; Eph. 2. v. 13.

nunc in Christo Jesu facti sumus propinqui per sanguinem ejus; ipse enim est pax nostra, & per ipsum, soluto septo parietis, aditum habemus ad Deum patrem, per Spiritum sanctum.

III. Ut apertis thesauris nostris, corde, & ore, & manu liberaliter aurum, thus & myrrham in gloriam Dei erogemus; sic ut offeramus Deo confessionem simplicem ex vera fide, quod Jesus sit Dominus, Rom. 14. Rex noster, Deus & homo, audiamusq;, & observemus verbum Dei quod auro pretiosius est, Psal. 119. & sistamus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Rom. 12. acceptam Deo, offeramus inde preces ex cordis thuribulo, Apoc. 5. ut sit oratio nostra sicut suffimentum in conspectu Domini. Psal. 69. v. 31. 141. v. 2. Offeramus tandem patientiam sub crucis myrrha si fortè in lucta tangat Dominus palam femoris nostri, Gen. 32. v. 25. ut tollamus jugum Christi, Matth. 11. & sic inter aurum & myrrham, hoc est, inter fidem & crucem quasi alis decorata ascendat, & suavissimum prabeat oratio nostra odorem. Nec subtrahamus nos à carne nostra, Esa. 58. sed fontes nostri deriventur foras, Proverb. 3. & 5. Deuter. 15. Matth. 10. 25. ut demus indigentibus de bonis nostris citò, Gal. 6. & simpliciter, Luc. 18. & hilariter: 1. Cor. 9. quod quia Herodes & Pharisæi neglexerunt, Christumq; in propria venientem, Joh. 1. non receperunt, nec donis & bonis suis honorarunt, Herodes justo Dei judicio regno exutus est, & Judæi auro, etiam illo, quod tempore obsidionis in ventrem suum defoderant, spoliati sunt.

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod Jesus Christus sit Moschel noster, Dux populi sui ab æterno, & Dominus in Bethlehem, cum quo nos non hic tantùm, sed in æternũ unde ejus exitus, vivemus & regnabimus. Natus est in finibus Bethlehem Benoni vel Benjamin, filius doloris, Genes. 35. v. 17. quia difficultatem passa in pariendo mortua mater est: sed Christus filium

filius est Magni gaudij, Luc. 2. qui nobis vitam restituit. Fuit & David oriundus ex Bethlehem, unctus Princeps populi sui, sed solus homo, & in peccatis conceptus, Psal. 51. peccati pœnam portavit, afflictiones & exilium, Psal. 116. & tempore oportuno, Psal. 32. de profundis clamavit ad Dominum; Psal. 130. nec non in ipsa morte huic Christo cum magna animi fiducia animam commendavit, Psal. 31. & peccati stipendium, Rom. 6. ipsum putredini, & vermibus escam tradidit. Christus autem Deus & Homo absq; labe, Esa. 53. Joh. 8. reddendo quæ non rapuit, Psal. 69. v. 5. pro nobis quidem mortuus est, sed putredinem, Psal. 16. non vidit. Novus hic Rex non venit eripere, sed dare regna, & regnare nova ratione, servire mortalibus, Matth. 20. Joh. 15. & injurias perpeti: non purpura, sed sanguine vestiendus, non corona Smaragdis, sed spinis intexta coronandus, non in throno aureo, Act. 12. & eburneo sedens, sed clavis confixus in dura cruce pendens. Verùm elucatus est, sedetq; in gloria Dei, ubi stella desuper posita habitationem ejus non ostendit, sed ipse sub pedibus cœlum, nubes & sydera volvit: noscq; cum illo erimus.

II. Quod, quicunq; stellam sequuntur divini sermonis, 2. Pet. 1. perveniunt ad sanctam Hierosolymam, Jesumq; invenient in cœlesti Bethlehem, pane vitæ in æternum saturandi, Psal. 27. edentq; & bibent cum Christo in regno ejus. Luc. 22. Refert Beda, Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ cap. 13. quod homo quidam pius primo noctis tempore defunctus diluculo revixerit, narraveritq; se quamprimùm anima emigrarat, ductum fuisse à comite quodam lucido ac tacente versus ortum solis, qui ipsum in medio densissimarum tenebrarum solum dereliquerit, ubi vicinus inferno, non tantùm tormenta damnatarum animarum instar flammarum è barathro ascendentium & descendentium inspexerit, & immanissimos ploratus audierit, sed & ipse à malis spiritibus ex abysso flammivoma circumdatus fuerit. Sic autem hostibus & tenebris undiq; concluso, iterum contra viam quà venerat apparuerit ductor ocyus festinans, quasi fulgor stellæ micantis inter tenebras paulatim crescens. Quo viso ille in tanta anxietate intimè gavisus

visus est: siq; hoc loco de Magis scriptum extat, quod iterum apparente stella gavisi sint gaudio magno valde; nos certè gaudebimus gaudio longè maximo, ubi clausis hisce oculis corporeis involuti tenebris mortis, (utinam hoc modò ponderaremus) videbimus oriri nobis stellam præviam, ductorem sanctum quem sequamur, ut sit nobis Jehova in lucem sempiternam. Esa. 60. v. 19.

III. Quod si relicta rationis, carnis & mundi via, in Spiritu ambulaverimus, absoluto feliciter curriculo, per viam Domini, Psal. 25. in patriam revertemur supernam, ubi & patrem habemus & patrimonium. August. 1. Pet. 1. Nec amplius in somnijs, sed verè se Deus nobis manifestabit. Hîc sæpius contingit, ubi orando & cælestia meditando nos fratri mortis somno tradimus, ut videamur cum beatis in cælo Spiritibus conversari, & æterna jucunditate perfrui, qua nec libenter iterum privari vellemus, sed excusso somno, quod gaudium tantum evanuerit indolemus. Historia de ejusmodi somno, cujusdam virginis legitur in vitis Patrum, quæ, cum patrem habuisset modestum ac mansuetum moribus, debilem verò & infirmum corpore, atq; laboriosum valde, nec impium, sed longa ægritudine fatigatum, in paupertate mortuum, & vix ægrè sepultum: matrem autem lascivam & libidinosam, turpemq; & improbam, sed mortis & funeris prosperitate felicem, nocte quadam jam provectior ætate secum deliberabat, num patris, qui piè & sobriè vixerat, num verò luxuriosæ matris vitam imitandam magis eligere vellet, & matris more, quod certa incertis præferenda duceret, se voluptati ac luxuriæ corpus tradituram decreverat. Sed cum hoc miseræ placuisset subrepente sopore, ut certi tandem quid eligeret, visa est deduci in locum æternorum cruciatuum, omni stridore & perturbatione repletum, ubi vidit matrem in flammis usq; ad collum demersam, stridentem dentibus & miserè ululantem, in fœtore vermium turpissimo. Inde in campum paradisi amplissimum inter varias arbores diversosq; fructus & pulchritudinem inenarrabilem, ubi ipsi beatus occurrebat pater cælesti gaudio & splendore decorus, quem circumplexa rogabat, ut cum ipso manere sibi concede-

concederetur. At ille nunc, inquit, hic non manebis, si verò vestigia mea secuta fueris, post exiguum tempus huc venies: & ipsa quidem ulterius deprecata ut maneret, tandem evigilavit. Quod ad Magos spectat, illi admoniti in somnijs, ne ad Herodem reverterentur, aliud iter magis tutum ingressi sunt, & in suam patriam redierunt, & si absoluto itinere in patriam reversi sunt, statutum est pro omnibus semel mori, Ebr. 9. v. 27. stipendium tamen peccati persolverunt. Rom. 6. Nos autem absoluto vitæ hujus curriculo per viam pacis, Luc. 2. v. 79 Deum & Angelos præsentes spectabimus, ab omni itineris molestia & ipsa morte perpetuò securi.

Dominica I. post Epiphan.

DE CHRISTO HIEROSOLYMIS A MATRE AMISSO, &c.

Evangelium Luc. 2. v. 41. usq; ad finem.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IOsephus cum matre Domini, & ipse Filius Dei Jesus Christus 12. annos natus secundùm consuetudinem receptam in die Festo Paschæ templum Hierosolymitanum ingressus est, & in loco sancto tractans cœlestia toto triduo inter doctos interrogãdo & respondendo disputavit. Cujus exemplum nos, qui aliàs lucerna divini sermonis destituti, in mundi hujus tenebris miserè vacillamus, maximè imitari oportet. Cum autem in templo Domini congregati simus, ut sincerè docendo & fideliter audiendo gloria Dei propagetur, nosq; simus templa viventis Dei, intercedente pro nobis Christo, dari nobis Spiritum sanctum à Deo patre rogabimus. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

AGg. 2. prædixit Dominus Zebaoth: Ego hanc domum implebo gloria, meum namq; est argentum & aurum. Et gloria domus hujus secundæ seu posterioris major erit, quàm prima. Licèt enim Templum à Salomone conditum doctores habuerit insignes, sacerdotes & prophetas, atq; ædificium & ornamenta fuerint magis splendida & pretiosa: In hoc tamen post captivitatem Babylonicam exstructo disputator atq; Theologus fuit in infinitum excellentior Christus ipse, non tantùm quando officio initiatus, doctrina, & miraculis polluit, verùm etiam quando, velut Sol priusquam oriatur, seq; hominibus totum ostendat tenebras paulatim discutere & vicina lucis splendore mundum illuminare incipit, anno ætatis suæ duodecimo fulgore suo tenebras & caliginem dispellere cepit.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

TEr natus annos quatuor
Cum matre Christus Paschatos
Profectus ad festum Puer,
In urbe sancta amittitur.
Diebus in templo tribus
Tractat patris negocia,
Hæret sacerdotum choro,
Et mater invento stupet.
Sed inde cum parentibus
In Nazareth revertitur,
Et sicut annis, gratia
Sic crescit & sapientia.

TRIA

TRIA AD BEATITUDINEM NOSTRAM HIC TEXTUS CONFERT.

I.

Robur Fidei Triplex.

I. Demonstratur ex hoc textu, quod hic puer in templo disputans sit,

1. Promissus jam exhibitus, & in suo loco in templo sancto suo manifestatus Messias. Agg. 2.

2. Verus Deus, æterni Patris tractans negocia, mirabili acumine cum Pharisæis disputans, ipsa Patris sapientia, Prov. 8. 1. Cor. 1. Patris æterni filius, 1. Reg. 7. Psal. 2. Matth. 3. 17. in quo habitat plenitudo sapientiæ divinæ, Col. 2. & super eum Spiritus Domini, Esa. 11. quia labia ejus uncta sunt: Psal. 45. Sic ut in ipso concepto ac nato, ceu veteres locuti sunt, collecta sit sapientia æterna, veluti lux dispersa in creatione quarto die in substantia Solis est congregata, unde nec ipsum quicquam latet. Joh. 1. 2. 6. Rom. 2. 1. Cor. 4.

3. Verus Homo, amissus & invētus, & educatus in Nazareth, crescens annis & sapientia, non quo ad naturam infinitam increatam, sed quo ad illam, quam à virgine assumsit. Esa. 7. Nec tantùm divinitas, verùm etiam humanitas, quid disputatum atq; responsum sit, intellexit: quod prædictum fuit Psal. 119. v. 99. 100. Præ omnibus docentibus me, intellexi, quia testimonia tua meditatio mea sunt. Præsenibus intellexi, quia testimonia tua custodie.

II. Quod in Christo per unionē personalē pro nobis Deus sub legē datus sit, Gal. 4. cujus, cum nos servi simus inutiles, Luc. 17. perfectissima fuit obedientia & meritum infinitum, quo credentibus salutem affert: ut quoniam per unius in obedientiam multi facti sint peccatores, Rom. 5. sic per unius obedientiam multi justificentur.

Primò ergo, cum ipse Legislator hoc mandatum, ipsemet ab eo exemtus, de tribus festis annuis visitandis Judæis dedisset, cūq; propter ipsum

institutum esset festum Paschatos, ut Ipsi tanquam vero Deo Israëlis inserviretur, & de futura per hunc verũ Agnum Dei liberatione fieret admonitio, 1. Cor. 5. Joh. 1 Dominus Sabbathi, Matth. 12. & Festorum huic legi se sponte & properanter subjecit, ut quoniam nos dies Festos atq; Dominicos debita reverentia non sanctificavimus, hoc merito à maledicto legis, Deut. 27. absolveremur.

Secundò *Christus, licèt contra spontaneã, qua se parentibus submiserat, obedientiam non deliquisset, reprehensionem anxiæ matris patienter tulit, ut sic pro nostra petulantia, qua debitum parentibus honorem denegavimus, satisfaceret, & nos qui sub lege eramus liberaret.*

Tertiò *Faber lignarius, Marc. 6. in œconomia cum parentibus vitam transegit, & mala mixta bonis pertulit; ut quoniam per Adam facti sumus peccatores, Rom. 5. & maledictionis rei; illam averteret, sudoremq; vultus sanctificaret, & œconomiæ Christianorum benediceret. Sic ergo lex innocentissimo Christo injuriam fecit, & veluti* NB. *lictor, qui per errorem Regis filium pro homine flagitioso in carcerem conjicit, suo quod habebat in sceleslum jure, per innocentis gratiam spoliatur: ita rigor legis erga credentes, per & propter Christum debilitatus est. Christus enim gloriam suam cum salute nostra ita copulavit, ut eam in salute nostra procuranda collocarit, nec sibi pepercit, ut nobis parceretur; nec sibi quietem indulsit, ut nobis eam donaret, nec salutis & vitæ suæ rationem habuit, ut saluti & vitæ nostræ consuleret. Non sibi vacavit, nec buccellam suam solus comedit, nec iter aliquod absolvit, nec opus aliquod edidit, nec laborem ullum subijt, quem ad salutem nostram non destinarit. Nobis vigilavit, nobis sudavit & alsit Jesus. Cumq; omnes Sancti in sua pietate sibi ipsis laboraverint, sibi meritorum opes congesserint; dum in omni opere bono labor operis & meritum virtutis spectatur, benignissimus Salvator solus torcular calcavit: Esa. 63. laboris autem sui fructum, ut gratiâ & meritis ejus divites essemus, nobis donavit.*

III. *Quod, cum tota hominis Christiani vita, si ad normam Evangelij exigatur, crux sit & calamitas, si Deus, qui nec matri Unigeniti*

nigeniti sui, nec ipsi Unigenito pepercit, amarum nobis crucis calicem infundat, erudiamur ab ipso, ne cum mundo condemnemur; 1. Cor. 11. v. 32. nec sinat nos tentari ultra vires, 1. Cor. 10. v. 13. Psal. 68. non enim à Deo irato sed propicio & benevolo castigamur: Psal. 34. Act. 14. 2. Tim. 3. Esa. 27. v. 9. ut aerumnæ dormientes excitent, torpentes exstimulent, jacentes erigant, insolentiam comprimant, mortalitatis nostræ nos admoneant, & ad Deum ire compellant, Ambros: quod passim exempla docent, 2. Reg. 5. v. 6. Dan. 4. 2. Mac. 9. Hinc Chrysost. calamitates amaræ potationi similes esse dicit, quæ noxios à corpore humores pellit & sanitatem restituit, ut sese corrigat afflictus, sicut aurum per ignem nitidum magis redditur. Et aromata pretiosa quò magis teruntur, hoc majorem ex se suavitatis fragrantiam emittunt. Ideoq; Bernhardus virum justum cœlo comparat, quod quamvis semper refulgeat, noctu tamen sideribus distinctum pulchrius splendet. Nec tamen patiamur ceu operantes iniquitatem, cum hic dolor Mariæ super observatione Festi azymorum, sicut & cæcitas Tobiæ dum mortuos sepelivit, dolor fuit immeritus, solatio bonæ conscientiæ firmatus. Nec in angustijs animum despondeamus, quia unica tribulatio magis ad emendationem impellit, quàm viginti cõciones. Si enim aut maritus aut mater, aut soboles immaturo obitu decedat, & procuretur funus, mox omnis domestici ornatus pompæ conquiescit, epulæ, convivia, joci & risus fugãtur, & communis lux, obstructis foribus ac fenestris, invisa est, meliusq; ad rerum humanarum contemtum excitati, de vitæ hujus inconstantia & brevitate, de morte & putredine, de vita aterna disseremus, quàm ullus unquam Philosophus.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt dies Festos & Dominicos sanctos celebremus, diligenter templa frequentemus, ad finem usq; sacris interssimus, & sermonem Christi observemus in cordibus nostris, memores, quod cœlestia præferenda

renda sint mundanis. Cum enim, teste Lactantio, Religio & cultus Dei adeò hominis proprium sit, ut eo potissimum à cæteris animantibus differat; homines, monente S. Gregorio, prius sui, quàm conditoris oblivisci, nec toties respirare, quam Dei meminisse decet. Cumq; Evangelium potentia sit ad salutem, Rom. 1. fomes fidei, Rom. 10. & thesaurus optimus, Matth. 6. quo etiam delectantur Angeli; 1. Pet. 1. ut illud magnificiamus, excitet nos 1. severum Dei mandatum. Exod. 20. Levit. 26. Deuter. 28. & comminationes gravissimæ. Amos 8. Matth. 21. Alliciant nos 2. plus quàm paternæ Dei promissiones, Matth. 18. Joh. 8. Joh. 14. & trahant nos 3. illustria Sanctorum exempla: Davidis, de quo legitur Syr. 47. v. 10. 11. 12, Magorum, quos non magna locorum intervalla, non itineris labor, nec expensarum magnitudo retardavit, Josephiq; & Mariæ, nec non ipsius Christi, qui prolixum iter religionis causa absolverunt. Nec impediat nos res angusta domi, paupertas vel mœror, quo interdum infelices viduæ præmissis maritis videntur adversus Deum & sacra loca conjurasse; nec itineris molestia, quia verbum Dei præ foribus habemus, & ipsum Christum præsentem inter candelabra. Apoc. 1. Nec nisi finitis sacris discedamus è domo Domini, sed percepta benedictione oremus, ut Jehova det verbo suo incrementum, concedatq; nobis pacem & valetudinem copiamq; redeundi. Sin minus, ut beato obitu, colligamur ad patres nostros.

II. Ut pueros simul adducamus, pieq; in timore Domini educemus. Ephes. 6. v. 4.

Tria ingenui parentes debent pueris suis,

1. Ut incolumes bene enutriantur, & pro hæreditate relinquatur illis aliqua possessio.

2. Ut animi flectantur ad justitiam, pudicitiam, cæteraq; virtutes, ad sudorem vultus, artesq; liberales, vel machanicas pro acquirendo victu honesto, nec aliàs tenebuntur juxta legem Solonis ἀνδπλαρχεῖν.

3. Ut anima Deo consecretur, quærantq; regnum ejus, Matth. 6.

* *Matth. 6. quia pietas ad omnia utilis est. Prov. 10. 1. Tim. 4. Sic Monica precibus suis filium Augustinum convertit.*

Ne parentes in pia puerorum educatione operam ullâ remittãt, Tria ponderanda sunt,

1. Mandatum divinum. Exod. 12. v. 27. Deut. 6. v. 7. 8. 9. Psal. 78. v. 4. Eph. 6. Cui meritò obtemperandum.

2. Maximum commodum: quia quod nova testa capit, inveterata sapit. Et pueri bene instituti oderunt peccare, rectè vivunt, bene militant, honori sunt parentibus, inserviunt proximo, benedicuntur, & Deo redditi per placidam mortem hæredes constituuntur vitæ æternæ.

3. Summa miseria, si malè educentur liberi; quia Deum non cognoscunt, nec rectè invocant. Lapis lapidi insidet, inquit Aristippus. Satanæ præbent hospitium, Luc. 11. in peccata ruentes maledictionem sibi contrahunt, parentibus dedecori alijsq; sunt scandalo, inutilia terræ ponderant & mancipia Satanæ, tandemq; orco traditi parentibus maledicent, nec se unquam genitos, aut tam injustâ hæreditate, quæ jam nihil prodest, Jer. 7. Zophan. 1. potitos optabunt. Vtinam hoc considerent impij illi parentes, qui non Deo, sed sibi ipsis, mundoq; & Satanæ pueros suos educant. Et exemplo Eli Sacerdotis discant cautiùs mercari. 1. Sam. 2. 3. 4.

Tria requirũtur ad piam & honestam educationem,

1. Doctrina & institutio, ut facta pro ipsis assidua apud Deum intercessione, discant à teneris Jesum reverenter agnoscere, Orationem Dominicam & reliquas Catechismi partes, cum Psalmis selectioribus coditie recitare, pro Ecclesia, magistratu & parentibus orare, & contra metum mortis spe futuræ resurrectionis se erigere. Nec hoc ullo modo à parentibus negligatur, dum manè ad labores, vesperi ad somnum festinant, & hoc unicè necessarium, cum utriusq; vitæ benedictione negligunt.

2. Honestum exemplum, ut ipsi parentes piè ac sobriè vivant,

* vivant, ab Idolomania, execrationibus, blasphemijs, ebrietate, libidine, furtis, &c. abstineant, nec de flagitijs in juventute commissis glorientur; Matth. 18. sed seminis sui, si ipsi Satanæ victæ manus porrexerint, maturè misereantur.

3. Matura castigatio & diligens correptio, dum blanda patrum segnes facit indulgentia gnatos. Nemo naturâ bonus est excepto Christo, quia omnibus inhæret peccatum originis. Bona ingenia, concessa nimia libertate, per ocium sicut culta novalia & vina optima fiunt longè deteriora. Possunt autem eruncari lappæ & urticæ, plantariq; rosæ & castaneæ; herbæq; sylvestres domi plantatæ mox meliorem naturam induunt. Stultitia agnata est cordi adolescentis, sed virga castigatrix eximit eam, Prov. 12. qua qui abstinet odit filium suum. Prov. 13. Nam puer qui non coërcetur pudefacit matrem suam. Prov. 29. Lege Syr. 7. 16. 22. 26. 27. 30. 42. &c. Juniores quoq; ratione fœderis cum Deo per baptismum initi ferant fidei fructum, ut exemplo Christi jungant se senioribus, nec contemnãt sapientum sermones; Syr. 8. v. 9. tardos vel ipsi præceptores exemplo Bensyræ Jeremiæ ex filia nepotis interrogent. Nec ociosi aut somnolenti in templo ludicra tractent; insuper diligant correptionem, & morem gerant parentibus suis honesta præcipientibus. Si enim ille, cui principatus & potestates Angelorum obediunt Mariæ ac Josepho subditus fuit, certè non erit nobis indignum sequi Authorem nostrum. Disce ergo ô homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis & cinis obtemperare, & Christum ceu Speculum tibi ob oculos pone.

Honoris * 1. Honorifica existimatio, ut post Deum habeantur parentes in summo pretio. Tob. 4. v. 3. Matrem tuam honora omni-

Vocabulo in 4. præcepto Tria significantur,

rum omnibus diebus vitæ tuæ, & fac quod ei gratum sit, nec molestia ulla afficias. Memento quàm multa pericula te gestans in utero suo subierit! Et externa reverentia, ut humiliter coram illis assurgamus, nec petulanti gestu, aut verbis asperis reverendos irritemus. Imitati Sem & Japhet, Gen. 9. v. 23. non gloriemur in contumelia patris nostri. Syr. 3. Hoc nec erit nobis gloria, sed velut ipsi Cham confusio.

2. Obedientia humilis, ut ea quæ ijs grata cognovimus, expediamus, illaq; quibus commoveri possent studiosè vitemus; nec si quispiam ad summos honores evectus sit, vel summa præditus sit sapientia, ab hujus obsequij obligatione exceptus est. Isaac moriger patrem sequitur. Genes. 22. David patris sui oves pascit, & unctus fratribus cibum portare non detrectat. 1. Sam. 16. 17. De Rechabitis, qui à præcepto patris Jonadab de non bibendo vino se nequaquam avelli passi sunt, lege Jer. cap. 35.

3. Ἐπικλα, quia ἀντιπελαργᾶν, γηροβοσκεῖν & θρεπτήρια, hoc est, nutricandi vicem rependere oportet. Cujus insigne datur exemplum in Josepho, & in Cymone Atheniensi Miltiadis obærati filio, & in Catanæis Juvenibus, quos erubuêre attingere flammæ, aliaq; quæ huc referri possunt.

Vt autem pueri debito honore prosequantur parentes suos, Tria ipsis inculcanda sunt:

1. Mandatum DEI cum annexis promissionibus. Exod. 20. Quartum præceptum. Eph. 6: Liberi auscultate in Domino parentibus vestris, id enim justum est. Honora patrem & matrem: Et hoc præceptum primum est cum promissione, ut bene tibi sit, sisq; longævus super terram. Syr. 3. v. 16: Tributa patri benignitas non dabitur oblivioni, recordabitur tui Deus in die afflictionis tuæ, & velut per Solem die sereno glacies, ita peccata tua dissolventur. Infamis est desertor

patris, & maledictus est à Domino, qui movet indignationem matris suæ.

2. *Comminationes divinæ si secus fiat. Levit. 20.: Qui maledixerit patri aut matri moriendo morietur, & sanguis ejus super eum erit. Deut. 21. lex extat, ut filius protervus, contumax, declinans & rebellis, parentibus parere nolens, epulo & potator lapidibus obruatur & moriatur. Deut. 27: Maledictus qui vilipendit patrem suum & matrem suam; dicatq; populus universus Amen. Proverb. 30. v. 17: Oculum qui subsannat patrem, & contemnit obedire matri effodient corvi ad torrentes.*

3. *Pœnæ punitorum. Cham maledicitur Gen. 9. Absalon de quercu suspenditur 2. Sam. 18. Wierus de præstigijs Dæmonum, fol. 52. & 84. horrenda recitat exempla de filijs immorigeris Neapoli & Romæ cum summo periculo vix ex potestate Satanæ ereptis. Passimq; nebulones & meretriculæ, quibus parentes sunt ludibrio, dum ijs contumeliosè maledicunt, turpiter convicijs proscindunt, è domo protrudunt, nec de habitatione, suppellectile ac facultatibus sibi traditis victu suppeditare sustinent, infeliciter agunt, impuras nuptias contrahunt, & cum arrosa conscientia ad paupertatem adiguntur.*

Oremus, ut per benedictionem Dei arbor fidei nostræ tam apud genitores, quàm apud genitos insignem hunc fructum copiosè proferat, cumq; utrinq; per omissionem multa neglecta sint, (quod inficias ire non possumus) suppliciter rogemus, ut Deus habeat patientiam nobiscum, avertat iram furoris sui, & per Spiritum sanctum concedat nobis in posterum operari fidelius.

III. *Ut Jesum Christum omni studio observemus & nobiscum retineamus, ne per securitatem, quæ scelerum mater est, impœnitentiam, & verbi divini neglectum spiritualiter amissus à nobis discedat, Ose. 9. & cum Cain, Saul, Juda, &c. ad desperationem adigamur. Amissum autem non pro vaga opinione apud notos & agnatos, sed*

tos, sed in domo & verbo Domini quaramus absq; mora dum invenirí potest, Esa. 55. per triduanum veræ pœnitentiæ iter, sic ut propter admissa scelera plangamus, confiteamurq; nos ita vixisse, docuisse, contra Deum & proximum egisse, ut digni essemus quos Deus & homines, & quævis elementa conspuerent. Inde confugiamus ad misericordiam Dei & meritum Jesu Christi, qui thronus est gratiæ, Ebr. 4. & aliud nihil in omni sua vita molitus est, quàm ut salvos nos faceret à peccatis nostris. Tandem edamus fructus justitiæ, & efficax sit apud nos charitas, ut ceu lucerna, Matth. 5. & sal, Luc. 14. alter alterius onera portando, Gal. 6. alijs inserviendo consumamur. Et sic invento Christo vertantur lachrymæ nostræ in choream. Psal. 30. 71. Tob. 3. &c.

III.
Finis & Præmium Fidei Triplex.

I. Quod si in hac vita Festa annua & Sabbatha piè sanctificavérimus, in futuro seculo requie cœlesti, Sabbatho post Sabbathum, Esa. 66. nunquam finiendo fruemur, & pro Sabbatho creationis & redemptionis Deum glorificabimus. Ibi difficili itinere non adibimus templum, nec finientur dies festivi, nec amittemus pueros nostros, nec quæremus illos apud notos & agnatos, sed cum Goële & cognato ac fratre nostro Christo perpetuò manebimus, nec rapiemur ex manibus ejus. Johan. 10.

Hic quidem pro diversa aëris temperie & instabili valetudinis temperamento sæpius non absq; molestia sacris intersumus,

Et fugiunt fræno non remorante dies.

De absentium liberorum fortuna & conditione anxiè maceramur, eosq; notis & agnatis, patronis & promotoribus studiosè commẽdamus: Et multa minus jucunda præter spem contingunt, quod ex historia Jacobi, Jobi & Davidis satis liquidò, sic & ex cotidiana experientia constat. In requie autem æterna non cadet in quenquam metus aut dolor. Sicut enim Adam & Noachus, in quibus nos omnes fuimus, primiq; progoni, avi & parentes in vita illa beata sobolem & nepotes

suos cum summa lætitia ad se colligi spectant, Deo cum gratæ acclamatione sibi datos reddunt, & de pia educatione atq; humili obedientia sibi mutuò gratulantur. Ita in novissimo die omnes coram Christo triumphantes apparebimus, postea nunquam segregandi, nec amplius tam avidè bona nova de uterinis nostris percipere exspectabimus. Hic conjectis in venturũ seculum oculis meditemur, quãto cum jubilo animæ nostræ præmissis parentibus jungentur, atq; in choro cæleſti ab illis excipientur.

II. Quod si Christum triduo hujus ærumnosæ vitæ in ingressu, progressu & egressu, ætatis nostræ, in Verbo & Sacramentis quæsiverimus, Ipsum in visione pacis in cæleſti civitate inventuri simus, visariq; jam mutato dolore in gaudium Redemptorem nostrum postea nunquam amittendum: amitti enim voluit Christus, ut amissas oves recolligeret, Luc. 15. illudq; hoc Mariæ gaudio longè erit excellentius.

III. Quod etiam infantes, qui in tenera ætate evocantur, aliarumq; scientiarum ignari & coram hoc mundo imperiti illic Christo conformes, Phil. 3. pharisæis atq; doctoribus sapientiores, Spiritu & gratia confertim repleti omnia perfectissimè cognoscent. Johan. 16. Esa. 54. v. 13. Universi filij tui erunt docti à Jehova, & multiplicabit pacem filiorum tuorum. Jer. 31. v. 34. Nec docebunt ultra unusquisq; proximum suum & unusquisq; fratrem suum dicendo, cognoscite Jehovam. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum, dixit Jehovah.

Dominica II. post Epiphan.

DE NUPTIIS IN CANA.

Evangelium Joh. 2. v 3. usq; ad v. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Cum

CUM in lubrico & limoso mundi hujus arundineto unica recreatio & sustentatio nostra sit Verbum Domini, præ omnibus id nobis amandum, assidueq; & diligentissimè docendo, audiendo & observando tractandum est. Ut autem & hodie in hoc nostro conventu sacrum dogma, inprimis de venerabili statu Conjugij sic masticetur, ut cedat in gloriam Dei, ad confirmationem fidei, edendosq; illius fructus in patientia, ubi calicem crucis Deus infuderit, ut ille nobis dulcoretur, & in vinum æternæ lætitiæ transmutetur, orabimus super nos à Deo patre effundi Spiritum sanctum, sine cujus numine, nihil est in homine, idq; propter Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 45. v. 15. Spiritus sanctus per Prophetam vaticinatur de Christo: Verè tu es Deus absconditus te, Deus Israël Salvator. Idq; ita se habere docet textus, quia Christus cum hactenus excepta miraculosa disputatione & colloquio sancto in duodecimo ab ineunte ætate Paschate, divinam suam majestatem abscondidisset, in nuptijs Cananæis insigni, & quidem primo eam miraculo manifestam reddidit.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

SImon celebrat nuptias,
Cum matre Christus virgine,
Adest, simulq; Apostoli.
Vinum modernum deficit,
Maria gnatum consulit,
Matrem hic modestè corripit,
Jubetq; lympham fundere,
Quam mutat in vinum optimum.
Primum hoc erat miraculum,
Sanctum decus connubij

Christiq; monstrans gloriam,
Ut quos vocarat crederent.

TRIPLICIA κεφάλαια SEU πτυχία ET BELLARIA SACROSANCTA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod conjugium sit ipsius Dei ordinatio, & divinitus mandata unius maris & unius fœminæ conjunctio legitima, propter cultum Dei, vitæ hujus consortium ac propagationem generis humani institutæ. Quàm autem sancta, antiqua & venerabilis sit hæc Dei institutio inde liquet, quod pro divina sua sapientia agnoscens Deus non esse bonum, ut homo viveret solus in Paradiso ante lapsum fecerit ipsi adjuterium. Gen. 2. v. 18. 22. Et mansisset hic status absq; omni macula dignissimus & integerrimus absq; corruptione, si homo à Deo non defecisset. Cæteri status post lapsum in peccati remedium, Ecclesiasticus scilicet & Politicus, ordinati sunt, hic autem ante peccatum in statu naturæ integræ & in Paradiso, non in peccati remedium, quod tunc non erat, sed ad multiplicationẽ generis humani institutus est: quamvis post lapsum ad remediũ quoq; peccati contra incontinentiam deserviat. 1. Cor. 7. Confirmavit itaq; hunc statum Deus, Gen. 9. vers. 1. Circumdedit eum munitione Trium præceptorum quarti scilicet, sextiq; & decimi; & Deut. 24. v. 5. illi, qui duxerat uxorem, propter dignitatem novi conjugij magna libertas concessa est, ut immunis à bello & omnibus publicis negocijs toto anno domi maneret, & delectaret uxorem suam.*

Duos status reliquos pro benedictione & defensione conjugio DEVS adjunxit, qui nec sine hoc consistunt. Sanctissima Spiritus Dei in honorem conjugij composuit Epithalamia. Psal. 127. 128.

Vult Deus ut conjugium sit Mysterium magnum inter Christum & Ecclesiam, Ose. 2. Eph. 5. v. 32. & humanæ Academiæ vitæ, in qua nemo satis se didicisse putet.

Patriarchæ

Patriarchæ & Prophetæ in hoc statu vixerunt, de quorum numero Isaaco & Tobiæ, non absq; mirabili dispensatione, per ministerium Angelorum Sponsæ ostensæ sunt.

Christus ipse à virgine desponsata nasci voluit, Matth. 1. & nuptias Cananæas frequentavit.

Denique nec Apostoli Christi fugerunt conjugium, quod de Petro legitur Matth. 8. v. 14. de Philippo, cui erant quatuor filiæ prophetantes. Actor. 21. v. 9. & Sponsum in Cana, Niceph. lib. 8. cap. 30. fuisse Apostolum Christi Simonem Cananæum Alphæi filium, qui & Zelotes & Simon Cleophæ dicebatur, existimat.

Agnoscatur ergo & credatur summa conjugij dignitas ex Dei ordinatione, ex Christi benedictione, ex Spiritus sancti commendatione, ex loco, ex tempore, & copulatis primis neonymphis sanctissimis; ex Angelorum ministerio, & conversatione vitæ pudicæ felicissima, atq; prole benedicta in hoc statu. Et hac fide confirmati latentur in conjugio viventes, exspectent à Deo conjugij autore in adversis auxilium & levamen: nec ubi mors aspera vinculum connubiale disrumpit

gentium more ægritudine conficiantur, sed considerēt atq; credant,

1. *Factum id permissione voluntatis divinæ. Matth. 10.*
2. *Deum justè à nobis reposcere, quæ nobis concredidit. 2. Cor. 4.*
3. *Statutum esse, ut omnes moriamur. Ebr. 9.*
4. *Bene actum cum præmissis. Sap. 3.*
5. *Nil effici luctu & lachrymis. 1. Reg. 12.*
   Nil lachrymæ & gemitus defuncto corpore prosunt.
6. *Nos congregandos in die resurrectionis. 1. Cor. 15.*

II. *Quod Jesus Christus qui est hodie & heri, Ebr. 13. non tantùm præsens in Paradiso, ubi visibilis decretum sanctæ Trinitatis de conjugio revelavit, Gen. 2. Paranymphus & Pastor primos conjuges ad arborem scientiæ copulavit, & dote amplissima super omnia creata donavit. Nec tantùm in Arundineto Galilæo, licèt Sponsa in tanto splendore atq; abundantia, velut in Paradiso inventa non sit, cum matre & discipulis nuptiali convivio interfuerit, ubi, teste Cyrillo propter*

certas

certas causæ edito primo miraculo, magnificum munus, mutata in vinum optimum aqua, spensis obtulit. Verùm etiam ubiq; piorum nuptias & matrimonium sua præsentia & largissima benedictione exornet, nec in paupere tugurio pauperes, modò sint amici Dei, Prov. 10. ullibi despiciat. Ipse per os & manum ministrorum suorum conjungendos copulat, copulatis benedicit, & legitimè natos, Marc. 10. complectitur. De qua Domini Jesu præsentia abundè testantur benedictiones, Psal. 128. promissæ; dum etiam pauperioribus à Deo contribuitur 1. Victus labore manuum quæsitus, & modicum illorum præstat divitijs impiorum. Psal. 37. 2. Propriæ domus commoditas. Syr. 29. 3. Propriæ mensæ utilitas. 4. Honestæ conjugis fœcunditas. 5. Sanæ prolis pulchritudo & suavitas. Hæc cum cotidiè experiamur, latetur cor nostrum etiam in medijs calamitatibus, quod in ejusmodi statu vivamus, in quo Dominus Jesus præsens nobis adest Psal. 23. 27. 91; qui quàm avidè parturiens liberari desiderat, tam pronus est ad ferendum nobis auxilium. Chrysost. Et sicut nō gravat puerperam ubera distenta lacte gestantem, sed magis delectat infans ea sugens; ita nequaquam Christo molestus est quicunq; ipsi miserendi & benefaciendi materiam præbet. Nec magis optat summū bonū, quàm bonitatis suæ radios latissimè diffundere, ideoq; nec propter avaritiā, nec propter diffidentiam, nec propter luxuriam conjugium ulli unquam vitandum erit.

NB.

III. Quod miraculo mutatæ in vinum aquæ demonstraverit Christus gloriam suam, quod sit verus Deus, cui cœlum & terra & elementa, omniaq; ex illis conflata subjecta sunt, Psal. 8. Matth. 11. 28. & ad nutum ejus, quod ipse non sit alligatus ad causas secundas, mutantur. Cùm ergo facta & annotata sint miracula, ut credamus Jesum esse filium Dei, Joh. 20. & vitam habeamus per fidem in nomen ejus, fidem habeamus operibus Christi, Joh. 10. credamusq; quod sit in Patre, & Pater in ipso, Joh. 14. si non aliàs, tamen propter opera quæ fecit. Moses quidem & Prophetæ & Apostoli maximis miraculis doctrinam confirmarunt. Moses Exod. 7. v. 20. convertit omnes aquas Ægypti in sanguinem. Et ipse Vir Dei extractus ex aqua,

Exod. 2.

Exod. 2. vers. 6. Virga aquam rubri maris dividit, ut scissa populo Israëlitico transitum præberet. Exod. 14. v. 21. Idem ligno projecto in fontem Marach, Exod. 15. v. 25. amaras illas reddidit dulciores. Et percussa petra eduxit aquas, Exod. 17. v. 6. in Horeb. Iterumq; percussa petra duabus vicibus, Num. 20. v 11. egressæ sunt aquæ jurgij, ut biberet congregatio & jumenta eorum. Elias vir Dei, 1. Regum 1. v. 9. 11. 1. Reg. 17. v. 18. fecit arescere torrentes in defectu pluviæ, 1. Reg. 17. v. 7. Et ignem Jehovæ consumere aquam effusam super holocaustum de aquæductu. 1. Reg. 18. vers. 38. Et pallio divisit aquas Jordani transiitq; cum Elisæo comite individuo. 2. Reg. 2. v. 8. Velut & Josua cum populo Israëlitico, Jos. 3. 4. & Elisæus. 2. Reg. 2. v. 14. Idem immisso sale aquas mortificas salubres reddidit, ibid. v. 21. Ejusdem consilio Naaman leprosus in Jordane lotus sanatur, 2. Reg. 5. v. 14. quin & virtute Dei ferrum natare fecit super aquam. 2. Reg. 6. v. 6. Hæc autem fecerunt tanquam servi Dei & instrumenta, nec suam virtutem & gloriam, sed Dei majestatem manifestarunt; Christus autem vinum de aqua creat proprijs viribus tanquam Deus, & teste Augustin. in Johan. Tract. 8. ipse fecit vinum in illo die in nuptijs, in hydrijs quas impleri aqua præcepit, qui singulis annis hoc facit in vitibus. Sicut enim quod miserunt ministri in hydrias in vinum conversum est opere Domini, sic & quod nubes fundunt in vinum convertitur, ejusdem Domini opere. Illud autem non miramur; nam quia omnis anno fit, assiduitate amisit admirationem.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut, quoniam casta Deus mens est, casta vult mente vocari, sobriè, castè & continenter vivat juventus. Et quoniam, 1. Cor. 7. v. 9. melius est nubere quàm uri, præcedente pœnitentia, precatione & parentum consensu, maturo tempore ad conjugium aspirent, quò propter scortationes vitandas suam quisq; uxorem habeat, & proprium quæq; virum. 1. Cor. 7. v. 2.

Quæratur conjunx,

1. *Non oculis tantùm: quia forma bonum fragile est.* Prov. 11. v. 22. Prov. 31. v. 30.

2. *Nec tantùm manibus: quia divitiæ fluxæ sunt & spinosæ, nec tolerabilis mulier, quæ virum suum nutrit.* Syr. 25. v. 29.

3. *Sed auribus potissimum: quia pietas ad omnia utilis est.* 1. Tim. 4. *Et mulier bona portio bona est.* Syr. 26. v. 3.

Ad festivitatem nuptiarum invitentur,

1. *Christus, per* { *Auditum verbi & seriam pœnitentiam.* Matth. 18. Joh. 14. Apoc. 3. *Arduam invocationem.* Psal. 145. *Beneficentiam erga inopes.* Matth. 25.

2. *Mater & agnati Christi, observatores verbi ejus.* Luc. 11.

3. *Christi discipuli verbi ministri, ut orent & benedicant.*

Nec conjuncti sint ursi aut leones se mutuò lacerantes, sed una caro, velut unus homo. 1. Cor. 7. v. 3. *Uxori vir debitam benevolentiam reddat, similiter & uxor viro.* 1. Pet. 3. v. 7. *Seq; in conjugio*

piè & honestè gerant, in thoro honorabili & immaculato, Ebr. 13.

1. *Deum, diligendo ipsum ex toto corde,* Joh. 14. *ut se præparent ad mortem & diem novissimum.*

2. *Seipsos, cum nõ de cranio nec deplãta, sed de costa cordi vicina facta sit mulier sut,*

1. *Maritus sit dominus, & mulier obediat.* Eph. 5.

2. *Maritus diligat uxorem, ipsaq; agat reciprocè.*

3. *Maritus uxori de victu & amictu prospiciat, ipsaq; sit modico contenta, & calicem crucis simul patienter ebibant,* Psal. 116. *sibi solatium mutuò propinent.*

erga

3. *Sobolem & familiam; ut in pietate & timore Domini educentur.* Eph. 6.

Inprimis cujuscunq; ætatis vel conditionis sint homines, detestabile &

le & abominabile scortationis vitium sedulò fugiant, nec impudicis libidinum flammis à Venere inconcessa se incendi patiantur. Primò quia impuri homines de membris Christi faciunt membra scorti, 1. Cor. 6. v. 15. & qui agglutinatur scorto unum corpus est, v. 16. fitq; spelunca Satanæ, qui, ut habetur in Vitis Patr. hanc spurcam filiam suam natu minimam, ut per eam multos inescaret elocare noluit. Cumq; omne peccatum quod fecerit homo, sit extra corpus ejus, ille qui scortatur in proprium corpus delinquit. 1. Cor. 16. v. 18. Cumq; templum essent ejusmodi homines Spiritus sancti, illum abigunt, iram Dei provocant, Deut. 22. Proverb. 23. Jer. 5. 1. Cor. 6. Col. 3. Ebr. 13. & corpus suum enervant. Job. 31. Prov. 6. 23. 29. 31.

Porrò scortatores delinquunt contra Deum conditorem, contra Dei filium Redemptorem, contra Spiritum sanctum, cujus voluntas est sanctificatio nostra. 1. Thes. 4. Adhæc Angelis mærorem excitant, Legem divinam violant, & Ecclesiæ scandalum obtrudunt. Imò delinquunt contra genus & parentes, contra semen suum illegitimè conceptum atq; missum. Licèt enim Deus in ejusmodi pueris ex paterno in creaturas suas affectu sæpius corporali benedictione & decus hoc à parentibus agnatum contegat, ipsi tamen passim inscriptura malè audiunt. Sap. 3. v. 17. Syr. 23. Nec admissi sunt ad sacrum ordinem etiam in decima generatione; Deut. 23. v. 17. & ingloriam plerumq; egerunt senectutem, quod exempla Jud. 9. 11. 1. Reg. 12. &c. testantur.

Deniq; impudici homines gravissimè à Deo puniuntur, & Deo vindice perdunt: 1. Corpus & vitam. Syr. 19. Gen. 20. Levit. 20. Deuter. 22. 2. Opes & substantiam, Proverb. 6. 29. Syrach. 9. quod ipsa natura abhorreat à scortatione. 3. Sensus & intellectum, Syr. 9. 19. 23. Proverb. 1. 7. 9. ut non vereantur oculos Dei, quasi ignem in sinu gestaturi. Proverb. 6. Ose. 4. Ideoq; cupido seu fornicationis Dæmon Antonio in forma atri puelli apparuit. Hoc loco ponderetur historia Davidis. 3. Honorem & decorem, Prov. 6. ut eum de statua facies formosa revulsa est. 5. Conscientiæ bonæ testi-

monium; siq; aliquandiu occultum sit adulterium, tamē revelabitur. 6. Animæ justitiam & salutem. 1. Cor. 6. Gal. 5. 1. Petr. 2. Ebr. 13. Proverb. 5. Apoc. 21. Tanti pœnitere emitur. 7. Benedictionem divinam in posteris. Jer. 5. 9. 23. Exod. 20.

Exempla punitæ vagæ libidinis in sacro codice extant plurima: Gen. 19. 34. Num. 25. Jud. 20. &c. Quis tam atrocium pœnarum commemoratione non expugnetur, ut ad vitæ melioris frugem acta pœnitentia se recipiat, & contra impuras carnis illecebras strenuè militet?

Vitentur autem ebrietas, quid enim Venus ebria curat? ocium & prava colloquia. Os. 4. 1. Cor. 15. Eph. 5. Invocetur Deus dominus & dominator vitæ nostræ. Syr. 23. Et juxta consilium Augustini in Manuali cap. 22. & 23. cum nos pulsat aliqua turpis cogitatio, recurramus ad vulnera Christi; si ardor libidinis movet membra nostra, recordatione vulnerum Domini nostri Jesu Christi filij Dei extinguatur.

II. Vt exemplo Mariæ agnatis atq; amicis operam nostram præstemus, nobis invicem condoleamus, Rom. 12. & alter pro altero apud Deum intercedamus. Jac. 5. Item in vini defectu & tribulatione, quoniam nec sanctorum vita, quod historiæ Adami, Nohæ, Lothi, Jacobi, Jobi & Davidis copiosè testantur, à cruce & calamitatibus exemta fuit, nec res adversæ scopis, quod fœminæ Athenienses quærebant, à novis conjugibus everruntur, precibus nostris ad solum Jesum confugiamus. Non nobis sed nomini Domini debetur gloria; Psal. 115. nos servi sumus inutiles, Luc. 17. tantùm ὐδεοφόεοι non ὀιυοπιοί. Ideoq; tempus & horam Christi exspectemus, Judit. 8. Hab. 2. & præstolemur à manè usq; ad vesperam. Psal. 130. Qui credit non confunditur. Psal. 23. Novit Deus tempus oportunum, qua hora eripiendi simus, & virtus Domini in imbecillitate nostra perficitur. 1. Cor. 12. Quia ipse agit nobiscum paternè & medicè: non exaudit ad voluntatem sed ad utilitatem nostram. August. Siq; non dat ad horam, exercet quarentem, non contemnit petentem. Et exaudi-

tionē

tionis dilatio non est orantis damnatio, sed fidei probatio; fides autem tentationum victrix est, & cum consilium Domini sit admirabile, Esa. 28. succedit opitulatio glorioſior. Tob. 3. Post nubila Phœbus. Interim nos assiduè clamando viduam, Luc. 18. & infantes, Matth. 18. imitari decet.

III. Vt juxta doctrinam & regulam Mariæ sine disputatione de vicia ratione quodcunq; JESVS dixit, simpliciter expediamus. Christus Magister & Dominus est habens infinitam mandandi & prohibendi potestatem, discipuli nos sumus & servi, & meritò obedientiam præstamus, Johan. 10. expediendo quodcunq; hic Josephus, Gen. 41. v. 55. dixerit. Si quoq; quæ præcepit impossibilia videntur, non examinanda tamen sed expedienda sunt. Hinc ergo Moses cum populo ad mare rubrum constitutus, non ait hic submergemur, Exod. 14. v. 21. sed extendit manum suam elevata virga super mare. Et promittente Deo carnem, Num. 11. licèt verè titubasset, sicut & ad aquam contradictionis, Num. 20. populo pollicitus est. Nec hi servi, quis lympham pro mero bibet? inquiunt. Petrusq; Matth. 14. supra undas maris ad mandatum Christi tanquam supra corpus solidum graditur. Nec hæsitandum est, si quoq; cum utilitate nostra pugnet: Sic enim jubente Deo Abraham non renuit mactare filium Gen. 22. Saul autem, 1. Sam. 15. negligens Dei præceptum de extirpando Amalech & possessione ejus, à Deo neglectus est, nec valuit excusatio, quod hac ratione Deo gratificari & holocausta ornare voluerit.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod licèt hic Dominus per mare calcet super equos suos, per acervum aquarum multarum, Habac. 3. v. 15. & hic transeundum sit per aquas, Esa. 43. v. 2. Exod. 14. Jos. 4. sic ut aquæ intrent usq; ad animas nostras, & veniamus in profunda, ut fluxus aquarum operiant nos, Psal. 69. v. 2. 3: hæc tamen unda dolorum finita jam

comœdia hujus vitæ in vinum perrennis lætitiæ mutabitur. Namq; Maritus & factor noster, Sanctus Israëlis Deus universæ terræ, Es. 54. v. 5. si momento parvo dereliquit nos, in miserationibus magnis congregabit nos, licetq; moram trahat, tamen hora ejus certò veniet cum gloria & majestate magna, ubi nostram avertet & planè tollet inopiam, infinitisq; nos cumulabit divitijs, coram ipso viventes nos nubemus nec ducemur, Matth. 22. nec celebrabimus, nec visitabimus nuptias, nec vinum amplius nobis deerit; sed mutata miseria in choream nuptialem in beatorum agmine cum vitæ socia & liberis nostris cantabimus. Psal. 30: Exaltamus te Jehova quoniam exaltasti nos, nec lætificasti inimicos nostros de nobis, ascendere fecisti ab inferno animas nostras, vivificasti nos à descentibus in sepulchrum, vertisti planctum nostrum in chorum, & accinxisti nos lætitia.

II. Quod, quoniam hic patienter epotavimus, Psal. 116. amarum vinum, calicem è manu Jehovæ, Psal. 75. v. 9. & propinatas nobis lachrymas in mensura, Psal. 80. v. 6. in futura vita dabitur nobis merum dulce & optimum meri gaudij, quia Dominus extrahet & reficiet nos, Psal. 66. v. 12. educetq; nos in terram irriguam. Dæmon velut subdolus mercator & ænopola callidus quodcunq; dulce ac pretiosum initio statim degustandum proponit, quod verò acerbum & amarum est, servat in posterum. Sic serpens venenum in cauda gerit & suavia initia exitus sequuntur asperrimi, dum incautos homines oblata recenti voluptate & vino meliore inescat, & ceu pisces hamo capit, Eccl. 9. stupidiores quidem piscibus. Nam:

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Ergo ubi ab hac vita, instante mortis articulo, velut pisces per fila ab aqua in aliam regionem extrahuntur, tunc demum acerbissimum aculeum sentiunt, quod ante dulcem escam arbitrabantur, imò in ipsa morte calicis hujus amaritudinem experiuntur, & anteactas voluptates non blandientes amplius, sed mordentes sentiunt, idq; maxime

ximè eos torquet, quod antea maximè oblectavit. Sic quia Satanas & mundus primò infundunt bonum vinum, & postremò id quod vilius vel deterius est, certè uva eorum uva fellis est, Deut. 32. & vinum eorum fel Draconum, botrus amarissimus, venenum aspidum insanabile; sicut in paradiso primi parentes blandis promissis inescati peccato & ejus stipendio se onerarunt, atq; epulo, Luc. 16. exhausto vino bono æterna siti torquetur. Quare Salomon rectè monet, Proverb. 2. ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur quidem blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber. Deus autem agit ratione diversa, primoq; mœroris poculum, postea beatitudinis vinum infundit, quicquid difficile vel asperum habet pro salute nostra, initio statim proponit, & electos suos in hac vita castigat, in altera autem, Sap. 5. si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, quoniam Deus tentavit & invenit illos se dignos. Apoc. 7. Sic ergo Lazaro Luc. 16. vinum austerum infundebatur, ut famelicus, nudus & hulcerosus mendicaret, jam verò in arce Superum ad mensam Dei, Luc. 14. & Abrahæ, Matth. 8. in sinu ejus gaudio fruitur. O felices animæ quæ exiguis in hac vita doloribus exantlatis, in alterâ æterna felicitate donantur! Felicia ora quæ fontes aquæ vitæ potabunt! Felices lachrymæ quas Dei filius materno quodam affectu, ceu matres lamentantium parvulorum, pia manu absterget! O quàm momentaneum est quod hic cruciat, Rom. 8. 2. Cor. 4. quàm æternum, quod ibi delectabit! Ubi implebitur, quod Esa. 65. v. 13. dixit Dominus Jehovah: Ecce, servi mei comedent, & vos esurietis: Ecce, servi mei lætabuntur, & vos pudore afficiemini: Ecce, servi mei lætabuntur præ jucunditate, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Nosq; cum jubilo dicemus: Domine, mundus suis fidelibus primò apposuit bonum vinum, jam verò siti cruciantur, tu autem servasti nobis vinum bonum usq; adhuc.

III. Quod si hic ex verbo & miraculis crediderimus in Jesum Christum,

Christum, post hanc in æterna vita spectaturi simus gloriam ejus quam habet cum Patre & Spiritu, cum tanta oblectatione, ut mille anni elabantur ceu dies unus. Psal. 90. O felices oculi, qui Dei gloriam ante thronum majestatis ejus intuebuntur! Si, 3. Reg. 10. v. 24. omnes habitatores terræ quæsiverunt faciem Salomonis propter sapientiam & gloriam ejus: Si, Johan. 6. v. 2. turba multa secuta est Christum, ut videret signa quæ edebat in invalidis: Si, Johan. 12. v. 21. Græci cupierunt Christum videre: Si, Gen. 45. v. 13. rogavit Josephus, ut fratres parenti Jacobo enunciarent omnem gloriam, quam habebat in Misraim: Si, Joh. 1. v. 14. 2. Pet. 1. v. 16. Apostoli gloriantur, quod ipsimet viderint gloriam & majestatem Christi, Matth. 17. tanquam Unigeniti egressi à Patre: Si, proficiscuntur homines ad homagia & alios Regum atq; Principum conventus, ut ex parte aliqua videant gloriam ipsorum, quæ ex contemplatione arcium & divitiarum major apparet: Siq; modò quis donatus esset potestate edendi miracula, quãtus fieret concursus! Verè ergo ubi Christus postremũ edet miraculum, venietq;, Marc. 13. cum virtute & gloria magna, ut conflagrato cœlo ac terra judicet vivos & mortuos, manifestabit gloriam suam, Psal. 48. & nos credemus, quod audivimus, videbimusq; quod credidimus, ut sit gloriosa fides nostra in æternum. August. lib. 20. de Civit. Dei cap. 21. His creditis, ibi videbitis.

Dominica III. post Epiphan.

DE LEPROSO ET CENTURIONE.

Evangelium Matth. 8. à v. 1. usq; ad 14.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Descen-

DEscendit filius Dei ab altissimo cœli monte, ut omnes immundi & afflicti cum firma animi fiducia ad ipsum confluerent. Quare & nos ad Fontem hunc bonitatis, ad Medicum cœlestem appropinquabimus, præsertim cum ex hodierno Evangelio duo insignia Salvatoris nobis proponantur miracula, quibus ut confirmetur fides nostra, suggeraturq; nobis spes & consolatio, ut tandem devicta morte, cum omnibus sanctis exsultemus in regno cœlorum, poscemus à Deo patre Spiritum sanctum, per & propter Mediatorem JESUM CHRISTUM. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 49. v. 6. dixit Jehovah: Leve est mihi, ut sis servus meus ad exitandas tribus Jacob, & ad reducendam desolationem Israëlis. Etiam dedi te in lucem Gentium, ut sit salus mea usq; ad extremum terræ. Idq; præstitum est in historia hodierni Evangelij; quandoquidem Christus leprosum Judæum mundavit, & paralytico servo Ethnici Centurionis valetudinem restituit. Sic ergo, Esa. 35. Matth. 11. sanati sunt leprosi, & claudi salierunt velut cervi.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

AD montis ima humillimus
Christum leprosus invocat,
Votiq; compos mittitur
Pastoribus se ostendere.
Præfectus inde militum
Fide virili postulat,
Ut Christus absens servulo
Opem ferat paralytico.
Miratur hanc Christus fidem,
Sperare gentiles jubet,

Cœlum vocati quod procul
Cum Patriarchis incolent.

TRIA SALUTIS ADMINICULA ENUCLEATA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod Christus Dominus noster misereatur afflictorum, Psal. 34. v. 7. 16. 18. adsit ijs in necessitate, Psal. 91. qui ipsum humiliter in vera fide invocant, possitq; & velit contritis opem ferre. Psal. 51. Promisit namq; Spiritus sanctus per Davidem, Psal. 145. v. 18. quod propinquus sit Jehovah omnibus invocantibus eum in veritate, voluntatem faciat timentium se, & clamorem eorum exaudiat, eosq; servet. Unde David author nobis est, Psal. 50. v. 15. ut in die angustiæ invocemus Deum, suumq; nobis proponit exemplum, Psal. 77. v. 3. quod in die angustiæ suæ etiam noctu clamans quæsiverit Dominum, & Psal. 34. v. 5. exauditus sit. Quare, Psal. 13. ex animo lætatur in salute Domini, exultatq; quod Jehovah ita promptus sit ad ferendum opem, ne quis conturbetur sperans in Domino; Psal. 34. v. 23. sed eripiatur, Psal. 91. v. 15. & emundetur ab omni iniquitate sua, Jer. 33. v. 8. salvus fiat, Ezech. 37. v. 23. atq; recreetur. Matth. 11. Nec quem unquam profundissimis calamitatibus immersum, si Dominum invocaverit, ipse despexit. Itaq; quo animæ afflictæ nihil dulcius esse potest, Syr. 2. v. 11. respiciamus in prisca retro secula & consideremus, num pudore affectus sit, qui suam in Domino fixit fiduciam? num derelictus sit, qui in timore ejus permansit? num ab eo spretus fuerit, qui eum invocavit? Credendum est indubitatò, quod propensa sit Domino voluntas, qua suam carnem non despicit, nec supplices literas nostras in ignem aut aquam projicit, ceu de rege Demetrio Plutarchus scriptum reliquit; sed orantibus respondet: Volo item fiat tibi sicut credis. Adhæc quod infinita sit ipsi potestas,*

potestas, nec verbo ejus quicquam reluctetur. Psal. 148. Depellit enim morbos diuturnos, Joh 5. Luc. 13. deploratos & incurabiles, ut hoc loco lepram & paralysin, imò ipsam mortem, si quoq; defunctus positus sit in stramine, Matth. 9. in sarcophago, Luc. 7. vel in tumulo foeteat: Joh. 11. propterea manum sanctam adhibet, tangitq; leprosum contra legem. Deut. 24. Cum enim esset verus Deus, & verbis potuisset, ut Cyrillus loquitur, depellere quoscunq; morbos, tangere tamen voluit, ut ostenderet carnem suam efficacem esse ad praestandum remedia, nam caro Dei erat. O benedicta manus quæ mortuos excitavit, quæ clausos oculos & aures aperuit, panes & pisciculos auxit, Joh. 6. & omnia implet benedictione, Psal. 104. eritq; animarum nostrarum hospitium. Sap. 3. Joh. 10.

II. Quod Christus absq; discrimine, non habito respectu personarum, Act. 10. v. 34. misereatur omnium credentium, tam servorum, quàm liberorum. Gal. 3. Sic juxta Chrysost. Beneficia Christi non dantur generi aut dignitati, sed Fidei. Nec dicitur huic Centurioni: fiat tibi sicut meritus es, sicut dignus, potens & nobilis es, sed velut credidisti; quia fides est quæ vincit mundum, 1. Joh. 5. per quam Deo placemus, Ebr. 11. cuiq; nihil est impossibile. Matth. 21. Ideoq; tam crebræ & sanctæ passim in sacris extant ad fidem retinendam exhortationes: Exod. 14. Syr. 2. Matth. 9. Marc. 9. Luc. 11. Joh. 14. 16. Sic nec qui in politico statu vivunt magistratus aut milites à Deo excluduntur, quare nec Baptista hoc vitæ genus improbavit, modò quisq; stipendio suo sit contentus. Act. 10. Cornelius, Act. 13. Sergius Paulus, Act. 23. 27. Claudius Lysias commendantur, & in veteri Testamento Abraham, Gen. 14. Josua, David, multiq; Deo dilecti bella gesserunt, & officio magistratus piè præfuerunt, memores illius: Sap. 6. Audite reges & discite judices, vobis concessa ac data est dominatio à Domino, v. 4. & potestas ab Altissimo, qui in opera inquiret vestra, & consilia perscrutabitur, & ab ijs quibus multa concredita sunt multa deposcet, Luc. 12. ut quicunq; præest, sit sollicitus, Rom. 12. quia non est potestas nisi à Deo. Rom. 13. v. 1. 2. Vtinam potestates

supereminentes sint Ecclesiæ nutritores, non destructores. Esa. 49. v. 23. Nec deripiant, sed contribuant ad ejus sustentationem, Mich. 4. osculenturq; filium Dei, Psal. 2. v. 12; velut hic Centurio, teste Luca, cap. 7. v. 5. synagogam proprijs sumptibus exstruxit.

III. *Quod Regnum Dei non sit alligatum ad certum populum, quia oculi Jehovæ fidem respiciunt, Jer. 5. & si quis illâ caret, jam judicatus est. Joh. 3. Fuit sanè semen Abrahæ in summo apud Deum pretio, quia non fecit taliter ulli nationi, Psal. 147. dum Judæos fovit & defendit ceu aquila pullos suos, Exod. 19. Deut. 32. nec ita ad ullam Gentem appropinquavit, Deut. 4. seq; tot miraculis manifestavit, legemq; dedit & adoptionem, gloriam & fœdera, & cultus, & promissiones, & ex quibus Christus natus est secundum carnem. Rom. 9. v. 4. 5. Et tamen ille populus, illi Christi consanguinei, Lucis filij, Dei peculium, illi rami naturales, Rom. 11. v. 19. defracti sunt propter incredulitatem; ab illis propter ingratitudinem ademta est vinea & regnum Dei. Matth. 21. v. 43. Et filij tui, Matth. 8. v. 12. ejicientur in tenebras exteriores ad fletum & stridorem dentium. Gentibus autem ab Oriente & Occidente confluentibus offertur regnum cælorum: ut juxta vaticinia, Esa. 9. 43. 49. de longinquo, Eph. 2. per gratiam Dei collectæ sint Ecclesia, Rom. 15. & cum Patriarchis in cælo fruantur perpetua felicitate, atq; videant lucem magnam. Esa. 11. Joh. 12. Quicunq; ergo crediderit non pudefiet. Esa. 28. v. 16. Rom. 10. v. 11. 12. Nec destinctio est Judæi vel Græci, nam idem Dominus omnium dives in omnes est, à quibus invocatur, conspicuus factus ipsis, qui de ipso non interrogabant. Esa. 65. v. 1. Rom. 10. v. 20. Unusquisq; igitur timeat Regem Gentium, nec quis confidat generi, sapientiæ vel doctrinæ, imò nec vitæ anteactæ meritis & pietatis operibus, si justitiam deserat. Ezech. 3. v. 20. teneatq; quod habet. Apoc. 2. v. 25.*

Fructus Fidei Triplex.

I. *Ut quoniam lepram corporalem, quæ pœna erat peccati, Deut. 28.*

Deut. 28. Num. 12. 2. Sam. 3. 1. Reg. 2. 2. Reg. 3. 2. Reg. 5. 2. Paral. 26. utpote qua Deus seditioni, mendacio, furto, homicidio & superbiæ vindictam statuit; & morbus immedicabilis, hæreditarius atq; contagiosus, Levit. 14. ex putrida totius sanguinis corruptione, acri studio fugimus; multò magis summa ope & opere enitamur, ne in lepram spiritualem, abominabilem animæ morbum incidamus, qui totum hominem adeò corrumpit, ut in ipso non sit sanitas, Genes. 6. Esa. 1. v. 6. sed vulnus & livor, & plaga à planta pedis usq; ad verticem, ex profundo corde. Matth. 15. v. 19. Cumq; illa hominem infectum, non quidem à Deo, Psal. 91. nec ab Angelis, Luc. 16. sed ab hominibus tantùm segreget, nec in æternum cruciet; hæc, Esa. 59. v. 2. dividit inter nos & Deum nostrum, absconditq; faciem Dei, ne nos exaudiat. Abigit adhæc Angelos bonos, & impœnitentes ad æternos cruciatus demittit. Porrò si peccati nos pœna coarctat, & sanitatem perdidimus, ceu loquitur Augustinus, quia Creatorem offendimus, Rom. 6. amissaq; integra valetudine, quæ cum nullis divitijs conferenda erat, quod ex privatione manifestius intelligitur, siquidem nemo vel pro regno amplissimo venderet rationem & valetudinem suam, ut lepram, cæcitatem, vel Satanæ violentiam sponte reciperet, in manus medicorum, Syr. 38. v. 15. incidimus; posthabitis Satana & lamijs, & mortuis, Esa. 64. ad Christum accedamus in oratione humili: Quia oratio humiliantis se penetrat nubes, ipsaq; ascendit, & descendit Dei commiseratio, August. Serm. 266. de Tempore. Ex imo corde: quia monente Hugone illam orationem Deus non exaudit, cui ipse, qui orat, non attendit. Et fide firma nil addubitante: Indignus enim cœlesti benedictione convincitur, qui Deum quærit dubio affectu, Bernhard. Ose. 6. v. 1: Venite revertamur ad Jehovam, quia ipse rapuit, & sanabit nos, percussit & alligabit nos. Nec præter flagellum hoc, ut dicitur ab August. alia nobis arma sunt contra Dæmones, Eph. 6. quod ipsi derideant vibrationem hastæ, gladiumq;, & telum, & loricam ut paleam reputent & ligna putrida. Job. 41. v. 17. 18. 19. Oratio autem nostra in spiritu & veritate,

Joh. 4. in nomine Jesu, Joh. 16. emissa, fidus nostèr est tabellarius, Syr. 35. & dulce cum Deo colloquium, August. & vinculum quo tenetur Deus, Tertull. nosterq; malleus, Luc. 11. & clavis quibus cælum pulsamus ac reseramus, & anchora fluctivagæ navis nostræ non in mare, sed in cælum projicienda. Exempla de fructu & efficatia orationis leguntur: Abrahæ, Gen. 18. Servi illius, Genes. 24. Jacobi, Gen. 28. 32. Mosis, Exod. 14. & 17. Josuæ adhæc & Eliæ, Judith, Esther atq; Susannæ fœminarum, Danielis & trium virorum, Christiq; & Apostolorum. Actor. 1. 12. 16. Quæ cum alijs piè pervolvenda sunt propter tres causas, ut

1. Videamus quidnam illi egerint in necessitate constituti. 2. Par. 20. v. 12.

2. Intelligamus gaudentes quantùm possit oratio, scilicet movere cælum & terram, & elementa. Exod. 14. Numer. 16. 1. Reg. 17. Dan. 3. Quoniam mare & terra, ætherq;, & ignis orationi piorum cesserunt.

3. Nos quoq; alliciamur ad invocandum nomen Jehovæ licèt indigni simus, quia Elias quoq; homo erat, ijsdem quibus nos obnoxius. Jac. 5. v. 17.

Observato tamen discrimine, ut bona spiritualia, quæ animæ nostræ salutem concernunt absq; omni conditione; corporalia verò, quod non in omnibus expediat corporalis integritas, Chrysost. de quibus nec revelata nobis est voluntas Dei ut in spiritualibus, & quod his etiam amissis salvari possimus, cum conditione quatenus Deo visum fuerit, ab ipso petamus, exemplo Davidis profugi, 2. Sam. 15. 25. 26. Trium virorum, Dan. 3. v. 17. 18. & Domini Jesu. Luc. 22. Hæc ergo est fiducia, quam habemus apud Deum, 1. Joh. 5. v. 14. quod si quid petierimus secundùm voluntatem ejus, audiat nos.

Tria in ejusmodi Oratione considerãda, Dei

1. Sapientia, quâ rectius quàm nos intelligit, quibus indigeamus & quæ nobis prosint. Rom. 8.

2. Omnipotentia, quâ potest infinita cum redundantia facere omnia supra ea, quæ petimus aut mente concipimus. Eph. 3. v. 20.

3. Mise-

3. Misericordia, quâ tribuit nobis optima quæq; etiam meliora quàm rogamus. Monet itaq; Bernhard. ne parvi faciamus precationem nostram, cum non parvipendat eam Deus, ad quem dirigitur, & qui eam in libro suo annotavit, antequam egressa est ab ore nostro, atq; unum ex his duobus sperandum sit nobis; aut id quod petimus, aut id quod noverit esse nobis utilius.

Triplices petitores, qui corporalia deposcũt, quidam

1. Orant juxta voluntatem Dei, & sibi conducibilia, exaudiunturq; vel mox, vel paulò post.

2. Petunt inutilia, & non exaudiuntur ad voluntatem, sed ad utilitatem.

3. Instanter urgendo postulant sibi nociva, illisq; dat Deus iratus, quod alias negaret propicius. Num. 11.

Denicq restaurata valetudine declaranda est gratitudo: 1. Celebrando misericordiam Dei & glorificando medicum cœlestem, Ose. 14. Psal. 50. 106. 107. ut confiteamur Jehovæ, quoniam iratus fuit contra nos, Esa. 12. v. 1. sed aversus est furor ejus & consolatus est nos. Sic Esa. 38. & 2. Reg. 20. Ezechias pro restituta valetudine, & hic leprosus, Marc. 1. v. 45. Deo laudes immolarunt.

2. Seriò emendando vitam, ne surgens ægrotus reprobus sit denicq totus, & amplius peccando in deterius ruat. Joh. 5. v. 14.

3. Offerendo & contribuendo ad conservationem ministerij, Galat. 6. & pauperum sustentationem: ne ingratitudo exsiccet fontem divinæ misericordiæ. Bernhard.

II. Vt Domini & patresfamilias pro œconomia bene constituenda quærant familiam honestam, illiq; bono præeant exemplo, & improborum coërceant petulantiam; nec minus de animæ salute, quàm de victu & stipendio servientium sint solliciti, memores quod reddenda sit ratio: nec tantùm ad laborandum idoneos, verùm etiam paralyticos & ægrè decumbentes foveant; juxta admonitionem Pauli, Coloss. 4. v. 1. Vos domini æquitatem & æquabilitatem servis exhibete,

bete, scientes quod & vos Dominum habeatis in cœlis, Eph. 6. v. 9. apud quem non est personæ respectus. Juxta exemplum Hiobi, cap. 31. v. 13. & hujus Centurionis, ne puniantur à Deo propter tyrannidem ipsos visitãte, cautiores exemplo Ægyptiorum propter subactum Israëlis populum deletorum, Exod. 15. & Amalecitarum propter derelictum servum ægrotantem à Davide percussorum, 1. Sam. 30. v. 13. nec non Saulis, propter cujus erga Gibeonitas crudelitatem fames trium annorum sedata est morte septem filiorum ejus. 2. Sam. 21. vers. 8.

III. *Ut servientes eligant sibi pios Dominos, quorum petitioni inclusi & in viam salutis deducti cum ipsis benedicantur, Gen. 17. Joh. 4. Act. 10. & diligantur à Domino.*

Serviant autem Dominis suis, Eph. 6. v. 5. 6. 7. 8. cum timore ac tremore, in simplicitate cordis sui sicut Christo, ornati sex hisce virtutibus: 1. Pietate. 2. Obedientia. 3. Reverentia. 4. Simplicitate cordis. 5. Fidelitate. 6. Idem præstando quod sibi fieri velint; quod paulò mutatis verbis, Colos. 3. v. 22. 23. 24. 25. idem Apostolus inculcat, quia injuriam quam quisq; intulerit reportabit. Tit. 2. v. 9. Nec oblatrent Dominis, ne velut Hagar, Gen. 16. v. 5. & pistor Pharaonis, Gen. 40. & Elisæi famulus Giezi, 2. Reg. 5. v. 20. contemtus, infidelitatis atq; mendacij pœnam luant: sed ut cum Eleazaro Abrahami, cum Jacobo Labanis, & cum Josepho Potiphari servis benedictionem adipiscantur. Non ad oculum serviant, ut qui hominibus placere studeant; sed quicquid fecerint, faciant ex animo, etiam absentibus Dominis suis, quod ab oculis Christi nihil sit absconditum.

III.

Victoria & Finis Fidei Triplex.

I. *Quod Dominus Jesus, qui à monte cœli descendens primò Judæis leprosis, deinde Gentibus paralyticis opem suam obtulit & præstitit, ubi ab altissimo cœli Thabor reversus fuerit, lepram*

omnem

omnem planè tollet & paralysin, Apoc. 7. nec posteà felicitas nostra bracteata erit, ceu Seneca loquitur in Epistolis, sed constans & perpetua. In hoc seculo non est patria nostra, sed tempus peregrinationis nostræ, Gen. 47. v. 9. dies pauci & mali, pleni ignorantiæ, imbecillitatis & miseriarum, quibus mors sola finem imponit; Christus autem, qui pro divina sua potentia hoc loco alterum in agro, alterum in domo sanavit, qui pro salute nostra cœlos inclinavit, & à celsitudine sua ad humilitatem nostram descendens ad infima nostra se dejecit, nos à mortuis excitatos deducet in vitam æternam, juxta verbum suum Joh. 6. v. 40: Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam; egoq; resuscitabo eum in novissimo die. Deut. 34. v. 4. Moses conscenso monte vidit terram promissam, nec eam intravit, sed mortuus in terra Moab sepultus est à Domino, nullo modo exclusus ab æterna patria. Nos quoq; si in deserto hujus mundi morimur, patria cœlesti non privamur, sed cum Hiobo, si occiderit nos, speramus in Domino, scimus enim quod Redemptor noster vivat, Job. 19. v. 25. & in carne nostra videbimus Deum, qua spe Mauritius Imperator, quod ejus factum pium & notatu dignissimum est, quodq; pauci modò facerent, justo Dei judicio hic potius regnum cũ vita amittere, conjugem adhæc & liberos trucidatos præmittere, quàm vindicem Deo delictorum pœnam in seculo futuro experiri, prudentissimè elegit.

II. Quod tandem ab omnibus corporis & animæ morbis, ab omni malo liberati exhibebimus nos Christo summo Sacerdoti, Lev. 14. qui nostri causa egressus est extra augusta & sublimia cœli castra, Joh. 16. venitq; ad peccatores à spirituali lepra mundandos. Lignum Cedrinum & hyssopus, arbor humillima procera & nobilissima conjuncta, quid nisi divinæ & humanæ naturæ conjunctionem denotant? passeres quoq; duo oblati, alter mactatus, alter verò vivus emissus, Christum, qui pro crimine nostro vitam cum sanguine fudit, mactato corpore, cùm divinitas sit immortalis, significârunt: ille

enim lavit nos sanguine suo, quem ipse septies in passione ductus & & reductus, septies pro nobis effudit. Psal. 51. Eph. 5. 1. Johan. 1. Apoc. 7. & elapsis sex diebus magnis, die septimo tollet omnes peccati reliquias, Levit. 14. v. 9. ne sit amplius afflictio, plagæ, lepræ, & maculæ nigræ, aut lepræ vestis aut domus, & tumoris & scabiei & candentis maculæ, sed sit Sanctitas sanctitatum. Tunc immolabimus Deo oblationem glorificationis, & sacrificia æternæ laudis donum illud quod injunxit Moses Deut. 26. v. 3. Et venies ad sacerdotem dicesq; illi, gratias ago hodie Jehovæ Deo meo, quod ingressus sim patriam, quam juravit se daturum patribus nostris. Molestia nos affecit, & afflixit nos mundus, imposuitq; nobis servitutem duram, sed aspexit Jehovah laborem nostrum & afflictionem nostram, & eductos nos manu forti introduxit in locum hunc, in terram fluentem lacte & melle. Augustin. super Psal. 62 Deus vitam promisit & dedit illam nobis, non quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam. Quid enim boni egimus, ut mereremur? in explicat. Psal. 70. Domine memorabor justitiæ tuæ solius. O solius. Quid addidit solius rogo vos? sufficeret: memorabor justitiæ tuæ. Solius inquit: quia soli Deo debetur gloria, sola justitia ejus liberat nos. Ephes. 2.

III. Quod cum Patriarchis, Abrahamo, Isaaco & Jacobo discumbemus in regno cælorum, in luce perpetua, ubi nec ploratus, nec stridor erit dentium; ubi cum omnia prætereunt, sanctorum gloria durat, cum redempti à Jehova revertentur, Esa. 35. v. 10. & venient in Sion cũ laude, lætitia quoq; perpetua erit super caput illorũ, gaudiũ & lætitiam apprehendent, fugientq; tristitia & gemitus. Moses interroganti de nomine Dei, Exod. 3. v. 15. sum, respondet ipse, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Longè glorioſius nobis videretur, si se cælorum & Angelorum Dominum nuncupasset, sed divina sapientia, ut summa ejus charitas appareret, maximam sibi benignitatis gloriam ex hoc nomine peperit, dum de hoc uno gloriatur, quod ipse sit Electorum suorum Deus, qui ipsos tuetur amplificat & ornat.

ornat. O Felices nos quibus datum est adoptari à Deo, per fidem in Jesum Christum salvari, & cum Patriarchis sedere in regno DEI, cum semini Abrahæ cœlum apertum intrare reluctanti lata sit sententia, quod protrudentur ex cœtu Ecclesiæ triumphantis, nec videbunt faciem Dei cum gloria, Sap. 5. 1. Thes. 1. sed in extremis tenebris adempta spe omni redemptionis ejulabunt præ ardore, & præ frigore nimio dentibus stridebunt. O deplorandam Judæorum cæcitatem, & admirandam Gentium electionem, quæ in electione Jacob & reprobatione Esau, Gen. 27. adumbrata fuit, Rom. 9. 10. quoniam dilectio Dei magis amori virorum erga uxores, quàm parentum erga filios similis esse videtur, quod parentes filios etiam improbos, sicut David Absolonem, diligant; mariti autem propter violatam fidem dissoluta charitate conjuges repudient. Psal 73.

Si maximi honoris loco habetur, quod hominem tenuis fortunæ Rex vel Princeps dignetur colloquio & mensa sua. Si Esther humilis & religiosa ad regiam dignitatem evecta nunquam cum admiratione aspexit reginam Vasthi, quæ, quod ex pulchritudine & dignitate regia in superbiam elata inobediens regi extitisset, amissa gratia Ahasueri, ex conjugio & regno depulsa est, certè nos lætabimur de salute nostra, & agnoscentes severitatem Dei in eos qui ceciderunt, ex electo populo Dei qui excisus est, gratulabimur nobis de benignitate Dei, qua sedem illorum occupavimus. Videntes insuper Angelos rejectos, & à summo cœli cardine in profundum tenebrarum barathrum detrusos, cum antea tanquam splendidissima sidera cœlum illustrassent, nosq; miserrimos homines mortali carne circumdatos ipsis subrogatos esse, Apoc. 3. v. 11. & coronâ eorum donatos hymnis infinitis Dei misericordiam prædicabimus & bonitatem ejus cantabimus in æternum. Psal. 89.

Dominica IV. post Epiphan.

DE NAVIGATIONE CHRISTI.

Evangelium Matth. 8. à v. 23. usq; ad 28.
Marc. 4. Luc. 8.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm in navim Ecclesiæ, in qua pij patiendo vincunt, impij autem sæviendo pereunt, per baptismum ingressi simus; illiusq; status & conditio, crux & calamitas nobis in loco sancto collectis ex hodierni Evangelij textu proponenda veniant, oratione ardua ex humili corde profecta filium DEI Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum excitabimus, ut juxta divinam promissionem, Joh. 14. 15. 16. mittat nobis Spiritum Sanctum Paracletum & Doctorem ab æterno patre, qui nos ducat in omnem veritatem. Pater noster, &c.

Exordium Vatidicum.

Psal. 89. v. 10. Jehova Deus exercituum, quis sicut tu fortis Domine? Tu dominaris elationi maris, cum elevant se fluctus ejus, tu compescis eos. Psal. 107. v. 23. Descendentes ad mare navibus quiq; faciunt opus in aquis, ipsi vident opera Jehovæ, & mirabilia ejus in profundo: dicitq; & flare facit Spiritum turbinis, & exaltat fluctus ejus. v. 29. Stare facit turbinem in silentium, & silent fluctus maris. Psal. 89. v. 26. Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dextram ejus, ipse invocabit me, pater meus es, Deus meus & rupes salutis meæ. Impletum hoc esse docet textus, dum discipulos in extremo maris periculo constitutos, unico verbo è metu maximo liberavit Christus increpando ventum & fluctus, quia clamaverunt ad Jehovam in angustia, Psal. 107. v. 28. & de angustijs eduxit eos.

PERIO-

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

NAvi feruntur trans fretum
Magister atq; Apostoli,
Quiescit ille dormiens,
Dum turbo fluctus commovet.
Hi voce semimortui
Perimus ajunt anxia,
Clamore Christum excitant,
Ne frangat æquor Cymbulam.
Surgens minatur fluctibus
Ventoq; , componit mare,
Increduloq; corripit
Christus, videntes hoc stupent.

TRIPLEX ANCHORA SALUTIS EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod licèt Diabolus persequatur Ecclesiam seu Navim Christi, Christum ipsum ipsiusq; ministros & membra Ecclesiæ militantis: unde Esa. 54. v. 11. dicitur paupercula in turbine versans, nec consolationem accipiens, dum calcat per mare Dominus super equos suos, Habac. 3. v. 15. & siquidem Jehovah regnat, elevaverunt flumina sonitum suum, Psal. 93. v. 3. & fluctus suos magis quàm sonitum aquarum multarum, & fortium fluctuum maris: attamen conservet Deus Ecclesiam suam, ut licèt oppugnatur, tamen non expugnetur. Fluctuat at nunquam mergitur illa ratis. Cyprian. Fortior est Deus ad propugnandum, quàm hostis ad expugnandum. Excitatur quidem turbo, Marc. 4. Lælaps seu tempestas hæreseos, 2. Pet. 2. v. 17. & corruptæ doctrinæ: adhæc tyrannis & persecutio. Unde Bajazetes primus Turcarum Imperator Lælaps dictus est,

Philip. lib. 5. Chron. quod instar fluctuum obrueret navim Ecclesiæ. Et juxta August. Serm. 3. Matth. unicuiq; sua cupiditas tempestas est. Sic ergo in turbulentissimo hujus mundi Salo Navicula Christi cum grege pusillo maximis exposita est periculis: 1. enim venti immites & contrarij iter nostrum impediunt, & nos à cursu recto abducunt, jactatiq; tollimur in cœlum curvato gurgite; & subducta ad manes imos descendimus unda: sic superbia & lætitia vana elati iterum timore & desperatione tabescimus. 2. Piratæ incautos adoriuntur, spoliatosq; & vinctos abducunt Dæmones, qui mare mundi peragrando, Job. 1. 1. Petr. 5. animarum nostrarum prædas avidis faucibus agunt, & hostes nostri nulla alia re, quàm pernicie nostra saginantur. 3. Scylla metuenda est & charybdis, dum qualibet virtus inter duorum vitiorum oppositorum scopulos periclitatur, qui velut sub unda maris absconditi placidam spectantibus faciem ostendunt, nec aperto marte nos Satan aggreditur, sed velut anguis sub herba latet, & lethale venenum melle litum nobis offert. Ovid.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce sonora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Illecebrosæ voluptates blandis præstigijs homines irretiunt, quicunq; vitam præsentem tanquam mare navigant. Vtut autem fremat Satan & crepet orbis, ratemq; Ecclesiæ infestet ac diverberet, haud tamen timebit grex pusillus, Luc. 12. v. 32. quia portæ inferorum non prævalebunt. Inprimis quia Jesus ipse adest in hac cymba, nec eum submergi possibile est, ergo nec Ecclesiam quia adest Immanuel, Esa. 8. v. 10. Psal. 23. 91. Matth. 18. Nobiscum Deus, Murus igneus, Zach. 2. qui dixit Esa. 41. v. 13. Erunt tanquam nihil contra te bellantes. Ego Jehovah Deus tuus apprehendi dextram tuam, dicens tibi, ne timeas, ego adjuvabo te: ne timeas vermis Jacob, &c. Esa. 43. v. 1. Ne timeas, quoniam redemi te, vocavi nomen tuum, meus es. Quum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Esa. 54. v. 4. Ne timeas, nam maritus tuus est factor tuus Jehova exercituum, &c. Si Julius Cæsar nautam in summo maris periculo

periculo trementem consolatus est: confide nauta, Julius est in navi quem vehis; certè Domini Jesu præsentia longè est præstantissima, cui confidentes dicimus, Psal. 46. v. 1. 2. 3. Deus nobis protectio & fortitudo, propterea non timebimus etiamsi permutetur terra, & montes moti fuerint in cor maris. Si fremant & turbentur aquæ ejus, &c. Si enim Dominus nobiscum, quis contra nos? Rom. 8.

II. Quod licèt ad tempus dormire videatur vigilet tamen in nobis & pro nobis Christus, veniensq; veniat, & oportunè liberet, Abac. 2. nec negligat salutem nostram, quia paternè, Psal. 103. & maternè, Esa. 49. de nobis sollicitus est: Et oculi ejus super justos, Psal. 33. attentè observant vitam nostram. Dormitio Christi, ut dixerunt veteres, est divina in tribulationibus permissio, & ipse excitatur, quando piorum precibus pulsatur. Sic loquitur scriptura de Christo quasi dormiat, Psal. 44. v. 24. Evigila, ut quid dormis Domine? expergiscere, ne repellas nos in seculum: Jer. 31. v. 26. Psal. 78. v. 65. excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens clamans à vino. Sed hæc dicta per ἀνθρωποπάθειαν, & secundum nostrum sensum, ad quem se scriptura accommodat, intelligenda sunt, relata huc consolatione, Psal. 121. v. 4. Ecce, non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israël. In hac historia verè dormivit Christus juxta humanam naturam, sed Deus nihilominus omnia vidit, nec est mutus vel surdus velut Baal, 1. Reg. 18. aut cæcus, ceu Jupiter Cretensis & Plutus; nec Deus est interdum absens, vel peregrè profectus. Si aliquando opem differt, probat tantummodo fidem nostram, & subitò dextram suam nobis potenter porrigit. Esa. 54. v. 7. Momento parvo dereliqui te, in momento iræ abscondidi faciem ad momentum à te, sed in misericordia æterna misertus sum tui. Hoc mihi erit ut aqua Nohæ, &c. Sic quando Bethulia ferè deditionem fecisset, misit Deus subitum & insperatum auxilium. Susannam in extremo vitæ periculo constitutam, & jam lapidibus à furente populo obruendam per Danielem è media morte liberavit. Sic 1. Sam. 23. Davidem permisit ab exercitu Saulis in monte ita obsideri, ut

deri, ut jam omnem evadendi spem abjecisset, sed mox, v. 27. novit Deus remedium, dum mittit in terram Israel exercitum Philistinorum, in quorum occursum Saul prodire coactus fuit. Ne desperemus ergo, si aliquandiu auxilium differt Deus, si quatitur navis Domini, & omnia exspectationi nostræ cadunt contraria; nec murmuremus impatientes. Si quoq; Satanas ejusmodi moras, ut fidem à nobis auferat, exaggerat, quod dormiente Deo interim patiatur justus; nosq; cogitamus: Anne melius esset prævenire labores ne nos vexarent, quàm postea laborantibus opem ferre? Sed ita Deum nemo rectè agnosceret, aut beneficium liberationis ipsi ferret acceptum. Novit Dominus pios eripere, 2. Pet. 2. castigatq; & sanat, Tob. 11. deducit ad inferos & reducit. Enecat ut possit vivificare Deus. Differt autem ut agnoscamus infirmitatem nostram, ut tribulatio afferat patientiam, ut ardentior fiat oratio, ut glorioſior sit liberatio, ut elucescat potentia divina, ut floreat fides nostra. Sic teste Augustino facta est tempestas magna, ut magnum appareret miraculum. Sic gratior est post vehementem sitim potus frigida. Sic gaudemus liberati, laudamusq; Deum pro impetrato auxilio.

III. Quod Jesus Christus homo verus in navi dormiens, verus idem sit Deus, cui increpanti etiam venti & fluctus morem gerunt, tacentq; & obtumescunt ad vocem ejus. Ovid.

Nil adeò validum est Adamas licèt alliget illud,
Non sit ut inferius suppositumq; Deo.

Hoc facto itaq; demonstravit Christus mirabilem personam suam θαυμαστὸς, Esa. 9. & divinam potentiam, quod idem sit, qui dividebat mare rubrum, Exod. 15. panemq; dabat ex nubibus, & aquam de petra. Jehovah qui incluſit mare terminis suis, Jer. 5. v. 22. arenæ scilicet, quam non præteribit. Qui rupit mare & personuerunt fluctus ejus, Esa. 51. liberrimum agens. Job. 9. 26. Psal. 135. Esa. 40. 44. Quin etiam si habitemus in novissimis maris, Psal. 139. apprehendit nos dextra ejus, quare ipsi offerenda sunt gloria & fortitudo, Psal. 29. v. 3. quia vox Jehovæ super aquas, & Deus gloria tonare facit:

facit: ille est cui pisces maris subjecti sunt, Psal. 8. eosq; adigit vel abigit, Luc. 5. Petri retia implet, Johan. 21. dat pisces magnos 153. Matth. 14. v. 32. mare componit. Fuerunt quidem Heroes potentissimi, qui sibi regna, homines & animalia subjecerunt; qui autem ventis & fluctibus dominaretur præter Deum nemo fuit. Licetq; Xerxes Monarcha Persarum Rex cum exercitu decies centena millia militum in Græciam traducturus, ceu ex Trogo Justinus retulit, negante ipsi transitum mari importuno, fluctus æstuantes virgis cædi mandaverit, coactus tamen fuit expectare, & divinæ voluntati obsequi: Christus autem Homo & Deus tanta valet potentia. Et numerosa ejusmodi auxilij miraculosi extant exempla, non casualia aut fortuita, sed facta Jesu Christi invocati & præsentis in ærumnis credentium. Testes erunt nautæ, qui mutatis tempestatibus sæpius mirabiliter tanquam ex præsenti morte erepti sunt; vel fractis navibus, cùm aliàs in navi vix tres latos digitos vita à morte distet, Juvenal. vitam ope fragmentorum retinuerunt. Notæ sunt historiæ Nohæ, & Jonæ, & Pauli, qui 2. Cor. 12. scriptum reliquit, se ter passum naufragium, & sub undis liberatum. Una historia lectu digna extat Act. 27. Sed in statu humilitatis seu exinanitionis inventus Christus sicut homo, Phil. 2. semper non usus est divina majestate, ut media contemneret. Et sicut, Matth. 14. Marc. 8. Joh. 6. siccis pedibus in mari ambularet, ne DEVS solummodo videretur, Nazianz. vel spectrum evanescens, & per clausam januam intrans. Matth. 14. Joh. 20. Luc. 24.

Tria illustrissima divinæ omnipotentiæ testimonia.

1. Terra, in qua vivimus & alimur, sicut anas vel pomum natans in medio mari fluctuet, & sine columnis maneat immota. Psal. 24. v. 1. & 2. 2. Pet. 3. v. 5. Job. 38. v. 5. & 6.

Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa,
Aëre sublimi tam grave pendet onus.
Cum te pendenti reputas insistere terræ,
Nonnè vel hinc clarè conspicis esse Deum?

Quod

* 2. *Deus firmamentum aquis expassum, cœlum & nubes supra nos extensas instar vesicæ, sine fulcris potenti manu sustentet, ne deficiente Atlante corruant, vel ruptæ nubes orbem inundent. Psal. 104. v. 2. 3.*

3. Deus fluctus maris reprimat. Cumq; mare multis in locis sit eminentioris altitudinis quàm terra, cum qua globum constituit, quod navigando, si turris alta apparet, agnoscitur, non muris aut vallis, sed sola arena, ne terminis suis excedat, illud clauserit. Job. 38. v. 8. 9. 10. 11. Psal. 104. v. 8. 9. Jer. 5.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt Christum sequamur ingrediendo in naviculam Ecclesiæ, nec extra eam evagemur, quod extra eam non sit salus.

Hic Tria observentur:

1. Quod hæc Navicula sit imago Ecclesiæ, quæ
Temporis & fidei verbi ratione lociq;
Unica communis sancta est, ———
& pauci in ea navigant. Psal. 14. Matth. 7.

Allegoriam hisce versibus depingere conatus sum.

MUndus hic est pelagus, cymba est Ecclesia Christi,
Discipuli comites, Dux ratis Immanuel.
Hæresis est turbo, fluctus violenta tyrannis,
Sermo Dei clavus, remus & arma preces.
Crux antenna, fides velum, promissio malus,
Anchora spes, haustrum sacra synaxis habet.
Est pietas temo, constantia transtra, camelus
Mens patiens, codex nautica charta sacer.
Pneuma Dei ventus, rostrumq; potentia, portus
Est pia mors, statio mansio sancta Dei.

Navar.

Navarchum sequitur quicunq; fidelis Iesum,
Ille Abrahæ in gremio gaudia tutus habet.
Naufragium est fidei interitus, jactura malignus
Perpetua est obitus, belva marina Sathan.
Crimina sunt scopuli, caro Scylla, libido Charybdis,
Navigat infelix hæc nisi vincat homo.

Non negligenda hæc navis est salvari cupientibus. Si navis auro, farre, lardoq; onusta appelleret divitias suas largè distributura, neminem opinor eam neglecturum; magis ergo appetamus ire in navim Christi, extra quam salus non datur. Et exemplo eorum, qui concussis navibus in petra vel insula natando erepti, frigoribus, fami & morti expositi, prætereuntes naves anxiè ac vigilanter expectant, oremus ut trahat nos secum Dominus. Nec à charta navigationis magistra, quæ scopulos in occulto maris hujus monstrat, hoc est, sacrarum scripturarum doctrina aberrandum est. Nec remittenda constans sollicitudo, si enim navis in ipso portu allidat frustra navigationem prolixam absolvit.

2. *Quod tota vita humana navigationi comparetur: quia dubia est conditio vitæ nostræ & nautis omnia domi foriſq; expectanda veniunt. Ideoq; quemadmodum qui cœlo etiam sereno navigant, instrumenta adversus tempestatem in promptu habent; ita qui in læta fortuna rectè sapiunt, præsidium quoq; adversus infortunia comparant. Plutarch.*

Primò, *qui navigant nunquã quiescunt, sed ad portũ tendunt, stent, sedeant, jaceant vel vadant, semper impulsu navis ducuntur. Greg. in Regist. Ita nos nolentes volentes per singula momenta temporum cotidie ad portũ, i.e. ad finem vitæ nostræ properamus; rapiuntur enim corpora nostra fluminum more. Psal. 90. Quicquid vides currit cum tempore. Senec. Epist. 67. Homo fluida est materia & caduca, & omnibus obnoxia casibus. Job. 14. Nostrum vivere est à vita transire, & ad mortem quàm ocyssimè pervolamus. Gregor. in Moral.*

Secundò, *navigatio assiduis temporum ventorumq; varietati-*

bus obnoxia est. Gregor. Naz. Potius licet credere instabilibus ventis, & navis mare sulcantis vestigijs, Sap. 5. & noctis fraudulentæ somnijs, quorum brevis est gratia, & quæcunq; in arena pueri per ludum effingunt, quàm hominis prosperitati. Nemo igitur se eadem semper aura navigaturum speret; ludit enim de suis, inquit Seneca, muneribus fortuna, quæ dedit aufert, & quæ abstulit reddit, maximæ cuiq; fortunæ minimè credendum est. Pub. Mim. Fortuna quos beneficijs ornat ad duriores casus reservat.

Tertiò, navigatio infinitis penè periculis & laboribus exposita est. Nec vitâ nostra post lapsum quid laboriosius vel periculosius extat. Hier. in ep. ad Heliod. Nolite credere, nolite esse securi, licèt in modum stagni fusum æquor arrideat. Magnus hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis, expedite rudentes, vela suspendite, tranquillitas illa tempestas est.

3. Attributa Naviculæ sanctæ: 1. Oportet navim esse integram & illæsam, ne ullibi aquam admittat, si enim unica rimula aquam bibat, facilè faciet naufragium: Sic qui in uno deliquerit, omnium reus est. Jac. 2. v. 10. 2. Oportet rationem excogitari, si navis aliquid undarum de mari, vel pluviarum de cælo admittat, quâ illa colluvies aquarum exhauriatur, ne si plus debito excreverit, navim obruat. Idq; cum peccata sunt ejusmodi onus, Psal. 30. Jac. 3. quæ ceu aquam imbibimus, Job. 15. fit per confessionem & absolutionem, ut sic per pœnitentiam peccatum diluatur, nec suo pondere aliud trahat. 3. Oportet naviculam exterius bitumine & pice linitam esse, ut interiora ejus ab aquis marinis sint immunia: sic nihil nocebit externam faciem ejus aquis tingi. Sic nulli rei cor apponendum est, Psal. 62. sed qui gaudent sint tanquam non gaudentes, 1. Cor. 7. ne cogitationes in actum producantur.

II. Fructus Fidei. Vt in cruce & calamitatibus constituti arduis precibus Dominum Jesum, si moram trahendo fidem ac patientiam nostram probaverit, viriliter excitemus. Luc. 11. & 18. Non deerunt pijs hominibus in vitæ hujus curriculo, variarum calamita-

lamitatum procellæ, Joh. 16. Nec apud Christum in navi Ecclesiæ temporalia quærenda sunt. Ipse Christus in fluctibus versatur quocunq; pedem movet, caput Draconis calcat, cui & nos per Baptismum bellum indiximus. Signum Christi crux est, quam discipuli ejus tollent. Matth. 10. 11. 24. Luc. 14. Joh. 15. 16. Inprimis Chrysost. monet Doctores Ecclesiæ regentes navim Christi, ne similes sint limacibus & testudinibus domiportis, quæ si tempestatem & frigora sentiscunt, cornua sua haud proferunt; sed cum Jeremia & Michæa, quod Dominus jussit expediant, & ceu palmæ contra onus assurgant; aliàs si hominibus placeant, Gal. 1. v. 10. Dei servi non erunt, quia nemo potest luxuriare cum mundo, & regnare cum Christo. Hieron. Et melius est pro veritate pati supplicium, quàm propter adulationem consequi beneficium. August. Si quis merum gaudium & res secundas in Evangelio quærit, ille spe sua decidit, nec est idoneus ad regnum Dei. Luc. 14. v. 28. Possidenda itaq; in patientia est anima nostra. Luc. 21. Sicut Dominus in pane & aqua, piscibus & carnibus, ijsq; rebus quæ inter nos sunt, posuit vitam hanc; & Sacramentorum materiam in ijs rebus, quæ maximè sunt ad manum, sc. in aqua, pane & vino collocavit: Ita salutem nostram in patientia laborum & dolorum, quorum nullus in hoc mundo locus, nulla domus quantumvis felix & opulenta expers est, posuit, ut in calamitatibus ardenter Dominum invocemus, & in angustia quæramus Jehovam. Esa. 26. 2. Par. 20. Qui nescit orare, discat navigare, licèt in terrâ ille quoq; orandi Magister occurrat, Psal. 50. & multi nautarum pessimi sint nebulones. Psal. 107. v. 23. 28. Naves vulgares tres habent anchoras, unam ad dextram in prora, alteram ad sinistram, tertiam verò, quæ magis in usu est, projectilem. Sic, ut nos liberemur ab omni malo, nec alius rapiat coronam nostram, Apoc. 3. anchora prima sit Confessio peccati, & meliorîs vitæ propositum, secunda sit Fides, auditu verbi divini confirmata, tertia autem sit indesinenter projecta super petram immobilem Jesum Christum Oratio, ut si ipse, dum tentamur & affligimur dormire, preces nostras quasi

 repudiare,

repudiare, nec calamitatum noſtrarum cura tangi videatur, cùm preces ſubitò non exaudit, ſed remedia in longum differt, cum Davide & hìs Apoſtolìs exclamemus: Surge Domine, libera nos. Pſal. 3. & 13. Quamdiu noſtri obliviſceris? Pſal. 41. & 44. Præceptor nonne ad te pertinet quod perimus? Marc. 4. An non tu pater noſter, conditor & ſervator es? Anne opera manuum tuarum, ſervos tuos, domeſticos tuos, filios tuos in calamitate poſitos deſeres? Attende Domine de cælo, & convertere propter viſcera miſericordiæ tuæ, ut opem feras ſervis tuis ſanguine tuo redemptis.

III. Vt Deo præſtemus obedientiam, & ambulemus juxta mandata ejus, ſiquidem barbara elementa, & ratione carentia animalia bruta voluntatem ejus expediunt; ſic enim mandante DEO ſunditur mare, & rumpitur terra, & nubes pluviam retinent, & friget ignis, ſic loquitur aſina, corvus cibum portat, balæna Prophetam exſpuit; ſic piſces retia implent, leones rictum conſtringunt, & ficus areſcit. Nec eſt alia manſio, quàm in verbo & mandatis DEI. Auguſtin.

III.

Victoria & Merces Fidei Triplex.

I. Quod omnes, qui in navi Chriſti rectè inſtructa per utramq; fortunam cum Chriſto navigant, in portum æternæ patriæ, ubi ſtatio eſt perpetuò tutiſſima, feliciter appellent. Luc. 16. & 23. Ideoq; juxta admonitionem Chryſoſtomi, ſicut illi, qui procul à patria apud exte-
NB. *ros & inimicos difficiliora hyberna tranſegerunt, redeunte vere, cum gaudio naves ſolvunt & mari committunt, navigante ſq; in turbulento vel placido æquore inſulas, urbes, arces, ſylvas hortoſq;, & quæcunq; amæna præternavigant, patriæ & domus, & familiæ rapti dulcedine: Sic contemtis, quas Satanas, mundus & caro objicit, illecebris omnibus, ſolius Dei & patriæ æternæ ducti deſiderio curſum abſolvunt, & poſthabitis rebus terrenis, ad æternum beatitudinis portum unicè aſpirant. Inde, ſi quis unquam gaviſus eſt navita, quod abſoluta*

absoluta navigatione longa & periculosa, felix ad conjugem & sobolē, ad agnatos & amicos reversus fuerit, illosq; incolumes invenerit: certè nos lætabimur, ubi de mari hujus mundi, in pace & gaudio dimissi, in tranquillam stationem supernæ civitatis patriæ æternæ appulerimus, ubi præmissos parentes, conjugem, sobolem & amicos verè beatos inventemus; & relicti in hoc orbe brevi ad nos colligentur.

II. Quod in novissimo Die Dominus Jesus conculcatis sub pedibus suis hostibus Ecclesiæ, omnia faciet in æternum tranquillissima. Pharao, Sanherib, Antiochus & alij crudeliter persecuti sunt Ecclesiam, Herodes cruentos fluctus excitavit, spiravit minas Paulus, Act. 9. nec pepercerunt Imperatores, nec Papa, nec Turca: Sed in die Judicij justi cum magna audacia stabunt coram ijs, Sap. 5. v. 1. pressiq; spiritus angore v. 3. impij ingemiscent, dicentes v. 8. quid nobis profuit superbia cum jactantia? in modum navis fluctuosas aquas permeantis, cujus elapsæ vestigium non invenias, nec inter fluctus iter meatus ejus; ita & nos in nostra planè malitia consumti sumus. Sicut autem soli illi, qui arcam ingressi erant servabantur à diluvio, sic sola Ecclesiæ membra ab inundatione iræ divinæ & æternæ damnationis procellis defendentur. Item, sicut pauca in arca erant animæ, & postquam egressi erant, Cham se prodidit atq; excisus est: ita pauci salvantur, Luc. 13. nec in vita æterna erunt mali amplius mixti bonis. Denig; sicut arca ferebatur super faciem aquarum ab uno loco in alium, donec mense septimo resideret & requiesceret in monte Ararat; sic navis Christi per mundi hujus pelagum sex mensibus magnis oberrat, donec mense septimo in monte Dei, Psal. 15. in Carmelo altissimo, in cœlesti Thabor quietem capiat, & Christum videat, Matth. 17. perpetuò transformatum.

III. Quod videntes Christum à facie ad faciem, dicturi simus cum summa admiratione: Quis ille? En ille, cui venti, maria, imò Mors & Satanas Domino victori & omnia subjecta sunt. Psal. 8. & 110. Tunc enim in statu gloriæ neq; somno, neq; alijs, ut in hac vita Christus, velut nec electi, indigebit. Vah quàm erubescent Judæi conspecta

conſpecta Chriſti gloria, qui dixerunt: Nolumus hunc regnare ſuper nos, ubi ad vocem ejus contremiſcent, & damnati ad orcum tranſibunt. Luc. 19. v. 27.

DIE PURIFICATIONIS MARIÆ.

Evangelium Luc. 2. v. 22. uſq; ad v. 33.

PRÆFATIO SUPPLEX.

INſtinctu Spiritus Sancti Simeon ſenex ingreſſus eſt in templum, ibique invenit Jeſum Chriſtum, quo viſo optavit & obtinuit in pace dimitti. Congregavit & nos Spiritus ſanctus in æde ſacra, orabimus ergo, ut favente Deo patre, confirmet Spiritus ſanctus quod operatus eſt in nobis, oſtendat nobis Jeſum Chriſtum in verbo & ſacramentis, excitet in nobis fidem & fidei fructum, donec tandem virtute verbi divini per & propter Chriſtum in pace dimittamur. Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

PSal. 89. v. 30. *Ponam eum primogenitum, & excelſum præ Regibus terræ: idq; factum eſſe textus Evangelij docet, ſiquidem Chriſtus inter primogenitos Jehovæ in templo ſiſtitur, licetq; juxta vaticinium, Pſal. 74. v. 9. nulla amplius edebantur ſigna, nec erat ultra Propheta aut Doctor in templo, Gen. 49. qui prædicaret gloriam Iſraëlis, nec poſt captivitatem Babylonicam amplius mentio facta ſit arcæ Teſtamenti, quam Jeremias in antrum intuliſſe, & obſtructo oſtio in monte, in quo Moſes poſſeſſionem Domini contemplatus eſt, Deut. 34. occultaſſe legitur 2. Maccab. 2. v. 5. attamen Chriſtus optima arca fœderis, in qua omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis abſconditi ſunt, Coloſ. 2. v. 3. in templum ducitur, & ultra omnes Regum filios à Simeone proclamatur.*

PERIO-

PERIOCHA ET DISPOSITIO EVANGELII METRICA.

MAria purificantium
Legem, atq; ritus provida
Observat, & paupercula
Offert gementes turtures.
Christus Jehovæ sistitur,
Gnatus parenti proximus
Se sponte legi subjicit,
Et quinq; Siclis solvitur.
Simeon senex in spiritu
Lætatur, & quod viderit
Salutis ac vitæ Ducem
In pace dimitti cupit.

TRIA AD PROMOVENDAM SALUTEM OFFERUNTUR HOMINI CHRISTIANO EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod filij sint donum Jehovæ, & fructus ventrûs merces, Psal. 127. v. 3. Deusq; conjugij author bene velit & paternè faveat parturientibus, quoniam ipse, Gen. 1. v. 28. benedixit hominibus in Paradiso, dixitq; ad eos crescite & multiplicamini, & replete terram, idemq; post diluvium benedicendo Nohæ & posteris ejus repetivit. Gen. 9. v. 1. Si autem non lapsi essent in peccatum primi parentes, facta esset hæc multiplicatio absq; carnali impuro desiderio, & absq; dolore matrum, de quarum ærumnis paulò post, Gen. 3. v. 16. ob peccatũ dixit Jehovah: Multiplicãdo multiplicabo dolores tuos, & cum dolore paries conceptum tuum. Johan. 16. v. 21. Nec adeò imbecilles fuissent infantes. Sed testis Paulus est, 1. Tim. 2. v. 15. salvari mulierem liberos gignendo, si manserit in fide & charitate, & sanctificatione

cationem cum pudicitia. Licèt enim justo Dei judicio, propter inobedientiam Evæ, doloribus & laboribus onerata sint parturientes; unde pueri ante partum sunt onerosi, in partu dolorosi, post partum laboriosi; bonus tamen Jehovah, qui solus claves habet pluviæ, annonæ, mortis & partus, ipsarum haud immemor, quoniam natura & necessitas postulat, ut tum propter seipsas, tum propter fœtũ ocio fruantur, pro illarum salute recuperanda, Levit. 12. legem purificationis instituit, ut immunda haberetur mater, prout peperisset masculum aut fœminam. Fuitq; lex oblationis duplex; prior pro ditioribus, Levit. 12. v. 6. ut offerrent agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ vel turturem in oblationem pro peccato: Altera pro pauperculis, ut offerent duos turtures, aut duos pullos columbæ, unum in holocaustum, alterum in oblationem pro peccato; quia bonus & misericors Deus pauperibus, quæ non aspernatur tolerabiliorem legem posuit, quod & de Levanda scriptum extat, Exod 25. v. 2; & de vidua, Marc. 12. duos obulos conferente notatu dignum est.

Videtur DEVS hanc legẽ instituisse propter causas Tres, ut

1. Quoniam per difficillimos partus labores corpus vehementer læditur & natura enervatur, abstinendo à laboribus sanitas restitueretur. Quam Dei constitutionem, inprimis mirabile Dei auxilium atq; tam matris, quàm prolis ab hoste Satana protectionem, parturientes grato animo agnoverunt, & dona sua ad sustentationem Sacerdotum contulerunt; quod filijs Levi, Numer. 18. sicut reliquis xi. Tribus non esset data portio seu hæreditas, in terra Canaan: sed eorum erant primitiæ & decimæ, & primogenita ovium, boum, caprarum, cum redemptione primogeniti ex hominibus, & reliquæ oblationes excepto sanguine, quem in honorem sanguinis Christi non comederunt, & adipe propter virtutem Dei, qua operatur in nobis, & debetur ipsi omnis gloria.

2. Monerentur Judæi de peccato originis, quia Adam lapsus primus peccator, primus prævaricator, ut Augustinus

*

gustinus loquitur, genuit peccatores mortis obnoxios, filios, Gen. 4. non ad imaginem Dei, sicut ipse & Eva creati erant; sed ad imaginem suam, unde infans etiam regio stemmate prognatus mortis reus est. Sic ergo hac lege frænavit Deus superbiam Judæorum, ne glorjarentur de nobilitate propagati generis sui ex Abrahamo, quam graviter reprehendit Johannes Baptista, Matth. 3. v. 9. Christus, Joh. 8. Paulus. Rom. 8. Gal. 3.

3. Quoniam hæc erant typica, sic fierent admonitiones de adventu & officio Christi, qui verè est agnus Dei mactatus ab initio, Apoc. 13. v. 8. qui tulit peccata mundi, Johan. 1. v. 29. & pascha nostrum pro nobis sacrificatum est. 1. Cor. 5. v. 7.

Agnus Christus; quia
1. Ipse purissimus. Exod. 12. Esa. 53. Johan. 8.
2. Ipse patientissimus. Esa. 53. Phil. 2.
3. Nos vestitos pellibus sive tunica justitiæ suæ tuetur ab æterno frigore. Gen. 3. Esa. 61. Matth. 22. Galat. 3.

Turtur Christus; quia
1. In nobis & pro nobis gemit. 1. Joh. 2. Rom. 8.
2. Voce sua nos convocat. Esa. 59. Cant. 6. Matth. 11.
3. Cum turturum sanguis remedium dicatur contra paralysin, sanat animas nostras merito sanguinis sui.

Nec minus illa lex, quamvis ceremoniæ Leviticæ, & lex de immundicie cum suis oblationibus abrogata sit, Christianos de tribus monere debet,

1. Quod in peccatis concepti & nati simus, Psal. 51. v. 7. caro de carne, Joh. 3. filij iræ, quorum cogitatio cordis mala est, Gen. 16. & ne unus quidem justè ambulat, Psal. 14; quia peccatum ceu aquam imbibimus, Job. 15. ut ergo quæramus mundari per sanguinem Christi. Psal. 51. Mal. 3. 1. Cor. 16. 1. Johan. 1. Apoc. 7.

2. Ut Deo agantur gratiæ, pro

1. Fructu ventris haud deformi, quod omnes mundi divitiæ cum unico infante Christiano, licèt homines impij pullum equinum vel vitulum majoris faciant, conferri nequeant.

2. *Liberatione oportuna & partu felici, quia mater enixa, sicut Rahel Jacobi conjux, Genes. 35. vers. 17. & nurus Heli uxor Phineæ, 1. Sam. 4. v. v. 20. in difficili partus angustia mortua non est.*

3. *Hac ipsa lege, quæ maritos duriores esse vetat, ne violent 5. præceptum.*

3. *Vt fœminæ se vasa fragilia agnoscant, 1. Petr. 3. juxta regulam sanitatis, Rom. 12. honorem habeant corporibus suis; ne alijs sint scandalo, & destruant templum Domini, 1. Cor. 3. 6. sibiq; vitam & bonam conscientiam, soboli suæ matrem & victum, maritis simul solamen & adjutorium præripiant.*

II. *Quod Jesus Christus legis author & Dominus pro nobis datus sit sub legem, Gal. 4. ut nos adoptatos justificaret, Rom. 5. & impleretur in nobis justitia legis, Rom. 8. quia: 1. Non aliter, quàm si in peccatis conceptus fuisset, pro nobis se non tantùm legi purificationis subjecit cum matre, quam tamen lex illa non obscurè excepit, dum ait Levit. 12: Mulier quæ misso semine concepit &c. quibus verbis legislator in hanc unam puerperam oculos conjecisse videtur. 2. Et pauperibus annumeratus est, cùm nulla agni fiat mentio, nec Maria propter inopiam agnum quem offerret, habuerit: sic ergo in forma servi Christus propter nos inops, Phil. 2. Matth. 8. 2. Cor. 8. etiam omnia eligit sui similia, pauperem scilicet familiã, matremq; & nativitatem, & hospitium, & discipulorum scholam. 3. Verùm etiam, Deut. 15. v. 19. datus est sub legem primogenitorum, de qua legitur Exod. 13. v. 2. 22. v. 29. 34. v. 19. 20. Num. 8. v. 17. 18. Levit. 27. & quidem hæc à priori diversa fuit: quod lex purificationis omnes inter Israëlitas pueros, non tantùm masculos, sed etiam fœminas, & inter masculos, non tantùm primogenitos, sed & reliquos concerneret: Lex autem de primogenitis, illos solummodo & quidem masculos obligaret, quos sibi Deus sanctificari, & in templo offerri jussit de hominibus*

minibus & jumentis, ovibus & bobus, sed primogenitum asini ove redimendum, Exod. 34. v. 20. aut cervix ipsi præcidenda fuit; quod asinos Deus ab Ecclesiæ regimine depulsos velit. Et cum soli Levitæ ad ministerium in templo exsequendum sufficerent, soliq; retinerentur, reliqua primogenita filiorum Israel redimebantur, Exod. 34. v. 20. quinq; siclis argenteis.

Instituit hanc legem Deus propter Tres causas, ut

1. Sic Judæi monerentur de exitu ex Ægypto & percussis omnibus primogenitis, Exod. 13. v. 14. 15. idq; filijs suis de hac lege interrogantibus exponerent.

2. Esset commonefactio de primogenituræ vi & prærogativa, Gen. 25. v. 31. & 49. v. 3. Deut. 21. v. 16. 2. Paralip. 21. v. 3: quia illorum erat jus sacerdotij & jus primarium regni, & portio de hæreditate duplex, quibus tamen privilegijs Ismaël, Esau, Ruben alijq; se indignos fecerunt.

3. Fieret collatio ad sustentationem sacerdotum, qui in regno Judæ solummodo fuisse leguntur triginta & octo mille. 1. Paral. 23. v. 3.

Christianos hæc lex de tribus monet,

1. De gloria primogeniti filij Dei Domini nostri Jesu Christi, Psal. 89. v. 30. qui primogenitus est omnis rei creatæ, Colos. 1. v. 15. & primogenitus ex mortuis, v. 18. Rex Zionis, Psal. 2. Rex regum, Apoc. 19. cujus regni non erit finis, Matth. 1. summus sacerdos, Psal. 110. Ebr. 5. & duplici dives hæreditate, Judæis scilicet & gentibus. Psal. 2. Hic ergo est primogenitus ille, quem omnia alia in Israël primogenita adumbrarunt, quem unum Pater cœlestis intentis oculis aspexit, propter quem reliquos omnes sibi gratos exegit; sicut Herodes illius odio omnes infantes in Bethlehem occidi jussit.

2. Ut quoties ad orationem pergimus, nosq; per eam Deo gratos esse optamus, Primogenitum hunc, Joh. 16. ut

* *Deus nos exaudiat afferamus: quia nulla Deo gratior est supplicatio, quàm quæ ipsi hunc primogenitum simplici fide offert. Col. 3.*

3. Vt pueros nostros DEO, non Moloch offeramus, Marc. 10, & baptizatos in timore Dei educemus, 1. Samuel 1. pro illorum salute preces Deo immolemus, Matth. 5. 6. Jac. 5; quod & pro hostibus DEVS orare jusserit, & sic cultores Dei post nos relinquamus. Plato.

Huic ergo legi dum se sponte Christus subjecit, obtulit virgo Deo patri utriusq́, hoc est, suum & Patris æterni primogenitũ, & eundem, quod esset de tribu Juda, quinq́ siclis redemit: obtulit ut esset Patris, redemit ut esset noster, inquit Bernh. & ipse agnus Dei quinq́ vulnerum & sanguinis sui pretio nos asinos redemit, quia pœna super eũ, Esa. 53. dũ Unus pro omnibus mortuus est. Bernhard. Totus es Deus meus Domine Jesu. Totus meus es in meos videlicet usus ita expensus, ut nihil à me sumseris, quod pro salute mea non insumseris. Esa. 9. Johan. 3. Hac fide insultare possumus hostibus nostris, virtute Christi devictis: quia Christus donavit nobis innocentiam suam, & quoniam fidejussor satisfecit, debitores à creditoribus liberi fidejussori obstricti & obnoxij sumus, ipsiq́ non nobis vitam debemus.

III. Quod Christus Mariæ filius teste Simeone sit promissus mundi Redemptor; semen Adamo & Abrahamo promissum, propter quem terra Canaan promissa & data, politia Judaica constituta, & templum sanctum exstructũ sit: Salus Dei, non missus ut judicet, Esa. 4. Joh. 3. 12; sed ut sit thronus gratiæ, Luc. 9. Rom. 3. Ebr. 5. non à se ipso, sed consilio S. Trinitatis, Psal. 2. Joh. 7. nec paucis quidem; sed omni populo constitutus, Gen. 22. Act. 10. Rom. 10. qui etiam nos gentes illuminat. Joh. 1. Luc. 1. Esa. 9. 42. 49. 60. Non quidem Sol ille, qui Gentibus hemispheria sua ubicunq́ habitantibus illustrat. Neq́ lux naturæ, qua præditæ Gentes honesta & turpia discernunt: verum Sol justitiæ, Mal. 4. in corda & animas jubar spargens, ut ceu filij lucis, Rom. 12. perveniamus ad patrem lucis: Jac. 1. Et gloria Israë-

ria Israëlis, cui populo peculiariter promissus & missus fuit, Matth. 15. Rom. 9. 15. omnium Salvator, & Via quæ non deviat, Vita quæ non deficit, Lumen quod non extinguitur.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt offeramus Deo agnum immaculatum & turturem cum primogenito. Non quidem Levitico more, sed Spiritualiter hæc intelligenda sunt, ut verè agamus pœnitentiam:

Primò, *cum nullus dubitare possit in agno innocentiam & vitæ puritatem, in turturibus verò & columbis, quæ gemitus semper edunt, pœnitentium lamenta designari; cumq; nos simus pauperrimi, nudi & inopes, Gen. 3. peccatores destituti gloria, Rom. 3. v. 23. nec agnum offerre possimus, quia nemo perfectus, nec innocens coram Deo innocens est, simul columbam vel turturem, vel potius quia turpiter aberravimus duas columbas vel turtures offerendo nocte dieq; gemamus super peccatis, ut sic non crocitatu corvino, sed gemitu columbino veræ pœnitentiæ lamentis & gemitibus ad salutem perveniamus. Sic David & Manasses, & Daniel, licèt hic cum Noha & Jobo inter sanctissimos ab Ezechiele, cap. 14. v. 14. numeratus sit, Dan. 9. peccata & iniquitatem, cum anxij cordis gemitu confessi & deprecati sunt.*

Secundò, *quoniam sine fide impossibile est DEO placere, Ebr. 11. &*

Dimidium sphæræ, sphæram simul & canis iram
Postulat à nobis totius conditor orbis,

sanctificemus Deo cor nostrum, quod primò in utero matris generatur & movetur, ac postremò moritur. Nec non ex hoc fonte offeramus, qui inter omnes animi affectus veluti primogenitus est, amorem quem reliqui affectus, prout res amata vel tenetur, vel amittitur, certò sequuntur. Et amore DEI incitati quodcunq; illegitimi appetitus primogenitum, veluti jumenta in veteri Testamento sacerdotali gladio jugulabãtur, omnes impuras cogitationes & cupiditates,

omnes

omnes avaritiæ & pravitatis illecebras, verbi divini gladio, Eph. 5. Matth. 6. Jac. 2. &c. resecemus.

Tertiò, *ne fides illa mortua deprehendatur, ceu agni & turtures, placidam in honesto conjugio vitam transigamus, ne quis se gerat domi suæ instar Leonis, Syr. 4. v. 35. & inter domesticos suos instar Ursi sæviat. Allegoria autem de Columbis sic suaviter expressa est:*

Est sine felle, gemit, rostro non lædit, & ungues
Possidet innocuos, puraq: grana legit.
Gaudet aquis, quæritq; greges, celeriq; volatu
Tuta petit, fœtus educat alterius.
Masculus ipse fovet fœtus, atq; incubat ovis,
Conjugium servant, ipsa timetq; virum.

Pro hoc fidei fructu feliciter proferendo, adhuc tria commendantur in hoc textu, ut

1. *Ad legem ambulemus & testimonium, Esa. 8. quod hoc loco quinquies de Maria prædicatur.*
2. *Non senescat apud nos gratia, nec vacuis manibus coram Deo appareamus. Exod. 34. Deut. 16.*
3. *Pueros maturè Deo consecremus. Pluris est puer justus unus, Syr. 16. v. 3. quàm mille inutiles.*

II. *Vi exemplo Simeonis ejus vestigia lustrantes simus: 1. Justi justitia Evangelica & imputata per fidem in Christum. 2. Timorati, ne quid leviter contra legem divinam, & conscientiam nostram committamus; sed nobis semper ob oculos ponamus pericula, in quibus versamur; leges quibus astringimur; rationem quam reddeturi sumus; & hostes qui undiq; in nos impetum faciunt, ut sic timor Domini sit initium sapientiæ, Sap. 1. Jer. 31; nec subvertatur domus nostra, Syr. 20: sed timore Domini, Tob. 4. caveamus exemplo Josephi, Gen. 39. obstetricum, Exod. 1. & trium virorum, Dan. 2. consentire ad delicta. 3. Exspectemus adventum Jesu Christi bene præparati. 4. Simus domicilia Spiritus sancti, Joh. 14. 1. Cor. 3. nec contumacibus eum abigamus delictis. Sap. 1. 5. Firmiter teneamus responsum, quod datum est nobis à Domino, quia ipse vult esse opitulator noster. Esa. 26. 6. Libenter & assiduè frequentemus templum*

templum, ut meditatione sacræ scripturæ, ceu columbæ ad fluenta, Cant. 5. per umbram in aquis advolatum hostium prævideamus, atq; Christum inveniamus. 7. Videamus Christum oculis fidei, Johan. 8, 20. siquidem hîc ceu Simeoni & Apostolis, Luc. 10. corporaliter eum videre nobis non datur. 8. Ulnis fidei Christum amplectamur, ceu legitur de Dionysio, quod decollatus caput suum in manibus gestârit.

III. Præparemus nos cotidie ad pium obitum, ad felicem abitum, ne Dominus nos inveniat imparatos. Act. 21. Et discamus ex cantico Simeonis artem bene moriendi, ut ponderemus singula ejus verba:

Domine
- *1. Oremus Deum, ut doceat nos numerare dies nostros, Psal. 39. v. 5. Psal. 90. v. 12.*
- *2. Ne derelinquat nos in senectute, Psal. 77. nec in tenebris umbræ mortis, Psal. 23. sed Domini simus. Roman. 14.*
- *3. Ut moriamur piè, placidè, nec invitè.*

Nunc
- *1. Ut agnoscamus vitæ hujus fragilitatem, nec expectemus tempus, in quo non sumus Domini cogitationum nostrarum. Basil.*
- *2. Nec metuamus mortem, qua nihil nobis certius.*
- *3. Nec mundo huic nos involvamus, sed caveamus, vigilemus & oremus semper. Marc. 13.*

Dimittis
- *1. Ut metam à DEO positam patienter expectemus, Job. 14. Psal. 139. nec leviter invocemus mortem, quod Elias, Job & Jonas fecisse leguntur.*
- *2. Ne nobis ipsis vitam præcidamus, quod Saulem, Achitophel & Judam ad inferos adegit.*
- *3. Nec temere super defunctis ratiocinemur, quia nec passer cadit nisi Deo volente. Matth. 10.*

Servum tuum; ut
1. Servi simus & ancillæ Domini, non Satanæ, nec mundi, mammonæ, Matth. 6. aut ventris. Phil. 3.
2. Serviamus DEO in justitia & sanctitate. Luc. 1. Qui Epulonem & Judam in vita imitantur, vix cum Lazaro, Luc. 16. & Simeone piè decedent; quod quidem Balaam optavit. Num. 23. v. 10.
3. Quoniam nos servi sumus stulti & inutiles, Luc. 17. gaudeamus in merito Christi, qui pro nobis servus factus est, Esa. 53. Johan. 16. Phil. 2. nobisq; dat denarium ex gratia, Matth. 20. & vitam æternam. Joh. 10. 17.

In pace; qa mors absorpta est in victoria; 1. Cor. 15. Inde similis
1. Latroni, Draconi vel molosso, quibus ademta sunt arma, venenum & dentes.
2. Tabellario austero & inhumano, qui licèt minas spiret, filium tamen ab exilio ad parentes & amicos revocat.
3. Custodi carcerũ, qui etiam invitus jubente Deo cogitur nobis dimissis januam paradisi recludere.

Sicut dixisti. Cum verbum DEI omnia sanet, Sap. 16. v. 12.
1. Observemus verbum Dei, Joh. 8. 14. Rom. 1. ut hoc baculo innixi, Psal. 23. hanc lucernam præviam sequamur, Psal. 119. hoc gladio contra tentationes militemus, Eph. 6. hoc penu, Proverb. 6. fruamur in æternum.
2. Viatico Cœnæ Dominicæ fidem confortemus.
3. Exempla piè defunctorum Davidis, Psal. 31. Latronis, Luc. 23. Stephani, Actor. 7. ex sacro codice erutæ imitemur.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod omnes justi ac timorati, hoc est, credentes cum bono fructu domiciliа simus Spiritus sancti, 1. Cor. 3. & 6. quibus dabitur consolatio Israëlis, cumq; veniet dies illa tanquam clibanus ardens,

ardens, Mal. 4. v. 1. dies purificationis cœli & elementorum, qua Deus erit tanquam ignis conflans & emundans, & tanquam Borith fullonum. Mal. 3. v. 2. purgati sistemur Domino in gloria, erimusq; primogeniti propter primogenitum Jesum Christum, Joh. 1. qui antea eramus primogeniti scelerum, erimusq; in Christo Reges & Sacerdotes, 1. Pet. 2. genus electum, v. 9. Gens sancta & regale sacerdotium: quia ipse mactatus est & redemit nos per sanguinem suum, Apoc. 5. v. 10. & fecit nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Sicut enim Regum & Sacerdotum status dignissimus atq; præstantissimus est in terris; sic nos in honore erimus coram Deo, qui suscepimus duplum de manu Domini, Esa. 40. v. 2. Redemptionem scilicet in Christo & exemplum, & duplicem hæreditatem nacti sumus, scilicet remissionem peccatorum, & vitam post hanc æternam, quæ erit hæreditas infinita & immarcessibilis. Ideoq; non metuemus mortem, quia Christus est vita nostra, Phil. 1. nec peccatum, quia sanguis Christi emundat nos, 1. Joh. 1. nec Satanam, quia victus est, Joh. 14. 1. Cor. 15. nec infernum, quia nihil damnabile in nobis qui sumus in Christo Jesu. Rom. 8.

II. Quod mortis haud immemores & bene præparati in pace dissolvemur & dimittemur: quia in agone dum nos vertimus, respiremusq; aderit immortalitas, Seneca. nec homo sed hominis miseria morietur, dabitq; Deus ijs qui vitam æternam quærunt, Rom. 2. v. 7. boni operis gloriam, & honorem, & immortalitatem; & comitabitur emigrantes Jesus Christus cum Spiritu sancto & Angelis. Eccles. 2. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in hora mortis benedicetur. Homines impij tragicè moriuntur, & mors peccatorum pessima utpote mortis sempiternæ janua est, moriuntur inviti & repugnantes, ut qui in hac vita omnes spes & opes suas repositas habent, & ad illam dolentes pergunt, in qua ipsa conscientia teste nihil se reposuisse cognoscunt; dolent igitur vehementer propter ea quæ deserunt, & vehementius anguntur propter ea, quæ parata sibi suspicantur: illos vita malè transacta remordet, & anguntur de adificijs,

divitijs & delicijs relinquendis, de uxore, liberis & amicis, de comitatu & mansione animæ, de stramine, urna & vermibus, de Electione ad vitam æternam. Basil. Ad pecunias crebrò respectant, & quos à prima ætate sudores illarum gratia tulerunt deplorant. Tandem animæ ipsorum à Satana arreptæ ad cœlum usq; evectæ, ceu scripsit August. ad fratres in eremo, ut magis quod tanta gaudia amiserint indoleant, in gehennam demerguntur, nec reluctari poterunt, sed visis tortoribus & tormentis perpetuis trepidantes vitam nunquam datam fuisse indolebunt. Contra mors piorum pretiosa est coram Domino, quia placida & tranquilla mente discedunt, Esa. 57. v. 2. ingrediuntur in pace, & requiescunt beati, Apoc. 14. in cubilibus suis qui ambularunt coram Deo. Et opera illorum velut individui comites sequuntur illos, ut quondã Romæ triumphantes ob heroica facta. Hærent quidem & anguntur, sed non desperant, 2. Cor. 4. v. 8. quia thesaurum habent in cœlis, Matth. 6. & tabernaculum æternum. 2. Cor. 5. sciunt se colligi ad præmissos, 1. Reg. 12. & gavisuros cum DEO, quô & relicti post modicum tempus transferentur. Hinc Martinus videns mortis imaginem, quid hîc stas, inquit, horrenda bestia, nihil juris habes in me? & Vincentius: Quid vis inquit, ô mors, an nescis me esse Christianum? & Ambrosius in agone astantibus respondit: Sic vixi, ut non pudeat me diutius vivere, nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum. Nec est, ut cum Imperatore Adriano trepidantes interrogemus: Animula vagula blandula, quænam abibis in loca? quia corpora nostra non erunt spectra, nec animæ in purgatorio, sed Angeli Jehovæ excipient animas nostras emigrantes, circumspectantes, tripudiantes, Psal. 91. sicut de Elia & Lazaro legitur, eritq; comitatus frequens, quia multi passim cotidie per orbem vitam cum morte commutant.

III. Quod in vita æterna visuri simus oculis nostris, Job. 19. Christum Domini, salutare omnis populi, 1. Cor. 13. juxta verbum ejus Joh. 17. v. 24. Pater quos dedisti mihi cupio ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut spectent gloriam meam, quam dedisti mihi, quia

quia dilexisti me ante jacta fundamenta mundi. Hic sumus in regno fidei, illic erimus in regno visionis. Fide incipimus, spe duramus, re- NB. *velatione totum habebimus. Hic videmus velut per speculum, 1. Cor. 13. velut Solem nube tectum, & imaginem depictam, ibi autem remoto speculo & nube ipsum Solem justitiæ, sicut hominem in nebula aut crepusculo ubi prope accedimus perfectè cognoscimus. Certior factus patriarcha Jacob de Josepho adhuc superstite gaudebat, sed Gen. 46. v. 30. viso dixit, morior modò postquam vidi faciem tuam, adhuc enim tu vivis. Lætamur nos dum scimus, quod vivat Redemptor noster, sed ex aspectu gaudium erit infinitum. Si Tobias restituta per Raphaëlis consilium oculorum acie, Tob. 11. v. 17. viso filio & comite ejus, id tanti fecit, ut ex animo Deo gratias ageret, & dimidium bonorum suorum Raphaëli offerret: Sic cæcus ille, Joh. 9. quod tandem videret parentes suos, & illum qui aperiebat ipsi oculos Jesum Christum, humili & grata mente adoravit eum. Johan. 9. v. 38: Si Bartimæus, Marc. 10. v. 46. recepto visu præ lætitia abjecto pallio secutus est Christum, Deũ glorificans: Si Saulus de Tribu Benjamin oriundus manè prædam vorans, juxta Testamentum Jacobi, Gen. 49. post triduum restitutis oculis, Act 9. v. 20. Christum prædicavit, & vesperi prædam distribuit. Quid nos prægaudio facturi sumus,* NB. *ubi Deum patrem, & Christum perennem omnium bonorum fontem cum Spiritu sancto ductore nostro, & comitibus Angelis in Regno cælesti videbimus, nec animo comprehendi, nec verbis exprimi potest.*

Dominica V. post Epiphan.

DE ZIZANIIS.

Evangelium Matth. 13. v. 24. usq; ad v. 31.

PRÆFATIO SUPPLEX.

UT semen sermonis divini, quem hodiè auspice Deo tractaturi sumus radices agat in cordibus nostris, & fructum ferat centuplum, nec ab hoste improbo misceanrur Zizania, pro impetrando Spiritus sancti auxilio atq; sapientia fidos orationis tabellarios ad Deum patrem in nomine Jesu ablegabimus, colligendi cum venerit messis in horrea Domini. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

PSal. 49. v. 15. vaticinatus est David de Messia & concionibus ejus: Inclinabo ad parabolam aurem meam, aperiam cum cithara ænigma meum. Psal. 78. v. 2. Aperiam in parabolis os meum, loquar ænigmata à principio: Idq; fecisse Christum in diebus carnis suæ ex hodierno apparet Evangelio, & varias in contextu Christus proposuit parabolas, ut sic καινα κοινῶς, & κοινα καινῶς tractaret.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

DUlm seminator cœlicus
Commendat agro Ecclesiæ
Purum, bonumq; triticum,
Regni beatos filios.
Admiscet hostis improbus
Homines ubi sopor tenet,
Noctu serens Zizania,
Mundi mali propaginem.
Servi satagunt evellere,
Jubentur autem parcere,
Ut mixta sint bonis mala
Ad messis usq; tempora.

TRI-

TRIPLEX EX HOC TEXTU IN VIA SALUTIS EX SEMINE DIVINO BENEDICTIO.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod fidem faciente Christi parabola simplici & plana, qua, ne Evangelium alicui sit velatum, 2.Cor. 4. v. 3. Joh. 12. ipse voluntatem æterni Patris de nostra salute revelavit, Satanas sit ex professo inimicus Dei & electorum ejus juratus; siquidem posita est inimicitia, Gen. 3. v. 15. inter Serpentem & Semen mulieris. Bellum ἀδιάλλακτον, μνησίκακον, ἀνελέημον ἐχθρὸν καὶ ἄσπονδον manet irreconciliabile in æternum, ceu dixerunt veteres propter septem causas: 1. Naturæ dignitatem, à qua delapsus erubescit Deo supplex fieri. 2. Peccati firmitatem in quo penitus obriguit. 3. Superbiam immensam, qua Deo non vult cedere. 4. Regnum & principatum singularem. 5. Sapientiæ subtilitatem. 6. Malitiæ nobilitatem, qua sibi, quod Deo & hominibus obesse possit, gratulatur. 7. Quia Deo vult æqualis censeri. Matth. 4.

Sic Satan acerrimus Dei hostis est, quod illum è cœlesti sede pulsum in Barathrum perpetuo igne cruciandum irrevocabili sententia relegaverit: Cumq; Deum, contra quem odium concepit, lædere non possit, ipsius imaginem invadit, & Deum quantùm potest in creaturis insectatur, sicut, teste Basilio, Pantheræ in hominũ simulachra furibundè irruunt; & Reges terræ capitali inter se odio dissidentes, quando alter alteri nocere non potest, alterius fines & urbes invadit, & flamma ferroq; per assiduas incursiones omnia fastat. Apoc. 12. Hunc ergo in finem seminat contrarium semen, & callidè tempus observat: dolo conveniens scilicet, ubi dormiunt homines, & somnus securitatis animas eorum occupavit; ut Episcopi & Pastores avari, otiosi, ebriosi lanam quærant, non salutem ovium, speculatores sint cæci & canes muti, Esa. 56. vers. 10. nec attendant sibi ipsis & toti gregi, Actor. 20. v. 28: Vi Magistratus neglecta inspectione Ecclesiæ adificijs

ficijs inutilibus, exactionibus, venationibus operam navet. Syr. 10. Rex imperitus perdit populum suum. Eccles. 10. v. 16. Væ terræ cujus rex puer est, &c: Vt auditores capiat nausea verbi divini, nec orent, nec vigilent, immemores se hostem habere industrium, acrem & crudelem, qui non corpori tantùm, sed animæ struit insidias, nec tantùm Gentes & Judæos extra Ecclesiam, sed etiam in Ecclesia per verbum, & sacramenta regeneratos seducat, ut postremum sit deterius primo. Matth. 12. Est enim Diabolus inter filios hominum, Job. 1. rugitq; 1. Pet. 5. & filijs Dei perpetuò adversatur. Genes. 3. Vtq; triticum cribret: Luc. 22. quibusdam ut regi Achab, 1. Reg. 22. mendacia suggerit: quibusdam, ut Judæ, Joh. 13. avaritiam infundit, & quosdam incredulitatis filios, Eph. 2. ceu equos & mulos trahit. Psal. 34. Quos autem possidet eos tentare cessat. Gregor. Legiturq; in vitis Patrum, quod super Ethnicam civitatem magnam unicus tantùm visus sit agitari Satan, sed supra domum pij pastoris innumeros circumvolitasse: quia Zizania seminare animus erat, quorum Satan author & proseminator est, homicida & mendax ab initio, Joh. 8. Deus autem vellet omnes salvari. 1. Tim. 1. Quia non volens impietatem Deus est. Psal. 5. v. 5. Nemo dicat, defeci impulsu Domini, Syr. 15. v. ipse me induxit in errorem, nam omne nefas odit Dominus, nec cuiquam dedit licentiam peccandi. vers. 21.

Hoc autem facit inimicus Satan, tribus commoditatibus circumveniendi hominem instructus: 1. Est callida diu multumq; exercitata nequitia. 2. Tempus consummationi vicinum. Apoc. 12. 3. Voluptatum appetitus & facilis consensus hominum, qui ad temporalium rerum amorem, quæ corpori deserviunt multò facilius incitantur, quàm ut animam curent. Corpus enim sensibilia bona tanquam sibi cognata naturæ impulsu appetit; corporeis adhæc bonis pascimur, nutrimur & maximè delectamur, illaq; præsentia nos ad sui amorem alliciunt. Hinc absentibus præsentia, ignotis cognita, distantibus vicina, arduis suavia & bonis spiritualibus caduca stultè præferimus;

ferimus infantum more, qui interdum nutrices majori amore à quibus educantur, quàm parentes à quibus prognati sunt, prosequuntur. Sic ergo proseminando Zizania sinceram Dei segetem inimicus corrumpit, & peccatum quod omnium zizaniorum seminarium est propagat. Et quod parentes olim nostri pomum vetitum acerbum comederunt, hinc dentes nostri in hunc usq; diem & filiorum ad finem seculi obstupescunt.

II. Quod licèt inimicus, qui est, ipso Christo interprete, Satan Zizania, id est, filios hujus seculi seminet in agro mundi, Deus tamen conservet semen bonum; & semper filij Regni, tanquam oves inter lupos, in Ecclesia, cujus residuum salvabitur, Esa. 10. v. 21. Roman 9. v. 27. supersunt.

Pura & perfecta in his terris non est Ecclesia, quia oportet esse hæreses, 1. Cor. 11. v. 19. malosq;, quorum numerus semper major fuit, mixtos bonis. Sic in domestica Ecclesia Adami inventus est Cain impius. In diebus Nohæ vix restant octo justi, quibus annumeratus fuit Cham improbus. In quinq; regnis deficiunt decem justi. Inter paucos è Sodoma ereptos uxor Lothi vertitur in statuam salis. Abrahamo est Ismaël, Isaaco Esau, Jacobo Ruben. In deserto sævit Chore, erigitur vitulus, murmurat populus. In Jericho est sola Rahab. In domo David plurima scandala. In diebus Eliæ bonorum magna raritas. In diebus Christi delirant Pharisæi & Saducæi, & Judas est inter Apostolos, & vix de decem unus revertitur, nec pauci clamant crucifige. In agris sunt zizania. In retibus pisces mali. Matth. 13. In area paleæ. Matth. 3. In vinea operarij invidi. Matth. 20. In nuptijs malè vestiti. Inter virgines decem fatuæ quinq;. Matth. 25. In diebus Apostolorum surrexerunt pseudodoctores. De Corinthijs suis conqueritur Paulus, 1. Cor. 1. quod disputarint de titulis Pauli, Cephæ & Apollinis, 1. Cor. 15. quod homo impurus cum Noverca consueverit, 1 Cor. 6. quod coram magistratu Ethnico litigaverint de mundanis, 1. Cor. 11. quod abusi sint Cœna Domini, 1. Cor. 15. quod negaverint mortuorum resurrectionem. Sic tempore Pa-

trum, juxta prædictionem Pauli, Act. 20. v. 29. venerunt lupi graves, non parcentes gregi. Et modò in fecibus mundi, cum prædicente Christo, Matth. 18. vix inueniatur fides, mala citiùs & copiosiùs crescunt, nec in domo Domini omnia vasa decora sunt aurea & argentea, 2. Tim. 2. v. 20. nec omnis pecunia bona, sed multa corrupta & depravata, cui, juxta Ignat. Epist. 3. ille similis est, qui nomen tantum habet pietatis, mentita pietate, ceu forma in nummo adulterino. August. Fatemur in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas. Idem de Ecclesia sua domestica dicere solitus fuit: Non ausum sperare congregationem in domo mea meliorem fore, quàm in arca Noha, quæ minimè fuit Cathara.

Sed quamvis ad templum Dei extruat Satan sacellum suum, omnino tamen credendum est, quod semper fuerit, & maneat aliqua Ecclesia sancta; quia

1. Est articulus fidei in Symbolo Apostolico, qui durabit ad finem seculi, ergo & Ecclesia, postea in æternum cum Deo regnatura.

2. Verbum Dei manet in æternum. Esa. 40. 54. v. 10. 59. v. 21. Ergo & cœtus id recipiens.

3. Christus nobiscum est ad consummationem usq; seculi. Matth. 28. v. 20. Ergo pusillus grex, Luc. 12. non timebit portas inferorum. Matth. 16.

Illæq; colligatur per totum orbem aliàs sordidum desertum, ex Judæis & Gentibus, Esa. 32. v. 15. ut lætetur desertum & solitudo floreat veluti rosa. Esa. 35. v. 1.

III. Quod instet Messis, vespera mundi, finis seculi, justum judicium, quo Deus discernet malos à bonis, ut illorum nemini locus detur in cœlis, sicut bonus paterfamilias segregat hircos ab ovibus, Matth. 25. pisces à ranis, Matth. 13. paleas à tritico, Matth. 3. quia Christus ventilabrum in manibus habet. Gal. 6. v. 7. Quicquid seminarit homo, hoc & metet, qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum, qui seminat Spiritui, ex spiritu metet vitam æternam. Zizania, lappæ, urticæ, cardui licèt foliis, floribus & procerita-

te

veritate superbiant & felicius crescant, triticumq; impediant, projicientur in ignem, ligabuntur enim in fasciculos adulteri cum adulteris, fures cum furibus, homicidæ cum homicidis, ut audita sententia, Abite maledicti, Matth. 25. cum omnibus facientibus impietatem, Mal. 4. v. 1. ceu stipula comburantur, & ardeant sicut torrens sulphuris, Esa. 30. v. 33. quoniam timidis & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idololatris & omnibus mendacibus, Apoc. 21. v. 8. Canibus foris exclusis, Apoc. 22. v. 15. pars assignata est in stagno ardenti igne & sulphure, ubi mors erit secunda, nec vermis eorum morietur. Esa. 66. Et quos similis culpa constrinxerat, similis etiam apud inferos pœna torquebit. Gregor.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut præparemus sulcos cordis nostri ad recipiendum semen sanctum, & fugienda omnia offendicula. Per naturalem generationem spineta sumus, quæ non ferunt uvas vel ficus, Matth. 7. incultus ager, & malum semen, utpote de impuro semine nati. Psal. 50. Augusti. Genus humanum totum perierat, ex quo perierat unus in quo totum erat, hinc cor malum. Matth. 15. v. 19. Sed ut meliores evadamus, orandus Deus est, ut aratro legis frangat agrum cordis nostri, spinasq; & tribulos eruncet, ipsiq; vivum semen Evangelij commendet; quia etiam,

Fertilis assiduo si non renovetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Sic quod soli Christo debetur, per semen cæleste regeneramur, renascimurq;, 1. Pet. 1. v. 23. ex semine immortali per sermonem Dei vivi, qui manet in æternum. Joh. 15. v. 5. Qui manet in me & ego maneo in illo, hic fert fructum multum, quia absq; me nihil potestis, v. 16. Ego vos constitui ut fructum feratis, inquit Christus, & ipse dat incrementum. 1. Cor. 3. v. 6.

II. Ut licèt evelli non possint Zizania ante diem novissimum, quod intempestivi zelotæ vellent, unusquisq; tamen in suo statu ob-

nixè elaboret ea reprimere & avertere. Respondet quidem CHRISTVS de zizanijs, sinite illa crescere ad Messem; & differt pœnam propter tres causas
1. Vt sit impijs spacium pœnitendi. Rom. 2. v. 4.
2. Vt perficiatur eorum malitia, & justior sit, nisi resipiscant, condemnatio.
3. Ne eradicetur simul triticum: quod solus Deus dignoscit, novitq; quinam sint sanabiles.

Cum oculi nostri cor hominis non perspiciant, unde sæpius pij improbis censentur similes, & hypocritæ pro bonis habentur, Zelo inordinato posset uterq; evelli. Sic pharisæi Mariam Magdalenam, Luca 7. & publicanos, Luc. 14. 18. damnabant, nec quòd latronem, Luc. 23. Electis annumerasset. Quin & sancti patres colligendo zizania errarunt. Gen. 18. Abraham non raptur in dubium de decem justis in quinq; regnis. 1. Reg. 19. Elias se solum justum existimat. 2. Sam. 16. Sibæ nebuloni David fidem habet. Si ad votum Jonæ cum Ninivitis actum esset, multarum animarum facta fuisset jactura. Et Luc. 9. optassent Apostoli Samaritanos deleri. Si Adam, David, Manasses alijq; peccatores pro meritis deleti essent, Dei gloria, ipsorum salus, & consolatio nostra evanuisset. Oportet itaq; verbi ministrum, 2. Tim. 2. v. 24. placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos ne judicet ante tempus. 1. Cor. 4. v. 5. Nec tamen prohibet Christus arguere mundum de peccato, quod ipso teste, Joh. 16. v. 8. Spiritus sancti officium est: nec adimit pastoribus excommunicationis clavem, quem ipsis, Matth. 16. 18. Johan. 20. tradidit. Vult autem omnia dirigi ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ salutem, lapsorum & errantium conversionem. Sic nec præripuit magistratui potestatem tollendi malum, quem in finem gladio donatus est, Rom. 13. sed cautè agendum est, si fortè, quod in solo agro Ecclesiæ contingit, Zizania possint mutari in triticum. Interim faciant quod sui est officij, pro reprimendis
1. Pastores pro concione viriliter agant, reprehendant, moneant tempestivè & intempestivè, 2. Tim. 4. v. 2. nec potentioribus parcant. Vtantur runcina orationis, ut

quoniam,

Zizanijs; Ezech. 33. * quoniam deficit justus, Psal. 12. Deus convertat vel evertat hostes suos, & deleat impiorum sentinam. Sic. Esa. 27. super lolium excitatus, v. 4. inquit: Quis det mihi ut contra spinas & vepres in prælium gradiar, succendam eas pariter; & Paulus Gal. 5. v. 12. Vtinam abscindantur qui vos inquietant. Item studiosè fugiant impiorum consortium, Psal. 1. ipsi sint irreprehensibiles, Jac. 1. & cohortentur eos assiduè ad emendationem, 1. Thes. 5. Et pro expurgando fermento adhibeant fulmen excommunicationis. 1. Cor. 5.

2. Magistratus politicus resistat Zizanijs, & vibrando gladium sit terrori malis, Rom. 13. auferatq; malum de medio sui, Deuter. 13. v. 5. nec misereatur impiorum, sed coërceat sceleratos, tollat blasphemos & impia moliences, quod nisi fecerit potenter tormenta patietur. Sap. 6.

3. Parentes lolium exstirpent, cotidiana institutione & correptione, ne ceu Eli, 1. Sam. 1. malè educent liberos. Idem judicium esto de præceptoribus, fratribus ac vicinis; dixit enim Jehova: Levit. 19. v. 17, corripiendo corripies proximum tuum. Et Christus, Luc. 17. v. 3. si peccaverit in te frater tuus, objurga eum.

III. Vt somnium peccati & veternum securitatis studiosè excutiamus, ne alicubi ad nos invadendos inimicis pateat aditus. Non agitur de somno corporis, quem philosophi imaginem mortis & consanguineum & fratrem appellant, & naturalis est recreatio per quietem, quâ quodcunq; caret durabile non est, in qua per Angelos Deus pro nobis militat; sed de spirituali agitur somno, de detestanda hominum securitate, contra quam insigni animi motu ter locutus est Christus, Matth. 26. in mortis lucta: vigilate & orate, quod à Petro repetitur, 1. Pet. 5. præstandumq; est, nisi cribrari velimus. Luc. 22. Intelligi potest hic quoq; somnus de piorum doctorum obitu, quem

Matth. 13. v. 33.

quem plerumq; perturbationes in Ecclesia secutæ sunt, utpote post mortem Josuæ, Jud. 2. & mortuo Johanne sævijt Bencochab, Paulo q; defuncto pseudoapostoli suum virus sparserunt. Item de ocio turpi, quod Oniæ ac Davidi valde nocivum fuit: nec non de tædio & torpore, qui auditoribus Evangelij obrepit, contra quos Paulus agit, Eph. 5. v. 14. Excitare qui dormis, & surge à mortuis, ut illucescat tibi Christus.

Hi ergo sunt qui hoc loco dormire dicuntur, qui nullam virtutis & pietatis actionem exercent. In quibus vires & virtutes quod ad spiritualia attinet, profundissimo somno consopitæ, & quasi mortuæ detinentur: qui si vera fateri volunt, nihil minus cogitant aut diligunt quàm Deum, quia Deus non est in conspectu eorum. Psal. 10. Dormit in ijs fides, quia non animadvertunt ea, quæ credunt. Dormit in ijs charitas, quia dilectionis opera nulla edunt. Dormit spes, quia bona invisibilia non attendunt, & sic pro bono semine malum ijs obtruditur. Horum ergo pectora sunt agri & vineæ per quas Salomon, Prov. 24. v. 30. transivit, & ecce ascenderant per totum illorum spinæ, & superficiem operuerant urticæ, quare ipse pigros ejusmodi & corde carentes alloquitur Proverb. 6. v. 9. usquequo piger dormies? quando surges à somno tuo? en veniet tanquam viator egestas tua, & paupertas tua tanquam vir clypeo armatus.

Quod si hoc tempore eos qui in peccatis dormiunt excitare velim, & periculi sui admonere, audient quidem & expavescent, sed pravæ consuetudinis pondere pressi, & voluptatum dulcedine allecti, rursus somno eidem succumbent; qui enim sermonem narrat auri non audienti, est quasi qui excitat dormientem de somno gravi. Vt si quem peste soporifera infectum, & somni dulcedine virus omnibus membris excipientem vellices, magnis clamoribus à somno excites, & de morbi ingravescentis periculo admoneas, difficulter quidem attollet oculos, excitantis vocem excipiet, & vigilare conabitur; verùm humore noxio pressu, iterum somno, & quidem invitus immergetur. Hoc ipsum pravæ consuetudinis, & peccatorum atq; voluptatum

tum somno consopitis frequenter accidit. Si enim ad ipsos inclamamus, mortisq; repentinæ & gehennæ periculum ipsis ante oculos ponimus, audiunt quidem, & nos vera ac salutaria monere agnoscunt, & ex tam lethali sopore emergere nituntur, verùm amore hujus seculi rapti, & voluptatum illecebris deliniti, in pristinos mores relabuntur. Et sic optato tempore seminat Dæmon Zizania. Nos autem arripiamus consilium Christi: Marc. 13. v. 33. Cavete, vigilate & orate: Nescitis enim quando tempus sit. Et admonitionem Pauli, Eph. 6. v. 18. invigilantes cum omni perseverantia & deprecatione, dum caro infirma est ne introeamus in tentationem. Matth. 26. vers. 41.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod filius DEI in die extremo mundabit aream suam, Matth. 3. v. 12. & mittet messores Angelos qui colligatis ad exustionem paleis triticum, id est, electos colligent transferentq; in horreum vitæ æternæ. Apoc. 14. v. 14. 15. 16. Aspexi autem & ecce aderat nubes candida, & super nubem sedebat quidam similis homini habens in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus prodiit è templo clamans voce magna ad eum qui insidebat nubi: mitte falcem tuam & mete, quia venit tibi hora ut metas, nam aruit messis terræ: Et sic demessa est terra.

Si unquam gavisi sunt inopes & esurientes ubi instat messis, certè gaudebimus gaudio maximo, ubi aderit Messis Domini Jesu, inprimis fideles & felices operarij, qui in messe sancta desudarunt, Luc. 10. quia qui metit mercedem accipiet & coget fructum in vitam æternam, Joh. 4. v. 36. ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit, & qui laboraverunt, & qui in labores eorum introiverunt.

II. Quod licèt instar fragilis culmi & straminis tritici imbecillioris, inter lolium & cardiuos pluviæ & vento expositis, in agro mundi nobis aliquandiu commorandum sit, in die novissimo certè recrea-

recreabimur. In Epistola quadam Wenceslai Cæsaris visio describitur, quod cũ homo religiosus Ecclesiæ statum & sortem deplorandam secum perpenderet, Deum pro ejus conservatione humiliter invocaret, ipsi apparuerit fœmina pulcherrima corona regia decorata, quæ cùm se esse Ecclesiam dixisset, Regina detractato diademate nudum ipsi caput monstravit lacerum, purulentum & vermibus scatens, quod sic Ecclesia fidelium in hoc mundo torqueatur. Sed in novissimo die, Psal. 126. v. 5. 6. illi qui seminaverunt hic in lachrymis, cum exultatione metent; Eundo ibunt & flendo qui portant pretiosum semen, & veniendo venient cum exultatione reportantes manipulos suos.

III. Quod triticum congregabitur in horreum Dei, & sicut Sol fulgebunt justi in regno cœlorum, Matth. 13. v. 43. 1. Cor. 15. sicut putum & purissimum aurum, Sapphirus vel Carbunculus. Quandoquidem autem Esa. 30. v. 26. lux Lunæ erit velut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter illustrior, sancti etiam venustiores erunt ipso Sole, quia ipsi ad imaginem Dei creati sunt. Sic splenduit facies Mosis cum adhuc in corpore versaretur. Imò Angelis similes erimus, Matth. 22. Act. 6. v. 15. & quod maximum est, corpori Christi glorificato. Phil. 3. v. 21. Elige jam ô homo, num velis hic feliciter agere, esse Zizania & projici in ignem: Num verò velis adversa pati, ut colligaris in horrea cælestia, ubi perpetuò erit bonum esse. Matth. 17. Erit enim lux magna in illo die; & ambulabimus in splendoribus sanctorum. Psal. 109. Tunc erubescet Luna, pudoreq; afficietur Sol, quia regnabit Dominus exercituum in monte Zion Esa. 24. v. 23. Esa. 66. Ægidius: in ipso cœlo Empyræo quasi in quadam flamma non ab ardore, sed à splendore erunt corpora beatorum longè jucundiora ipso cœlo. Et erunt quasi quidam soles, & quasi quædam stellæ illius cœli se mutuò videntia in ipso cœlo: quia propter diaphanietatem, & propter splendorem propriorum corporum unum non celabitur alteri, sed simul gaudebunt & latabuntur mutua visione. lib. 2. Hex. cap. 23.

Domi-

Dominica Septuagesima.

DE VINEA DOMINI, ET DISSIMILIBUS IN EA OPERARIIS.

Evangelium Matth. 20. à v. 1. usq; ad v. 17.

PRÆFATIO SUPPLEX.

VOcat nos varijs modis Deus misericors, ut liberati de vinculis Satanæ ipsi DEO serviamus in sanctitate & justitia. Cumq; hodie per concionem Evangelij conducat nos de foro Satanæ, ad laborandum in Vinea sancta, gratias agamus Deo vocanti, oremusq; ut Duce & Doctore Spiritu Sancto simus operarij fideles, quibus ad vesperam detur merces copiosa per & propter JESUM CHRISTUM, in cujus nomine certè exaudimur. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

EXod. 33. v. 19. Jehova prædixit Mosi: Miserebor cujuscunq; misertus fuero, & clemens ero in quemcunq; clemens fuero. Hinc concludit Paulus, Rom. 9. v. 16. quod electio non sit ejus qui velit, neq; ejus qui currat, sed miserentis Dei. Idemq; probatur exparabolica hac Christi concione, quia per verbum juxta beneplacitum Dei vocamur, & in vinea, de qua Esa. 5. v. 1. 2. prænunciatum, ultimi qui unam tantùm per horam opus fecerunt, æquali donantur mercede per misericordiam Domini cum illis, qui diei portarunt pondus & æstum.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

ECclesia est altissimi
Præstans Jehovæ vinea,

Conducit ipse operarios
A manè ad usq; vesperam.
Præfectus ut jam præmia
Serò laboris erogat,
Ad usq; primum ab ultimo
Æqualiter satisfacit.
Sed murmurant primi invidi
Et plus avari postulant,
Primiq; sunt novissimi,
Licèt vocati nec boni.

TRIPLICEM UVAM SANCTAM PRO CONFORTANDA ANIMA ET PRO INCREmento salutis collige ex hoc textu.

I.

Confirmationem Fidei Triplicem.

I. *Quod per meram misericordiam & gratuitam bonitatem colligat sibi Deus Ecclesiam, ex genere humano in peccatum & mortem prolapso, dum juxta Εὐδοκίαν suam, quod ante creationem mundi, Eph. 1. decrevit posteros Adami in mundo hoc exules, & extra cœlestem vineam oberrantes, ociosq;, quod mala quæq; docet, indulgentes in foro Diaboli neutiquam à Deo conductos, nec spem mercedis bonæ habentes benignè vocat, & paternè conducit à diluculo usq; ad vesperam, ut per exercitium bonorum operum fides eluceſcat, capiatq; suum quisq; denarium. Luc. 16.*

Hæc Tria sunt extra controversiam,

1. Deum seriò velle, ut omnes homines salventur & ad agnitionem veritatis perveniant. 1. Tim. 2. Ezech. 18. 33.

2. Deum misisse Filium suum, ut sit propiciatio pro peccatis non nostris tantùm, sed totius mundi. Joh. 1. Joh. 3. Joh. 12. 1. Joh. 2. Itaq; nullus unquam fuit homo, nec futurus est, pro cujus peccatis Christus sanguinem non fuderit,

derit, adeò ut etiam pro reprobis & pereuntibus eum mortuum esse scriptura palàm affirmet. 1. Cor. 8. v. 11. Rom. 14. v. 15. 2. Pet. 2. v. 1.

3. Meritum Jesu Christi offerri seriò omnibus hominibus, Marc. 16. ut omnes ubiq; respiscant, Act. 17. & conversi ad Dominum salventur omnes fines terræ. Esa. 45. Ideoq; toties exit paterfamilias conducere operarios in vineam suam.

Quod conducantur operarij à prima luce ad horam usq; vespertinam, triplici modo explicatur:

1. De sex millenarijs mundi, quæ singula duas horas continent, in quibus operarij conducti sunt per promissionem de semine benedicto. In primo millenario fuerunt, Adam, Abel, Seth, Enoh, Mathusal: In secundo Noha, Sem, &c. In tertio Abraham, Isaac, Jacob, Moses, Aaron, Josua, Samuel, David. In quarto Elias, cum reliquis Prophetis majoribus & minoribus, atq; religiosis virus post captivitatem Babylonicam Mardoch, Joach, Esra, Nehemias. In quinto Jesus cum discipulis & patribus. In Sexto Lutherus, qui Anno Mundi 5479. contra Papam virtute Dei docere & scribere cepit, sic ut de hora undecima numeranda tantùm desint Anni 21. Venietq; Christus citò deposcere fructum, quia sex Anni Magni in quibus amputari debet vinea, Levit. 25. v. 3. ferè elapsi sunt.

2. De quinq; ætatibus hominis, quidam enim ab utero vocantur & infantia, ut Samuel, David, Elias, Esaias, Jeremias, Baptista & nostri infantes per Baptismum. Quidam in juvenili ætate inter Gentes educati postea conversi sunt. Multi jam annum agentes triceſimum ceu Apostoli, & 3000. Act. 3. Multi post annum quinquagesimum, nec pauci in extrema senecta. Ex his Cyrillus cum esset Nigromanticus, Augustinus cũ esset Manichæus, Lutherus cum esset Monachus Anno ætatis 34. vocatus est in vineam.

3. De donorum diversitate. Mathusalem, Noha, & c. diu vivendo multùoperati sunt in vinea Domini. Petrus & Paulus annis 35. vel 36. officij curriculum absolverunt. Johannes Evangelista ætatis Anno 67. Polycarpus Anno 84. Baptista duobus tantùm Annis officio præfuit; quæ tamen laborum dissimilitudo Dei gratiam non tollit.

Quam immensa autem sit bonitas cœlestis Patrisfamilias ex collatione cognoscere licet, quia in Baptismo conducti, & quid præstandum edocti sumus. Arrha salutis nostræ est Spiritus sanctus. Et si ad finem perseveraverimus, nec ceu turpes servi vel ancillæ Dominum leviter abnegaverimus, mercede haud privabimur. 1. Tim. 1. Apoc. 2. Sed in nullo unquam patrefamilias tantus amor erga conducendos deprehensus est: 1. Quia extendit manum tota die ad populum rebellem. Esa. 65. v. 2. 2. Amicè, cum in nullo nostri indigeat, ut adsimus compellit. 3. Cum sit ditissimus etiam reluctantes vocat. 4. Profugos & perjuros recipit, imò proditorem Judam conversum optasset. 5. Infantes, senio confectos, ægros & infirmos, laboribus q; ferendis insufficientes non aspernatur. 6. Nec serò venientes de vinea excludit, nec quicquam de mercede detrahit. Sic liberalissimus etiam dandi causas cogitat, & occasiones quibus dona sua cumulet studiosè quærit. Quia non alia de causa mundum & homines condidit, nisi ut essent, in quos bonitatis suæ thesauros effunderet, nulla prorsus necessitate, sed sola bonitate, quia nec ab æterno homines creavit, ut qui absq; illis esset perfectissimus; nec illis ulla in re indigeret, cum infinitè sit dives potens & beatus Deus in se solo felicissimus. Quod ergo in terreno patrefamilias facit cupiditas, amor lucri & necessitas; hoc in Deo charitas, amor nostri & sola bonitas; unde nostra sic curat, nosq; sic amat, quasi ipsius salus à nobis, & nostra non ab ipso pendeat. Cum q; sibi solus sufficiat, nec si ipsi non obsequamur quid amittat, ipse omnium bonorum Abyssus & cunctarum divitiarum Oceanus, tam sollicitè tamen nos quærit, quàm si ipse sine nobis constare non posset.

De tanta

De tanta Dei bonitate commonefaciunt nos tot beneficia quæ cotidie percipimus, tot flagella quibus paternè affligimur, tot vicinorum & amicorum funera, quæ cotidie cernimus, tot conciones quas audimus: dum inquit Dominus, Esa. 55. v. 1. 2. 3. Omnes sitientes venite ad aquam, etiam vos quibus non est argentū, venite, emite & comedite, &c. Ezech. 33. v. 11. ut quid moriemini domus Israël? Matt. 11. v. 28. Venite ad me omnes. Quid quæso his verbis dulcius? quid pretiosius? quis hanc divinæ bonitatis dulcedinem verbis explicare valeat. Si ita vita Dei dependeret ex nostra, quemadmodum nostra ex Deo, quid aliud diceret, quid aliud faceret Deus? quàm modo facit, cum tamen Deus non ex nobis sed nos ex ipso, & non sine ipso vivere possimus. Actor. 17.

Quod autem tanta cum sollicitudine quærat Deus salutem nostram, tum fieri credimus, quod ipse sit pater misericordiæ & fons bonitatis, à quo bona cuncta procedunt, tum quia ipse solus hujus tam ardui operis dignitatem & necessitatem penitius intelligit, ideoq; nobis prospectum cupit, ne æternam felicitatem amittamus, neve in cruciatus infinitos incidamus, sed ab hoc tam ingenti periculo revocemur, quia pueri sumus intellectu, & æterni hujus negocij pondus atq; periculum non perpendimus. 1 Cor. 14. v. 20. Sicut ergo providus pater parvulum filium assidere videns juxta ignem vel puteum, vel viperam venenatam periculi insciam, magno impetu accurrit, & anhelis clamoribus filium, ut ab ejusmodi loco fugiat, compellat: sic pater æternus, summus amator hominum nobis providere elaborat.

II. Quod Dominus Jesus ad se venientes non ejiciat foras, Joh. 6. v. 37. nec serò venientes despiciat, quia testis hoc loco Christus ipse est, quod operatores iniquitatis licèt postremi conversi venerint, primi tamen mercedem acceperint, & primò venientibus prælati sint, non propterea quod minus laboraverint, sed quod de laboribus suis non gloriati sint, Luc. 18. & agnita indignitate sua, cum nulla sit proportio mercedis & laboris solam Domini clementiam & liberalitatem prædicarint, statuentes cum Augustino: Væ vitæ hominis

minùs quantumvis laudabili, si remota Dei misericordia judicetur; & qualis hæc est ratio, tale erit judicium in novissimo die. Quod habeamus vitam, & vitæ sustentationem, & habituri simus vitam æternam: hæc omnia profluunt ex misericordia divina, non propter opera quæ nos fecimus.

Evigilent ergo qui hactenus peccati lethargo corrupti torpuerunt, & promissa vitæ emendatione, nec servata fide Sacramento cœnæ Dominicæ indignè usi sunt, quales præter dubium inter auditores nostros inveniás, credantq; quod vera pœnitentia nunquam sit nimis sera, quia misericordia Dei immensum æquor est, omnia peccata absorbens, Mich. 7. Psal. 103. Thren. 1. si quoq; fuerint tanquam coccinum Esa. 1. v. 18. Quare nec de ullius hominis salute nobis desperandum est, si quoq; peccando quis similis factus sit Caino, Herodi aut Judæ, per misericordiam Dei tamen, quod docent exempla Manassis, Publicani, Luc. 18. Prodigi, Luc. 15. Pauli, Mariæ Magdalenæ, Latronis, Luc. 23. ultimi erunt primi, poteruntq; sub vesperam vitæ in vineam vocari, & cum latrone jam carnifici tradito, atq; de palo suspenso, qui turpissimam eoùsq; in foro Satanæ vitam transegerat, per veram pœnitentiam converti. Cui tamen felicitati, ut cum Augustino loquar, quod hoc unico latroni contigisse legamus parùm fidendum est, quæ tam rara sit, aliàs commune est, ut mors vitæ respondeat. Summa dementia est ut singularem unius felicitatem sibi omnes polliceantur, & in tam multorum perditione unius se exemplo erigant, sicut proposito sibi unius aut alterius exemplo multi ad militiam proficiscuntur, nec tam mille cæsorum exemplis, quàm unius incolumitate moventur. Hinc multi vitam in sceleribus traducunt, existimantes, si in agone mortis proclament: Domine propitius esto mihi peccatori, memento mei, &c. perinde esse ac si tota vita in vera fide à peccatis abstinuissent; sed respondet Paulus, 1. Cor. 6. v. 9. ne erretis, Gal. 6. v. 7. ne seducamini, Deus non irridetur. Sera pœnitentia rarò vera est. Agere pœnitentiam & potiri remissione peccatorum in momento non peragitur, nec est in potestate nostra, sed opus

Spiritus

Spiritus sancti, qui spirat, ubi vult. Joh. 3. Si quis vocante Deo renuit venire, ipsoq; manum extendente non attendit, Proverb. 1. v. 24. ridetur à Deo in contritione & timore. Christus etiam hoc loco reprehendit ociosè stantes, salutis suæ, ac reddendæ rationis immemores, monetq; ut ilico se conferant in vineam, Psal. 95. Esa. 55. Ebr. 4. Ne dicant quia omnis ferè vita serviendo Satanæ effluxit, capiat & ille quod residuum est; sed cogitent momentaneum esse quod delectat, æternum quod cruciat. Nec est quod desidiæ nostræ causam prætexamus, qui supra Prophetarum & Apostolorum fundamenta ædificati tot Ecclesiæ vocibus atq; exemplis ad religionis studium invitati sumus. Nec scit homo tempus suum, Eccles. 9. v. 12. Proverb. 18. Jac. 4. avolamus. Psal. 90. 103. Esa. 40. &

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

Multis quod ipsi parùm sentiunt fortè undecima, hoc est, extrema vitæ hora est, quæ cotidie decrescit, velut modò dies accrescunt.

III. *Quod verè instet vespera, singulis quidem in morte, omnibus autem in judicio, & unusquisq; procuratorem atq; judicem agente Christo, mercedem capiet prout credidit, fidemq; bene operando testatam fecit. Joh. 5. v. 29. Act. 17. v. 31. 2. Cor. 5. v. 10. Ubiq; præmia distribuentur, etiam operarij iniquitatis perfricta fronte mercedem exigent, sed expostulabit cum ijs procurator justus, quod à Deo exigant quæ non meruerunt, & metere velint quæ non seminarunt, dicetq;: Quid cum ijs, qui in vinea mea strenuè laborando desudarunt, mercedem petis, qui totam vitam in ocio & voluptatibus transegisti, in luxu & sordibus carnis computruisti? diu te exspectavi, nec defuit spatium pœnitendi, imò ceu gallina pullos, 4. Esd. 3. te vocavi sed obstinato animo obsurduisti, Satanam, mundum & carnem secutus es, ad hos dominos tuos confuge ut laborum tuorum tibi reddant mercedem; Dei tui, Jer. 2. v. 28. quos elegisti tibi surgant & liberent te, si possunt in die afflictionis tuæ: confuge ad carnem tuam, ventrem tuum, pecuniam & voluptates tuas, ut tibi sint præsidio. Quid magis præposterum, quàm in alterius castris militare, &*

ab al-

ab altero, contra quem inimica tulisti arma, stipendium petere, Diaboli & mundus tibi stipendium solvant. Audita hac sententia cum videbunt se ab Electorum consortio exclusos & tortoribus, ut vermis immortalis eorum viscera depascat, tradendos, serò nimis se æternas delicias momentanea voluptate commutasse dolebunt, & cum parentibus atq; amicis scelerum socios execrabuntur, & infinito adversum se ipsos furore insanient, quod toties præmoniti auream oportunitatem adeò turpiter neglexerint, quod cum facili labore ad cœlica gaudia pervenire potuissent, pro rebus nihili tantam gratiam ultro oblatam vendiderint. Vtinam hoc vigilantes & dormientes semper meditemur, & nunc ad tempus lugendo agamus pœnitentiam, ne luctu torqueamur perpetuo, nec diutius ociosè cunctemur quia satis carni & mundo Satanæq; militatum est, sed ad horam retributionis nos bene præparemus, ne perversa sit via nostra & Deo contraria, patremq; benevolum commutemus in judicem severissimum, sed metuamus illum qui habet vitæ ac necis potestatem, quem nullum latet flagitium quamvis parietibus & nocte veletur, ne pergamus ad mortem & tenebras, & carcerem inextricabilem sempiterno luctu conficiendi.

II.
Fructum Fidei Triplicem.

I. Vt sedulò & subitò absq; tergiversatione sequamur vocantem nos Deum, nec diutius in pulvinari Satanæ recumbamus, nec ab ipso liberati in forum ejus revertamur, Apoc. 3. Matth. 10. sed ad vesperam usq; maneamus in vinea Domini. Insania est hoc primùm tempore ligonem parare, ut fodias & eruncas in vinea, quando vix vivere possis. Si piger propter frigus arare noluerit, in æstate cum virginibus fatuis, Matth. 25. & cum hypocritis, Matth. 7. à Deo rejectus mendicabit, Proverb. 10. nec dabitur ei. Nihil est se velle præparare ad laborem, quando manus porrigenda est, ut mercedem capiat. Vbi venit nox, Joh. 9. nemo operari potest. Quid meditetur miser homo in luctu mortis? memor erit præter dubium uxoris vel

rù vel mariti relinquendi atq; orphanorum, & divitiarum; sed vi dolorum impulsus, dum singula membra torquentur, vix secum erit, Medicum quidem se huc atq; illuc volutans, sed frustra accerset, sed Dei memoriam vis dolorum atq; curarum angor extinguet, quod malè ad certamen mortis paratus accesserit. Ne ergo differamus hoc, cujus jactura infinita est, nec laudetur in nobis tantùm initia, sed etjam fines, Hieron. quia

Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.

II. Ut unusquisq; in suo statu diligenter operetur, quia in Ecclesia non regnabit ignavum ocium, sed exercitium bonorum operum, ut in sudore vultus, Gen. 3. ad hoc enim conditi sumus, Job. 5. v. 7. vescamur labore manuum nostrarum, Psal. 128. præstemusq; opera bona juxta præscriptum Decalogi, Rom. 6. 7. 8. Eph. 2. 1. Thess. 4. ad arbitrium Dei, Matth. 15. Deut. 12. quia nec aliter in vinea, quàm juxta voluntatem patrisfamilias laborandum est.

Bene operandù est propter 3. causas; quia,
1. Deus mandavit nec est adiaphoron, sed imperativum in singulis præceptis.
2. Deus operibus malis & hic & in futura vita pœnam irrogat. Exod. 20. Matth. 7. & 25.
3. Regeneratio nostra requirit, ut bona opera sequantur justificatum, August. veluti arbor fructum profert.

Sicut autem in Vinea varij sunt labores, dum alij fodiunt, alij alligant, alij sarmenta inutilia resecant, alij pampinant, uvas colligunt & torcular præparant: sic in Ecclesia 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. varia sunt officia & discrimina ministeriorum, sed idem Spiritus & unus Dominus, sicut unius corporis multa sunt membra, quorum quodlibet suas habet actiones. Quilibet ergo in suo statu fideliter tractet opus Domini; concionatores, 2 Tim. 4. v. 2. & 5. prædicent sermonem, instent tempestivè & intempestivè, arguant, objurgent, exhortentur cum omni lenitate & doctrina, opus peragant Evangelistæ. Væ mihi si non Evangelizem, Rom. 9. aliosq; à morte revocem.

vocem. Væ tibi si verbum & tot salutis adjumenta non recipias. Magistratus Ecclesiam promoveat, subditos foveat, improbis pœnam statuat, nec leges aranearum telis similes sint, ceu Anaxarchus eas depinxit. Parentes & liberi, servi & ancillæ faciant quod sui est officij absq; tædio, quia cum aliter à Deo vocati non sint, etiam viliori ministerio perinde Deo grata facere possunt, quam pastores & principes. Inprimis colamus vineam Domini diligentem animæ nostræ curam gerendo, ut ab ea noxia vitiorum germina evellamus, carnis illecebras & vagas libidines exstirpemus, virtutum in ea plantas conseramus, vagarum cupiditatum palmites abscindamus, illam assiduæ pœnitentiæ studio fodiamus, & orationis arduæ lachrymis rigemus.

III. Ut agnoscamus & prædicemus misericordiam Dei, qua nobis largitur denarium, hoc est, corporis & animæ benedictionem, in hac vita pensulam, panem & potum, & in futura gaudium ac gloriam. Nec sit nobis cor impium atq; incredulum, lingua invida & venenata, oculiq; crudeles & Pharisaici: Sed fugiamus avaritiã, ne impudentes quid Domino præscribamus, & contumaces plus promisso exigamus. Fugiamus jactantiam, Luc. 18. ne simus stulti propriarum laudum buccinatores, aut gloriemur de laboribus nostris, qui servi sumus inutiles, Luc. 17. talento quisq; suo à Deo donati, Matth. 25. 2. Cor. 4. & debitores, Rom. 6. nec nobis, sed nomini Domini, cujus gratia sumus quod sumus, debetur omnis gloria, si quid laude dignum à nobis gestum est. Veniat ergo dilectus in hortum suum, Cant. 4. ut comedat fructum pomorum suorum. Paulus Phil. 3. v. 7. suas & nostras virtutes vocat σκύβαλα, etiam ubi optimæ sunt, & ad summum pervenerunt. Sunt autẽ σκύβαλα, teste Chrysostomo, quisquiliæ, seu ut alijs placet excrementa duriora, quæ difficulter, & non absq; clystere egeruntur. Esa. cap. 64. v. 6. scribit, quod omnes justitiæ seu virtutes nostræ nihil aliud sunt, quàm pannus vel vestimentum menstruo cruore inquinatum, & perinde tanquam abominabile aliquod κάθαρμα abjectum. Egregia sanè ambra & opera quorum nos pudeat.

Fugia-

Fugiamus denique invidiam, nec cooperarios contemnamus, aut ulli unquam homini animæ salutem invideamus. Melius est, inquit Chrysost. Hom. 41. in Act. in corde habere viperam, quàm iram & invidiam, quæ primaria causa fuit damnationis Judæorum, quia soli possidere autumabant cœlum & Gentes protrudere: hinc Joh. 7. deridetur ab ipsis Christus, quod gentes velit visitare, ipsumque multoties damnarunt quod cum peccatoribus conversaretur & publicanos reciperet. Matth. 9. Luc. 5. contra Apostolos quasi insanientes fremuerunt, quod Gentibus Evangelium de exhibito Messia proponerent, & potiùs damnari eligunt, quàm suo consensu Gentes ad vesperam meritorum Christi cohæredes esse velint. Est autem ejusmodi livor & invidia putredo in ossibus, & grande peccatum, contra

1. Voluntatem DEI, qua vult omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire. 1. Tim. 2. vers. 4.

2. Regulam Christi & legem naturæ. Matth. 7. Quodcunque vultis ut faciant vobis homines, hoc illis facite, nec quis vellet sibi invideri, aut præripi animæ salutem.

3. Septimam petitionem orationis Dominicæ: Libera nos à malo, quia jubemur orare, ut Deus omnium misereatur, debemusque imitari exemplum benigni favoris in Angelis, Luc. 15. in patre polystorgo ibidem, in Apostolis, Act. 11. v. 18. & glorificare Deum quotiescunque alicui resipiscentia datur ad vitam.

Cornelio Cæsariensi.

Finem Fidei Triplicem.

I. Quod confidentibus Domino & sperantibus in bonitate ejus, militandoque bonam militiam, retinentibus fidem & bonam conscientiam ad vesperam dabuntur præmia æterna, & quicunque propter nomen Christi aliquid reliquerit, ceu Christus Petro respondit, Matt. 19. v. 29. Centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure possidebit. Sed admiratione dignissimum hoc est, quod cum Deus ipse in nobis operetur velle & perficere, Esa. 26. attamen non velit electos 1 Tim. 1 v. 19.

suos laborare frustra, Esa. 65. v. 23. Chrysost. In pugna tua præliatur Dominus, & victoria tibi ascribitur. August. Nil Deus in nobis præter sua dona coronat; Deus ergo solus bonum in nobis operatur. Et nos debitores sumus, Luc. 17. quibus ipse nihilominus mercedem promittit copiosam Gen. 15; velut bonus pater, qui

1. Liberis suis, quos lex divina & lex naturæ ad obedientiam obligat, facta liberalis promissione calcar addit.

2. Delectatur labore puerorum licèt imperfecto, modò adsit prona voluntas, quam Deus coronat, ubi non invenit facultatem. August.

3. Benefacit Soboli suæ, non quidem propter meritum aliquod præcedens, sed ex innata storgarum bonitate.

Et omnibus simul Deus uno atq; eodem tempore in fine seculi mercedem hanc distribuet, nec cadit in Deum oblivio, August. sed bene retribuet timentibus nomen ejus, Psal. 61. v. 6. nec μισθὶ μείζονες μοῖρας μείζονας capient.

Porrò præmia dabuntur à Deo largissimo, non pro eventu operis, sed pro zelo ac labore præstito, quia, teste Chrysost. super 1. Epist. ad Cor. Hom. 9. unusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, non secundum eventum. Noha omnes primi mundi incolas, Loth omnes vicinos suos ex animo conversos optassent, sed noluerunt; Petrus autem unica concione 3000. in viam salutis revocavit, nec illius minor, quàm hujus merces erit: quamvis summæ felicitatis loco habendum sit, si quis auditorum multitudine stipatus coram Deo appareat. Tandem majora præmia, quàm in mentem nobis venire potuissent dabuntur, auribus non perceptum est, nec oculus vidit, Esa. 64 v. 4 1. Cor. 2. v. 9. quæ paravit Deus expectantibus & diligentibus ipsum. Sicut omnia quæ hic à Domino accepimus, licèt multa sint & magna, comparatione tamen futurorum pauca sint & parva. Hieron. Et majora illic accipiemus quàm hic aut operamur aut patimur. Cyprian. lib. 4. cap. 6.

Dolendum autem est, quod hæc diligentius à nobis non ponderentur, nec magis animos nostros afficiant. Novimus aurum & argentum ser-

tum ferro & plumbo præferre, vinumq; & mulsum præ aqua eligimus, cur non terrena cœlestibus postponimus? Augustin. de Triplici Habit. cap. 3. Quid stultius? quid insanius est, quàm umbra, imagine & similitudine veræ gloriæ & veræ delectationis, veræ pulchritudinis, veri decoris, veri honoris more infantium decipi & superari, ipsam autem gloriam non quærere, non desiderare? Quis imaginem in aqua ipso auro neglecto eligeret, & non statim à cunctis fatuus & insanus crederetur? Quis orbem Solis in speculo redditum, vel in qualibet materia formatū plus diligeret, quàm ipsum Solem, & non ab omnibus derideretur? Sic irridendus, sic æstimandus est, quisquis mundi hujus fragilitatem caducā & inutilem carnis voluptatem diligit, quærit, contendit, æternâ gloria contemta, & neglectis regni cœlestis ineffabilibus gaudijs. Hoc commercium insipientum est valde miserorum, & cor non habentium sanum, etiamsi plagæ inferni non sequerentur, quæ nec dici nec cogitari possunt. Bernh. Meditat. devotis cap. 16. Si sic amamus istam labilem & caducam vitam, ubi cum tanto labore vivimus, ubi comedendo, bibendo, dormiendo vix carnis necessitatibus satisfacimus: Multò magis amare debemus vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebimus, ubi summa semper jucunditas, summa felicitas, felix libertas, & felix beatitudo.

Hæc autem est perditæ naturæ nostræ conditio, quæ nobis gravissima in cursu bonorum operum impedimenta objicit, quod præsentibus semper inhiemus, & de futuris spem foveamus plus quàm decet languidam. Si quando victores de tentationibus eluctamur, ad fœdus Baptismi honestè ambulamus, justitiam colimus, cœlum defendimus, proximo opera misericordiæ exhibemus, mox titillans anima nostra mercedem exspectat, eamq; Angelorum ministerio mox distribui optaret, sed quoniam Pater luminum, Jac. 1. v. 17. à quo solo omne bonum perfectum supernè descendit, moram trahit, & certis de causis Ecclesiæ membra hic cruci subjecta esse oportet, multi cum impijs murmurant, Mal. 3. v. 14. Vanum est colere Deum, & quid emolumenti, quod custodierimus mandata ejus? etiam ædificantur facien-

tes impietatem, præterea tentant Deum & liberantur; sed vers. 16. scriptus est liber memoriæ coram eo timentibus Jehovam, eruntq; mihi, dicit Deus in peculium, & parcam eis quemadmodum quis parcit filio suo servienti sibi: & discernetis inter justum & impium, inter servientem Deo, & eum qui non servit ei. Mal. 4. v. 2. vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, &c. Hac spe futuræ mercedis erigit se Job afflictissimus, cap. 2. v. 10. Bonum suscepimus à Domino, & malum non suscipiemus? cap. 19. In carne mea videbo Deum. Sic ergo respondit uxori exprobranti, quod adhuc retineret perfectionem suam. Sic & Tobias cap. 2. v. 16. dicentibus ubi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? respondit increpans eos: Nolite ita loqui, quia filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est illis, qui vitam suam non mutant ab illo. Et Paulus Apostolus cum 36. annis super concione Evangelij plurimos labores terra mariq; exantlasset, 2. Tim. 4. cap. v. 7. 8. eadem spe fretus certamen præclarum inquit decertavi, cursum consummavi, fidem servavi, quod superest, reposita est mihi justitiæ corona, &c. Ne ergo flagitemus mercedem, Augustinus in explicat. Psal. 35. antequam operemur, quod non immeritò paterfamilias ægrè ferret. Sic tandem absoluto opere bona regni cœlestis percipiemus, qua, ceu Augustin. de Triplici Habitat. cap. 1. scribit, dicere, vel cogitare, vel intelligere ut sint, nullus potest carne vestitus: Multò enim majora & meliora sunt, quàm cogitantur & intelliguntur; & Regnum Dei omni fama majus, & omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria quàm putatur, excellentius est. Greg. super Ezech. hom. 8. Quantalibet intentione se humana mens tetenderit, etiamsi phantasias imaginis corporalium à cogitatione compescat, si omnes circumscriptos Spiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali videre gloriam Dei non valet sicut est, sed quicquid de illa est, quod in mente resplendet similitudo & non ipsa est.

11. Quòd etiam Gentes in hora postrema ex liberalitate & misericordia

cordia conducentiù captabunt denarium suum, & quidem primo loco, rumpantur ut ilia Judæis invidù cum fratre seniore, Luc. 15. v. 28. nec quia priores fuerunt tempore, potiores erunt jure, sed Gentes quæ non sectabantur justitiam, Roman. 9. v. 30. apprehendent justitiam, justitiam autē eam quæ est ex fide. Et veluti digniores, Luc. 14. v. 10. cum primis ascendent superius, nec tamen distribuendo deficiet merces illa, quia credentium.

Tam bene postremus, quàm bene primus habebit.

Præmia namq; æterna teste Bernhardo, tam magna sunt, ut non possint mensurari, tam multa, ut non possint numerari, tam copiosa, ut non possint terminari, tam pretiosa, ut non possint æstimari, & unus Deus omnibus sufficiet.

III. Quod non tantùm vocati sed electi erimus, Eph. 1. nec tradito denario dicetur nobis: Tolle quod tuum est & ambula, ut cum vitæ hujus necessarijs, ceu operarij à Domino dimissi & relicti abeamus, sed in catalogum viventium relati, Phil. 4. v. 3. & scripti in cœlis, Luc. 10. v. 20. perpetuò manebimus in domo Domini, hæredes Dei, cohæredes Christi. Rom. 8. Psal. 23. Sic cum Triplex sit habitatio seu Regio, tres domus ac familiæ, quibus hic paterfamilias præest: Primò in hac media mundi regione, militantes vitam trahunt, ubi risus dolore miscetur & extrema gaudij luctus occupat, Proverb. 14. ubi vita vel tenetur vel amittitur, quia hunc mundi globum electi & reprobi simul insolunt. Secundò in altera, quæ apud inferos posita est, victi in carcere infimo tenentur, ubi omnia funesta ac tristia, omnisq; prorsus lætitiæ ignara sunt, nec horarum aut temporum distinctio est, nec videtur ortus surgentis auroræ, nec lux ulla micat, nisi ex igne ad cumulāda eorum supplicia, ut visorum aspectu magis torqueantur. Luc. 16. Isidor. lib. 1. de summo bono. Ignis gehennæ lucebit miseris ad augmentum, ut videant unde doleant, & non ad consolationem, ne videant unde gaudeant. Tertiò superna cœlorum regio, ubi victores nulla invadit tristitia, ubi lucerna Agnus est, Apoc. 21, nec occidit ultra Sol, Esa. 60. nec est ulla horarum aut

temporum

temporum varietas, nec dierum & noctium succeſſio. Ibi ergo erit, ceu Innocentius, Eſa. 63. Serm. 3. Dominica Lætare ſcriptum reliquit: Vita ſine morte; Dies ſine nocte; Securitas ſine timore; Jucunditas ſine dolore; Tranquillitas ſine labore; pulchritudo ſine deformitate; Fortitudo ſine debilitate; Rectitudo ſine perverſitate. Ubi erit Virtus ſine malitia, Veritas ſine fallacia, Felicitas ſine miſeria.

Dominica Sexageſima.

DE SEMINE QUADRUPLICIS TERRÆ.

Evangelium Lucæ 8. à v. 4. uſq; ad v. 16.

Præfatio Supplex.

Quemadmodum non ſufficit ad conſequendum optatum finem, ut agricola ſemen in terram proijciat niſi cœleſtis accedat virtus & influxus, Sol & pluvia, & inprimis benedictio DOMINI: 1. Cor. 3. ita non ſatis eſt, ſementem verbi divini in agros cordis veſtri ſpargere, niſi adſit virtus & efficacia Spiritus ſancti, cujus ope & gratia aures aperiantur, ut juxta admonitionem CHRISTI audiant, & corda præparentur, ut in ijs ſemen ſanctum adoleſcat, feratq; fructum fidei in patientia centuplum, noſq; intelligentes myſteria Regni cœlorum credamus & ſalvemur. Oremus ergo Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

Zach. 13. v. 5. & v. 8. 9. duo de Meſſia prædicta leguntur: 1. Quod ſit agricola Zemah, Zach. 6. qui plantet cœlos, Eſa. 51. & ſecundus Adam per primum deperdita reparet, quare & Joh. 20. in forma hortulani apparuit. 2. Quod duabus partibus ſucciſis ac deficientibus tertia relinquetur, quam ipſe ducet per ignem,

ignem, conflabitq́, & probabit ceu aurum & argentum, quia non tam facilè, quàm securi homines arbitrãtur, in cœlos ascendimus. Sudandum & militandum est, tollendum est jugum Christi & sustinenda afflictio, Matt. 11. Act. 14. Luc. 13. Si cùm Christo volumus gloria & requie aterna frui. Utrumq́ textus hic confirmat.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

SPargit bonum verbi Deus
Semen sui, pars in via,
Petrisq́, pars in sentibus
Corrumpitur, pars fert lucrum.
Dociles rogant Apostoli
Hæc explicari mystica,
Ut audiendo intelligant,
Quod nec gravatim contigit.
Sunt corda Ager, sed est via,
Cor turpe, Petra incredulum,
Cor molle Vepres, cor pium
Fructum ferendo fert bonum.

TRIA AD SALUTEM NOSTRAM PROVEHENDAM HIC TEXTUS SUPPEDITAT.

I.

Confirmationem Fidei Triplicem.

1. Quod Verbum divinum, cui varia & multa in sacris tribuuntur nomina, quia varios & multiplices habet effectus sit semen sanctum JESU Christi. { *1. Quia ipse illud humanæ naturæ planè ignotum ex corde & sinu æterni Patris protulit, Joh. 1. Matt 11. idemque contra Diaboli & mundi impetum atq́ insidias potenter, ne unicum granum, hoc est, syllaba una pereat, defendit. Matth. 24. v. 35.*

* 2. *Quia de Christo dicit & docet, ducitq; nos ad Christum ut credentes salvemur.*

3. *Quia solus Christus dat incrementum*, 1. Cor. 3. v. 7. *ut virescat & vigeat. Psal. 68. Ose. 2.*

Vocatur aliàs Lumen quia splendore suo mentes nostras illuminat. Joh. 12. Panis, Joh. 6. quia alit & sustentat. Vinum, quia reficit & latificat. Gladius, Ebr. 4. Esai. 49. v. 2. quia vitia nostra, Eph. 6. v. 17. Apoc. 19. v. 15. & fœdas cupiditates resecat. Ignis, Luc. 12. quia tepentes in divino amore accendit. Jer. 5. v. 14. Jer. 23. v. 29. Ibidem Malleus, quia obdurata pectora frangit, mollit, & quasi petram conterit. Cibus, quia est animæ cibus. Deut. 8. v. 2. Sap. 16. v. 26. Jer. 15. v. 16. Matt. 4. v. 4. Comparatur Melli, quia ingens est dulcedo eius, Ezech. 3. v. 3: Nivi, Imbri, & pluviæ, Esa. 55. v. 10. Deut. 32. v. 2. Ebr. 6. v. 7. quia fœcundat sulcos pectoris nostri: Semini, Matt. 13. v. 19. Mar. 4. v. 14. Luc. 8. v. 11: Medicamento, Sap. 17. quia morbos animæ ceu pharmacum sanat.: Petræ solidæ. Matt. 7. v. 24.

Dicitur verbum Dei Semen:

1. *Quia, cùm quantitate parvum, virtute autem & fœcunditate magnum sit, sicut & alia semina non crescit, nisi cordibus committatur, nec augetur, si quoq; auro inclusum sit, nisi legatur & prælegatur. Mar. 4. v. 26.*

2. *Quia non crescit ad ubertatem sicut nec sementis nostra sine benedictione Dei: ideoq; oramus, Deut. 32. v. 2. Psalm. 51. Eph. 1. ut stillet ceu ros & pluvia super gramen & herbas, aperiente Domino labia nostra, & dante nobis Spiritum sapientiæ.*

3. *Quod sicut ex frumento panis conficitur: ita sit panis vitæ pascens animas nostras, ne incidant in famem æternam. Joh. 8.*

II. *Quod Deus velit & optet omnes homines recipiendo Verbum eius ad agnitionem veritatis pervenire, credere & salvari, cuius ardentissimi amoris signa sunt satis evidentia & luce meridiana clariora*

clariora; quod

1. Adeò simpliciter doceat & in similitudine plana loquatur, sicut bonus præceptor discipulis prima rudimenta, Esa. 28. v. 10. & mater infantibus cibum præmandit: Ebr. 5. v. 13. 14. vellet enim mysterium salutis nemini esse occultum, 2. Cor. 4; vellet simul cotidie inter labores & sudores in agricultura doctrinam salutis nobis suggeri; vellet denique nos admonitos, quod maledictio nõ solùm terram hanc, quam pedibus calcamus attigerit, unde spinas & tribulos, Gen. 3. v. 18. sponte sua ceu ipsa mater, fruges autem non nisi maximo labore subacta veluti noverca profert; verùm etiam ad interiora usq; mentium, ad sulcos cordis permeaverit, unde adeò difficulter pietas progerminat.

2. Alta voce & seria exclamatione auditores ad attentionem excitet, eosq; velit auribus adesse patentibus, & attendere concioni, 1. Tim. 4. veluti servos decet, quorum aures digito Spiritus Sancti in Baptismo perforatæ sunt, Exod. 21. Deut. 15. ut exemplo formicarum in æstate victum quærant, Proverb. 6. ambulentq; dum lucem habent. Joh. 12. v. 36.

3. Parabolam propositam non invitus declaret, & rudiores discipulos placidè informet, velitq; Spiritum Sanctum dare petentibus. Luc. 11.

Vellet itaq; DEus sanctum semen verbi sui sine omni impedimento apud omnes fructum facere, sicut seminator, quod nostro novimus exemplo, ægrè fert, si vel unum granum malè pereat. Præterea nihil favoris atq; laboris intermittit, ut Ecclesiam sibi colligat & conservet; quia pretio sanguinis sui nos redemit, 1. Pet. 1. nec auro vel argento, ut simus Aceldama, id est, ager sanguinis. Matt. 27. v. 8. Act. 1. v. 19. Lex est aratrum cujus vomere corda nostra scinduntur. Psal. 129. v. 3. Evangelium est Semen immortale, sermo Dei vivi manens in æternum. 1. Pet. 1. v. 23. Pastores sunt seminatores

res loco Christi. Biblia frumentum suppeditant. Ministerio distribuitur. Pluvia est Spiritus Sanctus. Esa. 44 55. Calor est illuminatio Dei. Luc. 24. Falx est mors vel dies novissimus tempus Messis. Currus sunt Angeli. Ventilabrum est judicii sententia: Abite & venite. Matt. 3. & 25. Horreum Dei est vita aeterna. Matt. 13. Sic novalia cordis nostri sollicitè à Christo exculta fructum producunt. Tandem distinctè loquimur beneficio Dei, & rectè audimus, nec, Deut. 30. v. 11. 12. 13. 14. Verbum Dei occultum est vel remotum. Non in cœlo est, ut dicas, quis ascendet pro nobis, ut tollat id nobis? neq; trans mare est, ut dicas, quis transfretabit pro nobis, ut afferat illud nobis? sed valde propinquum est nobis in ore & corde nostro. Rom. 10. v. 6.

III. Quod certè quemadmodum descendit imber & nix de cœlo & illuc non revertitur, sed inebriat terram & gignere facit eam, & germinare, ut det semen serenti, & panem commedenti, Esa. 55. v. 10. Sic erit verbum Domini quod egreditur de ore eius, non revertetur vacuum, sed faciet quod Deus vult, & prosperabitur in his ad quæ mittitur, licèt omnes Evangelium non recipiant, seminantis tamen labor non erit planè vanus in Domino, sed aliqui convertentur; licèt grex ille semper fuerit pusillus, Luc. 12. in diebus Abrahæ, Gen. 18. Noha, Josua, Eliæ & Christi. Innuit ergo Christus, Luc. 13. v. 24. paucos intrare per portam angustam, & salvari etiam de illis qui vocati verbum Dei habent incorruptum, sic ut vix quartus quisq; finem fidei consequatur; sicut Ezech. 5. v. 3. quarta pars capillorum Prophetæ pauci numero ligantur & observantur in oris vestimenti eius. Et sicut in arca Nohæ, quæ Ecclesiæ typus in multis est, tria genera ingratorum inventa sunt, Corvus scilicet, qui reversus non est, Gen. 8. & Columba, quæ aliquanto melior his reversa est, & Cham qui tandem post exitum ex Arca & plantatam vineam maledicitur, Gen. 9. v. 25. Semo & Japeto benedictis, &c. Sed quoniam originem traxit Evangelium ex corde Dei, auditorum quoq; corda penetrabit, & aliquæ inter spinas florebunt rosæ. Cant. 2. Sic, Joh. 6. v. 68. deficientibus Capernaitis Domine, inquit Petrus,

Petrus, tu verba vitæ habes. Et Luc. 11. fœmina Christum prædicat. Ne igitur propter arduum salutis iter, Matt. 7. & paucitatem Ecclesiæ, Zoph. 3. quis spem abijciat, sed unusquisq; certet, ut alijs pereuntibus incorruptam coronam adipiscatur, 1. Cor. 9. v. 25. & currendo præmium capiat, alijsq; propter verbi contemtum jam judicatis, se vel unum & primum vitâ æterna potiturum confidat.

II.

Fructum Fidei Triplicem.

Jacob. 2. v. 18. Quin imò dicet aliquis: Tu fidem habes, & ego opera habeo; Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex operibus meis.

I. Ut *Concionatores sedulò faciant officium suum, vigilent & attendant sibi ipsis ac toti gregi, Act. 20. v. 28. in quo Spiritus Sanctus eos constituit Episcopos. Est enim Episcopus, teste Augustino, nomen laboris non honoris.*

Pastores Triplices

1. *Quidam altiora tractant absq; fructu & supra metam feriunt.*
2. *Quidam hinc inde convasando, tempus terunt pedenimis humili, & nervo languido.*
3. *Quidam ad ipsam cordis humani metam collimant & pertingunt.*

Exemplo itaq; Christi: 1. Conciones intendant ad salutem auditorum; sic enim Christus h. l. parabolam ad præsens auditorium applicavit: sic Luc. 7. 15. 23. consolatus est contritos, Luc. 13. Matt. 23. reprehendit impœnitentes, Luc. 14. 18. depressit superbos, Luc. 16. 19. comminatus est ditibus aulicis & avaris; proferant ex thesauro suo nova & vetera, Matt. 13. v. 52. nec sint mercenarij, Joh. 10. sed Sal terræ. Matt. 5. v. 13. Luc. 14. v. 34. Sic ego optans cum Christo, August. & Nazianz: Utinam nemo pereat, qui vobis auditoribus meis optimè cupio, vos præmoneo, quod licèt omnes sitis baptizati & verbo Dei abundè informati, tamen metuendum sit, vos non omnes sal-

vari, sed probate vosmetipsos, ut sitis bona terra, & perseveretis in bonis operibus.

2. Exeant seminare, prædicent in luce, Matt. 10. v. 25. nec accensam lucernam ponant subter modium, Matt. 5. v. 15. nec defodiant talentum suum in terram, Matt. 25. v. 18. Prohibenti frumentum maledicit populus, Proverb. 11. v. 26. benedictio autem super caput vendentis.

SCIre tVVM nIhIL est, nIsI te sCIre, hoC sCIat aLter.

Jo: 5. 5. 17. I-B:-

~~Quo versiculo, ut hoc obiter scribam, continetur Annus ille, quo Lutherus incepit scribere contra Papatum.~~

3. Doceant non subtiliter, eructando Græca & Latina, sed iuxta August. utiliter, dum gloria prædicatoris est profectus auditoris, Gregor. super Ezech. & justorum via simplex est. Psal. 25. Sic Christus in quo plenitudo sapientiæ divinæ, Col. 1. simplici parabola res maximas exponit: sic Paulus de suis concionibus scribit 1. Cor. 2. v. 1. 2. & 1. Cor. 4. v. 19.

4. Promulgent verbum Christi semen sanctum purum & intemeratum sine commixtione errorum & tradant quod à Domino acceperunt, 1. Cor. 15. v. 3. quia nulla est concordia Christo cum Belial. 2. Cor. 6. v. 15. Nec serendus est ager diverso semine, sicut nec vestis diversarum specierum ex lana & lino induenda. Levit. 19. v. 19. Quid paleæ ad triticum, Jer. 23. v. 28. dixit Jehovah.

5. Elevent vocem suam veluti tubam, Joh. 7. v. 28. Esa. 58. v. 1. Jer. 2. Ezech. 33. ut sint vox Clamantis in mundi huius deserto. Esa. 40. v. 3. Matt. 3. v. 3. Qui habet aures audiat quid Spiritus dicat, Apoc. 2. v. 7. Cùm ergo nemo vestrum, quod sciam, surdus sit, & nos planè ac distinctè loquamur, vos auditores meos compello, atq; per Deum, per meritum Christi, per conventum novissimæ luctæ obsecro, ut rectè utamini auribus vestris, & modò attenti sitis, ne cogamini audire damnationis sententiam: Abite maledicti. Matt. 7. & 25.

6. Quod res est dicant, nec blandiloqui sine conditione auditoribus

ditoribus salutē promittāt, placētia prædicent, Mich. 2. Jer. 17. aut pulvinaria consuant, Ezech. 13. v. 18. sed alacriter & acriter reprehendant, quia eiusmodi conciones non sunt convicium, sed beneficium. Item placidè rudiores informent, si quis ilico non convertatur, sapius faciendum est periculum. Nec officij labores remittant, si messis sancta semper non fuerit abundans. Unius animæ salus instar centuplicis fructus est. Angeli paucis pastoribus, Luc. 2. Christus uni Nicodemo, Joh. 3. concionatus est; & Athenis solus Dyonis. Areopag. conversus fuit. Ubi nos fecerimus quod nostri est officij, quamvis in vacuum laboravimus, Esa. 49. v. 4. Judicium nostrum est cum Jehovah: si minus fideliter evangelizando profecimus, & seminandi officio parùm responderit eventus, laboris tamen mercedem non amittemus, nec ab eventu judicandi sumus, quamvis hoc iuxta Bernard. non satis consoletur fideles Verbi divini ministros, cùm tot animarum videant interitum, licèt officio suo non defuerint. Sicut nec pia mater ideo in morte filij, quod diligentissimè illius curam gesserit, nec quicquam quod ad salutem attinet prætermiserit, à lachrymis abstinet.

II. Ut auditores ad Christum, Christiq; loco docentes confluant: Properanter, quia jam tempus est acceptabile, Esa. 49. 2. Cor. 6. nec caret periculo mora. Frequenter ut numerosi adsint nec tardè seminantem negligant, nec saturi verbum Dei proijciant, Proverb. 27. Et ardenter ut hoc agant, &, ceu Chrysost. monet in Ecclesia nemo cogitet de familia, nec lentè aut frigidè velut in transcursu vulgi more, sed patulis auribus interpretationem propositi sermonis percipiant, nec aliàs ceu magna pars huius turbæ, Mar. 4. v. 10. discedant, sed sapientiores evadant. Augustin. de vera innocentia. Auditor verbi similis esse debet animalibus, quæ ob hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, & non pigeat cogitare de his quæ in alvo cordis accepit. Et cum audit fit simulo edenti, cùm verò audita in memoriam revocat, fit similis ruminanti. Levit. 12. Contegant semen sanctum in cordibus, ut sit lex Dei meditatio eorum. Psal. 119. die ac nocte, Psal. 1. nec recedat hoc ab ore eorum, Joh. 1. sed repetant & inculcent semini suo, Deut. 6. v. 7. 8. 9.

III. Ut unusquisq; ceu spiritualis sacerdos, 1. Pet. 1. Apoc. 5. ad speculum huius Evangelij se examinet & rite componat. Exod. 38. v. 8. Sap. 7. 1. Cor. 13. v. 12. Jacob. 1. v. 23. Cùm enim omnes ad hanc referri possint Evangeliorum explicationes, & quilibet de seipso judicare possit ex hac parabola, nec alio indigeat speculo: quod singuli ad unam certè ex propositis hisce quatuor partem simus referendi, facilè quid nobis desit, & quid sit incompositum, & quo in statu sit anima nostra deprehendimus:

1. Si Satan, qui inter filios hominum deambulat, Job. 1. v. 7. hominem quacunq; oblata occasione domi retinet, ne meminerit sanctificare Sabbatham, vel aures eius in templo obturat, vel cor compressum indurat, aut verbum Dei ab aëris potestatibus, ne in fibris cordis recondatur, abripitur, aut mortalium animi peregrinis cogitationibus involvuntur, ut stupidiores de concione revertantur quàm accesserant. Sicuti, Gen. 15. v. 11. Volucres Abrahamo immolanti molestæ fuerunt: Et Judic. 6. v. 3. Madianitæ toto septennio sementem in Israël conculcarunt: Et Adam in Paradiso, Pharao, Saul, 1. Sam. 15. Epulo, Luc. 16. Virgines fatuæ, Matt. 25. Judæiq; à manifesto Dei verbo defecerunt. Si tandem somnus inter concionandum obrepit, atq; objecto torpore omnis animi motus in ventos diffluit, exhorrescat homo, & consideret cur Diabolus hoc moliatur, scilicet: Ne intelligat, ne credat, ne salvetur, si ageretur de bonis, de fama, de vita exiguum esset cum perpetuâ hac jactura comparatum. Oret itaq; Deum, ut abigat volucrem & rapacem Diabolum incenso ardore Verbi divini, ut credat & salvetur. Convertat oculos ad docentem, corvos flagello orationis repellat, & occando semen in pectore abscondat. Alias cor simile est
   1. Diversorio publico, quod tam malos, quàm bonos admittit.
   2. Cymbulæ quassatæ, quæ per omnes rimulas aquam bibit.
   3. Urbi patenti, quæ facilè ab hostibus invaditur.

2. Si Satanas persecutionem per Tyrannos excitat, & hominem

nem spiritualiter vel corporaliter tentando aggreditur, ut vel ipse vel soboles malè agat, & propter inopiam raptus tædio Evangelij per impatientiam deficiat. Sicut de uxoribus Lothi & Hiobi historiæ sacræ commemorant, nec non de subditis Nebuchodonosaris, Darij, Constantini Chloris; Et de Gadarenis, Matt. 8. de avaro adolescente, Matt. 19. de Samaritanis & Sichemitis, Joh. 4. & 6. Et sicut de Saule. 1. Sam. 28. scriptum est Satanæ membra in angustijs consulat. Contremiscat homo, & ponderet intentum Satanæ, nec tempore tẽtationis recedat, sed floreat ceu palma sub onere, Psal. 119. nec miretur de æstu, 1. Pet. 4. v. 12. sed gaudeat se cum Christo pati; ut sic Theologia non tantùm sit Theoretica, sed Practica, quia facilè est Virtutem colere, cum nullas ferat ærumnas: Oretq; ut Deus confirmet quod bene cepit, ut proficiamus in verbo Dei, & ditescamus in agnitione Christi. Phil. 1. v. 9. Eph. 3. Quàm autem necessaria sit eiusmodi oratio docet exemplum Petri, qui propter succi & radicum inopiam ferè cribratus fuisset, Saulis item & Judæ, qui bene ceperãt, sed malè finierunt. Ezech. 18. v. 24. Si aversus fuerit justus à Justitia sua, omnes Justitiæ quas fecit non commemorabuntur, sed morietur propter prævaricationem suam. Eiusmodi homo dum feliciter agit in officio manet, oratq; quando divinis afficitur beneficijs, langvet autẽ si bella surgũt, & molestijs afficitur, similis

1. Hirundinibus, qui æstivo tantùm tempore adsunt.

2. Avibus, quæ derelictis ovis pullos non excludunt, & solo veris tempore cantillant.

3. Illis, qui in Cœna cum Domino discumbunt, ad passionem verò prodeuntem deserunt.

3. Si Satanas curarum, divitiarum & voluptatum laqueos homini tendit, ut ipsum varijs hujus seculi curis implicet & à consideratiane rerum cœlestium abducat, cæloq; per hunc omnis mali radicem excludat, Eph. 5. 1. Tim. 6. Vel divitiarum dulcedine inescet, cum nihil iniquius sit, quàm servire Mammonæ, Matth. 6. & amare pecuniam. Eccles. 10. Coangustatum est stra-

tum, Esa. 28. v. 20. ut alter decidat, & pallium breve utrumq; operire non potest. In Regno voluptatis nec est Virtuti locus, qui se totum divitiarum & voluptatum studio dedit ad rerum divinarum studia planè ineptus redditur. Quàm difficillimè salvantur divites, qui non sunt divites in Deo, Prov. 30. Matt. 19. Luc. 12. 16. Jac. 5. v. 1. 2. tam facilè ad inferna ruunt Voluptatibus immersi, Ebriosi, Scortatores, Epicurei: Sap. 5. Gal. 5. 1. Cor. 6. quia ejusmodi voluptates contra animam militant, 1. Pet. 2. & ab his spinis, Mich. 7. neq; ficus, neq; uvæ colligi possunt. Matt. 7.

De Spinis notetur quod
1. Se latè diffundant.
2. Semen impediant & suffocent.
3. Vulnerent ac lacerent.
4. Floribus superbiant.
5. Fructum ferant amarum.
6. Serpentibus latebras præbeant.
7. Apprehensa teneant.
8. Solem avertant.
9. In sepibus evanescant.

Quæ singula cum sollicitudine, divitijs & voluptatibus conveniunt. Si ergo intelligit homo, se sub his vepribus positum, expavescat, spinas eruncet, avaritiam fugiat, divitijs cor non apponat, Psal. 62. voluptatibus non intricetur. Petat à Deo cor novum, Psal. 51. carnis & mundi illecebras fugiat, nec diligat mundum, 1. Joh. 2. quod mũdi amicitia sit inimicitia corã Deo, Iac. 4. v. 4. Omne quod est in mundo, cupiditas Carnis, libido oculorũ & fastus vitæ non est ex Patre, sed cum mundo, ex quo est, præterit. 1. Joh. 2. v. 16.

4. Bonos Christianos, qui terræ fertili comparantur, ex tribus agnoscimus:

Bona terra quod
1. Audiant Verbum Dei, Joh. 8. Rom. 10. auroq; præferant & obryzo. Psal. 19. 119.
2. Observent Verbum auditum in Corde puro, nec sint vacui auditores, Jac. 1. sed insigniora dicta in varijs casibus sub onere peccati, in afflictionibus ac morte sibi applicent.
3. Fru-

3. Fructum ferant copiosum in patientia usq; ad adventum Domini. Jac. 5. v. 7. Sicut agricola expectat pretiosum fructum terræ, dum accipiat pluviam matutinam & serotinam, nec aratrum, juga vel rastra comburit, si vnius anni seges minus fertilis fuerit.

Thren. 3. v. 26. Bonum est quod expectet homo, & sit silens in salute Jehovæ: Bonum est viro cum portaverit jugum in adolescentia sua, ponet in pulvere os suum si forte sit spes, quia non deseret in seculum Dominus, à cujus domo Judicium incipit. 1. Pet. 4. Qui cum differre vota soleat, ut augeat desideria, possideamus in patientia animas nostras, & in variorum laborum exantlatione bonos fructus proferamus, sumtis pro exemplari afflictionis & patientiæ Prophetis: Ecce beatos ducimus eos, qui afflictionem sustinent. Jac. 5. v. 11.

III.

Tripudium & Finem Fidei Triplicem

I. Quod verbum Dei semen cœleste virtute ac facunditate immensum, insigne sit instrumentum, quo Deus in nobis operatur Fidē, Rō. 10 & Salutē. Rom. 1. Cū enim impij astu Satanæ impediti hac non assequantur, nos credimus & salvabimur, quia verbū Dei nobis medicamentū est contra mortem æternam, Joh. 8. & communis thesaurus, & brabeum sanctissimum, 1. Cor. 9. v 24. non vni quidem, sed omnibus firma fide in hoc stadio currentibus paratum, Joh. 3. Matt. 11. 1. Tim. 2. Neq; enim cum bona cuipiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis, Luc. 12. v. 15. sed ovibus, quæ audiunt vocem Christi, & ipsum sequuntur, Joh. 10. ipse dat vitam æternam, sicut ipse testis est, Luc. 10. v. 42. quod cum unius rei opus sit, Maria quæ ad pedes ejus assidens sermonem sacrum audiebat, bonam partem elegerit, quæ non auferetur ab ea. Et quid quæso juvat hominem, si totum mundum lucratus fuerit, Matt. 16. v. 26. pereat autem anima ejus? Si autem scrutamur scripturas, Joh. 5. v. 39. in ipsis vitam habemus æternam, quia testificantur de Christo. Quicunq; ergo colligit in æstate, & formicas imitatus, Proverb. 6. v. 8. Ibidem

30. v. 25. præparat in hac messe escam suam filius intelligens est, Ibidem 10. v. 5. Qui verò in messe hac sancta dormit confundetur, atq; in æternum ejulabit. Jer. 8. v. 20. Præterijt messis, finita est æstas, & nos non sumus salvati.

II. Quod in futura vita mysteria Regni Cælorum nobis erũt notissima, nec opus erit interpretationem amplius petere, quia nec aggravata erunt aures, nec clausi oculi nostri, Esa. 6. v. 10. sed omnia intelligemus. Annotavit August: fuisse Eremitam, qui cum nunquam scholam frequentasset, nihilominus perfectè legere & elegantissima scripturæ dicta allegare potuerit. Idem, se nôsse hominem scribit, qui per arduam jnvocationem tridui spatio plenam literarum notitiam impetraverit. De Apostolis, multisq; eorum discipulis testatur Codex sacer, quod Spiritu imbuti in momento varia idiomata, & profundam divinæ scripturæ sapientiam didicerint; sed hæc rara ac miraculosa. De nostra autem vulgari cognitione asserit Paulus, 1. Cor. 13. v. 19. quod hîc ex parte cognoscamus, & ut infantes cogitemus atq; loquamur, cernamusq; per speculum & per ænigma. Postquam autem advenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte erat abolebitur; & viri facti coràm cernemus, cognoscemusq;, prout edocti fuerimus.

Adamus ante lapsum universali, integra & perfectissima rerum cognitione tanquam radio sapientiæ divinæ donatus fuit, non tantùm in divinis, verùm etiam in naturalibus & externis, quia ut Dominus mundi omnium creaturarum proprietates ac virtutes rectè perspexit, & cuiq; nomen attribuit, Ciconiam ab amore erga parentes, aurum à virtute confortandi cor, leonem à crudelitate, talpam quod se sub terra volutet, suo, hoc est, sancto idiomate Ebræo appellavit; post lapsum autem tantam sapientiam & rerum cognitionem non tantũ in politicis & externis labefactata memoria, sed etiam in spiritualibus miserè amisit. Hinc, 1. tot errores consiliorum & judicia perversa, quia ex parte tantùm intelligimus, plurima arcana in rerum naturis nobis ignota sunt. Angelorum naturam, astrorum motus, corporis

humani

humani mirabilem structuram in auribus, oculis & lingua, nemo perfectè scrutatur. De avium natura, Phœnicis, Pavonis, Halcyonis aliarumq; reparatione & sustentatione. De Heliotropio & alijs herbis, de Smaragdi, Magnetis aliarumq; gemmarum virtutibus miramur quidem, sed parùm intelligimus, sic ut Aristodemus Philosophus totius vitæ suæ meditationibus ne unius quidem apiculæ naturam indagare potuerit. II. In hac vita labilis est memoria nostra, & variis indiget adminiculis, illa quoq; quæ memoriæ mandavimus, inprimis sancta & salutaria facilimè excidunt: quamvis præstantia interdum floruerunt ingenia. De Rege Mithridate author est Plinius lib. 25. cap. 2. quod 22. linguis pro numero regionum sibi subiectarum usus sit, Cyrum vegeta memoria 30000. militum nomina recitare potuisse legimus. De Esdra Euseb. in lib. Tempor. Fulg. lib. 8. cap. 7. Joseph. lib. 11. cap. 5. Antiquit scripserunt, quod cum igne periisset Pentateuchus seu quinq; libri Mosis illos recenti memoria à capite ad calcem recitaverit, & ex ore ipsius annotando restituti sint. In hac tamen vita ex parte tantùm viget memoria nostra, atq; cum annis decrescit, III. In Theologicis præsertim fratres sumus ignorantiæ, nec animalis homo percipit illa quæ sunt Spiritus, 1. Cor. 2. Rom. 8. sed sensus carnis mors est. Nec ex nobis Dei essentiam ac voluntatem agnoscimus, nec magis quàm Simonides Hieroni Syracusanorum regi de Dei natura proprio marte respondere valemus, quia Sapientiam Dei nemo cognovit perfectè, neq; quis eam planè pervestigavit, Syr. 24. v. 38. nam abundantior mari est intellectus ejus, & consilium ejus profundo immensius. Non sine magno labore literas discimus, nec ad perfectam scientiam in hac tenebrarum valle unquam pervenimus, hîc in schola particulari cætera desiderantur, & perfectio reservatum Dei est. Hîc ceu pueri puerilitèr de rebus cœlestibus loquimur & balbutimus; nec erubuit Cælius Calcagninus ad Bibliothecam suam scribere, se diuturno sexaginta annorũ studio didicisse, se nihil scire, & ignorantiam suam non ignorare. Et Justinus non verebor, inquit, ignorantiam fateri, magis verò gloria-

bor quod credam arcanis, quæ non satis explicari possunt. Chrysost. Scio quod Caro factum sit: quomodo factum sit nescio. Miraris quod verbum ego nescio, omnis caro ignorat. Cyrill. Quomodo id fiat nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio & firma fide suscipimus, quia excedunt mentem divina mysteria. Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quis cognovit sensum Domini? In futura autem vita ex toto cognoscemus, perfecti Philosophi, Astrologi, Physici & Medici erimus, nec intellecta unquam trademus oblivioni; eritq; etiam in Spiritualibus sapientia nostra perfecta, totalis & universalis, dabitq; legem suam Deus in visceribus nostris, Jer. 31. nec ultra docebit vir proximum suum, vel fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum. Joh. 15. v. 7. quod ego facio tu nescis nunc, cognosces autem postea, inquit Christus.

III. Quod qui patiendo vincunt, non tantùm fructum ferent bonum, sed fructu beato in æternum fruentur: Victori enim dabit Deus edere ex arbore Vitæ, quæ est in medio paradisi Dei. Apoc. 2. v. 7. ex Manna illo abscondito. v. 17. at sancto pane ac vino vitæ satientur in æternum. Apoc. 7. Tunc qui passi sunt cum Christo, cum ipso coronati regnabunt, & vescentur fructibus patientiæ suæ, tunc agricolæ spirituales præcones Evangelij lætabuntur conspectis in gloria auditoribus suis, quod labor non fuerit inanis in Domino, Esa. 55. 1. Cor. 15. quodq; Eliam, 1. Reg. 19. v. 18. & nos in hoc seculo latet, in die novissimo certè revelabitur. Tunc quotquot de 3000. ad finem usque perseverarunt, sicut & familia Cornelij, Act. 10. pro fideli institutione Petro Apostolo gratias agent, & omnes fideles recepti Evangelij fructum reportabunt; qui autem audierunt & non audierunt, viderunt & non viderunt, h. e. qui crediderunt blasphemis, adulteris, invidis, avaris, superbis, cæterisq; flagitiosis supplicia parata esse extrema, & tamen hos cibos lethales attigerunt, justo Dei judicio perpetua fame torquebuntur.

Domini-

Dominica Quinquagesima.
vel Esto mihi,

DE BAPTISMO CHRISTI.

Evangelium Matt. 3. à v. 13. usq; ad fin. cap.

ORATIO SUPPLEX.

MAndavit Deus Deut. 18. Matt. 3. & 17. ut audiamus magnum Prophetam JESUM Christum; Christus autem non docet nos immediatè, sed per Verbi sui ministros, de quibus Matth. 10. hanc tulit sententiam: Qui vos audit me audit, &c. Audietis ergo in hoc conventu Filium Dei per me vobis concionantem, idq; ut fiat in Dei honorem & nostram salutem, orabimus à Deo patre nos perfundi Oleo Spiritus Sancti per & propter JESUM CHRISTUM, in ipsius nomine dicentes: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

P *Sal. 45. v. 8. Dilexisti justitiam, & odio habes impietatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus Oleo gaudij præ consortibus tuis, hoc est, cùm alijs sacerdotibus invisibiliter & ad mensuram detur Spiritus Sanctus, supra Messiam visibiliter descendet. Et manebit super eum. Joh. 1. v. 32. Cujus vaticinij veritatem hic textus probat.*

PERIOCHA ET DISPOSITIO EVANGELII METRICA.

S Ex lustra natus flumine
Jordanis JESUS mergitur,
Sordesq; quas non attulit
Nostri misertus abluit.

Humi-

Humilis recusat Prodromus
Conferre baptismum Deo,
Quo se indigere maximè
Fatetur, & jussa expedit.
Mox cœlum hiatu panditur,
Formâ columbæ Spiritus
Descendit, æterni jubet
Audire Gnatum vox Patris.

TRIA EX HOC TEXTU ERUANTUR PRO ÆDIFICANDA AUDITORUM salute & aperiendo Cœlo.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

1. Quod verè sit Deus, quamvis hoc stulti negent in cordibus suis. Psal. 14. v. 1. Et quidem Unus in essentia, Trinus in Personis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Nec ulla manifestior aut magis perspicua Trium Personarum in Vnitate essentiæ à se invicem distinctarum extat patefactio, quàm in hoc textu. Licèt enim Deus se multis modis revelaverit, sic ut in principio Pater ōnia creaverit per Verbum seu λόγον, Joh. 1. v. 3. & Spiritus Dei agitaverit se in superficie aquarum, Gen. 1. v. 2. & collocutus sit Deus de faciendo homine, Gen. 1. v. 26. monstratumq; sit Trinitatis mysterium Abrahamo, Gen. 18. v. 2. Licèt in Prophetis, Esa. 6 8. 48. 61. 63. Os. 1. Hag. 2. & in Psalm. 2 33. 36. 66. 67. 110. mysterium hoc non obscurè significatum sit: Et ipse Christus non tantùm promiserit se missurum discipulis à Patre Spiritum Sanctum, Joh. 13. 14. 15. verùm etiam mandaverit, Matt. 28. v. 19. baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Unde Basil. Sicut Baptizamur ita credimus. In Baptismo tamen Christi Sancta Trinitas manifestissimè cognita est: ideoque Athanas. ad Arrian. Ito ad Jordanem, inquit, & videbis. Quia Vox æterni Patris de Cœlo audita est, sicut & Matt. 17. & Joh. 12.

Filius

Filius Dei incarnatus in Jordane baptizatur, manibus Johannis cõtrectatur, & surgens ex aquis in littore Jordanis oravit, Luc. 3. v. 21. Spiritus Sanctus corporea specie quasi Colũba visibiliter supra Christum descendit. Sic ergo Deus qui habitat in luce inaccessa auditur, videtur & contrectatur.

II. Quod JEsus Christus à Nazareth Mariæ filius à Johanne baptizatus, ipso Deo teste, sit Filius æterni Patris, & promissus mundo Messias.

Fuit quidem evidens Baptistæ testimonium, quando Christum digito monstravit, Joh. 1. v. 29; sed hoc longè excellentius est, quo ipse Pater cælestis nos directè ad Christum deducit, aitq; ex scriptura veteris Testamenti, Psal. 2. v. 7. Esa. 42. v. 1. Deut. 18. & quidem δευτερώς: *Hic est filius meus non putativè, ceu creditur filius esse Josephi, nec largitate gratiæ, ceu Arrius postea deliravit, sed* ὁμοούσιον *& consubstantialis, splendor gloriæ meæ, & dilectus, in quo sibi complacuit anima mea, qui sua satisfactione avertit iram meam, propter quem credentes mihi sunt Filij, Joh. 1. dilecti, Eph. 1. Hic itaq; neglectis mandatis hominum, Matth. 15. v. 9. quibus me frustra colunt, audiatur.*

Hic ergo Dominus JEsus venit ad nos: *nos quidem summa necessitas impellit, ut sequamur ipsum ad terminos mundi, at ille, cum nos salutis nostræ simus immemores, sponte sua ad nos veniens, eam nobis offert, Esa. 55. v. 1. nosq; allicit, Matt. 11. v. 28. & conversos optat, Luc. 15. sequitur usq; in desertum: imò jam incensa justa super nos ira, ubi paratus est ad vindictam, tamen promptior est ad exhibendam nobis misericordiam, modò revertamur à malo, Jer. 18. v. 7. & quod maximè admirandum est, ipse dicit Ezech. 22. v. 30. se quærere virum stantem in fractura pro terra coram Deo, qui se deprecatorem interponat, velut si offensus Rex vel Princeps, volensq; cogente justitia exercere vindictam, optat sibi offerri intercessorem, ut sic possit exhibere misericordiam. Si exemplum petis, lege Gen. 18. Colloquium Jehovæ cum Abrahamo de interitu Sodomorũ.*

Venit ergo propter Nos *Dominus Jesus datus nobis à Deo intercessor. Et cum esset purissimus, utpote cujus reservatum solius erat juxta Tertull. ut mundus maneret ab omni labe, & verè immaculatus similis bono medico, qui primus potionem amaram deguslat, ut nos confidentius in baptismo biberemus mortificationem veteris Adami per crucem,* pro Nobis baptisatus est, *atq; peccata nostra in se derivata in aquam submersit, Mich. 7. omnemq; justitiam sic implevit.*

Sedulius: Peccata quæ non attulit
Nos abluendo sustulit.
Fortunat: Adam vetus quod polluit,
Adam novus hoc abluit.

Nec tantùm hoc ritu Messias publicè voluit inaugurari, & signum fœderis pro Judæis ac Gentibus in hoc lapide angulari colligendis assumere, Rom. 15. nec tantùm ostendere baptismum sanguinis sibi præparatum, Luc. 12. v. 50. Matt. 20. quò intraverunt aquæ usque ad animam ejus, Psal. 59. v. 1. 2. sed suo exemplo confirmare ministerium Johannis, sanctificare aquas, & conferre baptismo efficaciam, ut credentibus, ceu dicitur ab Ambros. esses unda salutis, quia unda sanguinis. Cum enim non indigeret lavacro, scribit Cyprian: baptizatus est, ut daret baptismo testimonium & virtutem, sicut cõtactu sancti Corporis sui effecit, ut sint sepulchra nostra Bethaim, seu domus viventium.

Ἐνέργεια & fructus baptismi Triplex,

1. Operatur remissionem peccatorum, August. ut caro peccati enervetur, nec concupiscentia innata obsit.

2. Liberat à morte & Satana, ut sic, velut per mare Rubrum transeundo, liberemur ab hostibus animæ nostræ.

3. Donat vitam æternam, non ex opere operato, sed operatione Trinitatis, quæ nos sic mediatè mundat, sanctificat & salvat. Durantq; hæc tanta bona per totam vitam, nec si quis lapsus fuerit novo fœdere opus est, modò

vera

*vera conversione ad idem fœdus fiat regressio, sicut prolapsus ex navi, si in eandē recipitur, in statu suo ꝑmanet.

III. Quod virtute Christi, qui nobis sut laboris meritum dedit, baptismus sit credentibus: Lavacrū desponsationis, Ezech. 16. v. 6. Eph. 5. v. 36. Balneum regenerationis, Joh. 3. Tit. 3. & renovationis, per quod secundum suam φιλανθρωπιαν nos salvos fecit. Fons salutis, Zach. 13. v. 1. & aqua mundans, Ezech. 36. de domo Domini profluens, Joël 3. aliâs non est sanitas in nobis, Esa. 1. sed undiq; sanies & livor, & dolor à vertice usq; ad plantam. Huc referatur historia, Joh. 5. v. 4. de qua Chrysost. Aqua Bethesdæ non ex se habuit virtutem sanandi, sed quia Angelus eam movit: Sic Baptismus per & propter Verbum ac mandatum Dei, & quia præsens est Spiritus Sanctus, habet efficaciam, ut aperiatur nobis Cœlum, & detur nobis Spiritus Sanctus, & adoptemur à Deo qui nostri miseretur, velut Pater seminis sui, Psal. 103. & de nobis proclamat: Hi viri hi pueri, hæ famina & virgines mei sunt filij & filiæ, 1. Joh. 3. mihi dilectæ, quia diligunt filium meum, & credunt in Jesum Christum. Sic denig; tota Trinitas verè præsens in Baptismo nos recepit, ut habeamus à Deo Patre paternam defensionem ac subsidium nunquam derelinquendi. Psal. 27. Et Baptizati in mortem Christi, Rom. 4. ipsum induamus, Gal. 5. ipsiq; inseramur, Joh. 15. Rom. 11. simusq; Spiritus Sancti templum, per quem nos ducentem dicamus Abba, Pater. Rom. 8.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut simus ex animo humiles, & cum sanctis Jacobo, Gen. 32. Centurione, Matt. 8. Paulo, 1. Cor. 15. Phil. 3. confiteamur nostram ἐδένειαν, nostrum Nil sum; quia tunc justi sumus cum nos peccatores esse fatemur, Hierom. cum nec Cœlum coràm Deo purum sit. Si Daniel Dan. 9. & Johannes hîc, se peccatores fateri non tergiversati sunt, & se in gregem peccatorum abjecerunt, quis quaso sibi

sanctitatem arrogabit? & se à maculis & vitijs immunem jactabit? Vah quantum inter nos & Johannem, quo, ipso Christo teste, non surrexit maior inter gnatos mulierum, interest! Ne ergo alios contemnamus, sed Tecum habita & noris quàm sit tibi curta supellex. *Nemo sibi sapiat supra quàm oportet sapere, Rom. 12. v. 3. sed prout cui q. Deus partitus est mensuram fidei; ne simus prudentes apud nosmetipsos, sed alijs honorem exhibendo prævenientes. Inprimis cum simplici humilitate ad baptismum, ubi veneranda Trinitas præsens est, accedamus. Exod. 19. Prohibetur ne quis temere accedat ad montem Sinai. Levit. 10. Ignis Jehovæ consumit Nadab & Abihu filios Aaronis. 1 Sam. 5. & 6. In Bethsemes caduntur 50070. propter arcam Jehovæ, & 2. Sam. 6. Usa eandem leviter & indignè attrectans à Deo occiditur: magis metuendum, si quis ad baptismum, ubi ipse Christus cum sanguine sui merito adest, indignus adsit.*

II. Ut impleamus omnem justitiam unusquisq. in statu vocationis suæ, nec extra illius limites evagantes alienis nos ingeramus, aliàs studiosi in Jericho securim amittunt, 2. Reg. 6. & Usias thuribulum sumens lepra punitur. 2. Par. 26. Et Saul in messem Samuelis falcem mittens à Deo abijcitur. 1. Sam. 13. v. 12. 13. Deus unicuiq. tribuit quantum vult, Matt. 25. sed cum Deus sit ordinis, 1. Cor. 14. ac proportionis, differentiam esse vult inter illos quibus unū, & inter illos quibus quinq. pondo concredidit, sic tamen ut impleant omnem justitiam, expediant quod ipsis mandatū est, & Deo quod suū est reddant. Arcæ vel Cistæ Dei sumus, in quibus cū per se sint ejusdē pretij, quò magis ipse in illis reponit, eò pretiosiores habentur, non ex nobis sicut arca vacua, sed ex donis, quæ Deus in nobis recondidit, ut sic tā bene minimus, quàm summus Deo grata præstet, qui nec postulabit quod non dedit. Nec decorum est, ut illi, qui heri sacrorum erant expertes, hodie velint esse sacrorum duces, Nazianz. sed solidæ fenestræ, juxta Cyrill. nos similes esse oportet, quæ lumen intromittat, nives autem & pluviam cum ventis prohibeat.

III. Ut Christum docentem nos pœnitentiam agere, Luc. 13. v. 3.

v. 3. sermonem sanctum observare, Joh. 14. v. 23. crapulam & ebrietatem fugere, Luc. 21. v. 34. cavere, vigilare, & orare, Marc. 13. v. 33. quod mandatum, Matt. 17. v. 5. Deus Pater adjunxit, sedulò audiamus. Et filium Dei, Psal. 2. v. 12. non quidem Judæ, sed Mariæ Magdalenæ osculo osculemur: nec aliam in Cælos viam quæramus, quia nemo venit ad Patrem nisi per Christum, Joh. 14. cui pater omnia in manus tradidit, Joh. 3. v. 13. v. 16. v. 35. 36. nec est in alio salus. Act. 4. Destitutus hoc Mediatore ad Deum non introbitur; neglecto hoc Sacerdote, nemo Dei voluntatem agnoscit; nisi apud hunc Regem, nullum unquam propugnaculum habetur. Cum autem in Christianis non laudentur initia, sed fines, Hieron: constanter nobis juxta pactum Baptismi in novitate vitæ ambulandum est, Rom. 6. v. 4. ne sponsa Christi denuò peccatorum sordibus polluatur, canisq; ad vomitum, Prov. 26. & porcus ad cœni volutabrum revertatur, 2. Pet. 2: quod nobis cotidie, dum pia consuetudine Catechismum recitamus, assidua meditatione sub incudem vigilantis memoriæ revocandum est.

III.

Victoria & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod Deus nos adoptarit, ipsiq; in nobis complaceat, quos ipse diligit propter Unicum dilectum, Joh. 1. v. 12. Eph. 1. v. 5. 6. nec quis, vel quid ab hac dilectione nos segregabit, Rom. 8. v. 35. quia unctionem habemus à Spiritu Sancto perfectam. 1. Joh. 2. v. 20. Et in Baptismo obsignavit nos Deus, deditq; arrhabonem Spiritus in cordibus nostris, 2. Cor. 1. v. 22. quo illuminante Spiritualis cæcitas à visu nostro, velut squamæ ab oculis Pauli, Act. 9. v. 18. abstergetur, ut sic tandem elucescat summa dignitas baptizati hominis. Quia per Baptismum facti sumus: I. Electi filij & filiæ Dei, Gal. 3. O quantum ergo habemus parentem, terræ potentem & syderum, qui nos non negliget! Psal. 27. Esa. 49. Joh. 14. II. Hæredes Dei, & cohæredes Christi. Rom. 8 Gal. 4. O quàm amplissima cælorum hæreditas nũ-

quam amittenda! Gal. 5. Cum hæc caduca quantumuis blanda dulcedine hæredibus arrideant, spe & voto citius per mortem relinquenda sint. III. Fratres & sorores Christi. Joh. 20. v. 17. O quantum habemus Fratrẽ & consanguineũ, Iob. 19. in Aula cœlesti, qui nobis rectius quàm Iosephus fratribus suis prospiciet! IV. Facti sumus domicilia & templa Spiritus Sancti, Rom. 8. 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. & fortissimus est qui in nobis habitat, 1. Joh. 4. nosq; excitabit, & vivificabit mortalia corpora nostra. Rom. 8. v. 11. V. Sanctissima sponsa Christi. Matt. 22. Felices ergo quibus tantus Sponsus in sempiternum se despondavit. Ose. 2. v. 19. VI. Regale Sacerdotium. 1. Pet. 2. Apoc. 1. & 5. VII. Filij Regni, filij lucis & oves pascuorum Christi. Ioh. 10. VIII. Dei speculum, imago & hæreditas. IX. Angelorum conservi, Apoc. 19. v. 10. fratresq; & sorores Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & fidelium omnium, qui habent testimonium Domini JEsu, ad quorum consortium ex his ærumnis cum gaudio emigrabimus.

II. Quod nobis qui bene militando retinemus fidem & bonam conscientiam pateat cœlum, Act. 7. ubi πολίτευμα nostrum est, Phil. 3. veniemusq; ad eum, qui ipse est Via, Ioh. 14. v. 6. Veritas & Vita. O beatissimos nos, qui fide ingressum habemus in Cœlos, quorum animæ ab exuvijs mortalibus dimissæ transibunt ad Patrem æternum! Hæc summa est mea & vestra in media morte recreatio, majorem non novimus, quàm quod emigrans anima Deum videbit in terra viventium, Psal. 27. & quidem eodem momento, quo per mortem à corpore distrahitur. Quando enim externus homo corrumpitur, 2. Cor. 4. v. 16. internus renovatur cotidie, & quò citius domus hujus tabernaculum dissolvitur, eò citius in cœlesti habitatione coram Deo versatur anima nostra, ubicunq; locorum: quia ut suscipiat Deus Spiritum Electorum de corpore abeuntem, non opus est locali ascensu à terra per aërem in excelsum, sed per transitum tantummodo, per egressum de corpore ducitur anima in Regnum Dei visibile, & cœlesti vestitur gloria. Luc. 23.

Ubicunq; Deus adest militanti Ecclesiæ per totum mundum, terra

ra marive, & mediis afflictionibus, ibidem præsens est cum Regno cælorum, & sola revelatione seu mirabili, si ipsi placuerit, illuminatione, id membris Ecclesiæ ostendit, aut per depositionem corporei tabernaculi, Deum & Paradisi gloriam mox intuentur. Cumq; Dei regnū sit non extra nos, sed in nobis, necessariò statuendum est, quod anima nostra per beatam mortem absq; mora & longiori profectione eat habitatum. Spiritus enim revertetur ad Deum qui dedit illum, ubi revertetur pulvis in terram. Eccl. 12. v. 7. Deus autem operatur in nobis, Phil. 2. v. 13. Ioh. 17. 2. Cor. 13. Et Christus per fidem in cordibus nostris, Eph. 3. inhabitat v. 17. in nobis vivit, Col. 2. & per fidem domicilia atq; templa sumus Spiritus Sancti. Cor. 3. v. 16. 1. Cor. 6. v. 19. 2. Cor. 5. v. 16. &c. Nec anima nostra per materiale aliquod cælum ad Deum migrabit, nec nobis sed Deo vivimus & morimur. Rom. 14. v. 8. Nec aliud est obitus Christianorum, quàm jucunda evigilatio animæ à difficili somno & somniis terrificis hujus vitæ ad imaginem Dei juxta sententiam Davidis, Psal. 27. v. 15: Ego in justitia videbo faciem tuam, & satiabor expergefactus ad imaginem tuam. Propterea velut homo pius, quieti traditus varia somniorum perturbatur figura & imaginatione, quasi in latrones inciderit, vel naufragium patiatur, aut in prælio collatis signis cùm hoste cruento manum conferat, vel ab ipso Satana divexetur, quæ omnia cum videantur periculosissima, excitatus tamen, ubi se in tuto agere agnoscit, velut qui è conspectu belli aufugerit, Syr. 40. v. 7. gaudet, vanumq; terrorem admiratur, nec aliquod miliarium iter absolvit ut erepta fuga à tanto metu liberetur, sed evigilando & recolligendo sensus somniorum vanitatem deridet, seq; domi suæ bene agere grata mente Deum prædicat. Simili ratione mors fidelium somnus dicitur & verè somnus obitus pij hominis est, quoniam ipse quasi somno obrutus mundo moritur, Domino autem excitatus vigilat. Emisso enim ab exuvijs spiritu Ens entium & summum Bonū anima videt, ibiq; vitam hanc præteritam non vitam quidem, sed vitæ umbram & somnium fuisse, quod per mortem modò excusserit, verè judicat.

Quin-

Quin & multi in agone mortis constituti animi deliquium patiuntur, atq; post modicum tempus recollectis viribus se in locis delectabilibus jucundissima quæq; vidisse, & suave melos audivisse enarrant, eoq; reverti unicè desiderant; quæ sanè præludia & gustum seu principium visibilis futuræ cœlestis gloriæ fuisse nemo dubitabit, quæ cum morte certantibus, veluti cæco Mar. 8. v. 24. objecta visus, magis magisq; eminus & jam eluctatis dilucidè apparent. Nec pro his demõstrandis exempla deficiunt. Esa. 6. v. 1. vidit Propheta Dominum super solium excelsum, audijtq; clamorem sanctissimorum Seraphim, non quidem hujus videndi causa absoluto itinere prolixo, sed in terris monstrato ipsi Regno Dei præsenti, quia Regnum visionis sive cœlum tertium hic à nobis non procul abest, verùm in eo invisibiliter ad vitæ usq; terminum versamur. Hinc Joh. 3. v. 13. testatur Filius hominis, se esse in cœlis, licèt in urbe Sancta cum Nicodemo colloquatur, Matt. 16. v. 28. juramento affirmat, quosdam discipulorum non gustaturos mortem, usq; dum viderint filium hominis venientem in Regnum suum, idq; post sex dies impletum esse legitur, Matth. 17. dum tres Apostoli in monte Thabor à fidendo ad videndum transferuntur, & quantum ijs in carne adhuc versantibus à Christo concessum est, in Regno Dei revelato Mosen & Eliam conspiciunt, agnoscunt, audiuntq; cum Christo splendore cœlesti ornato colloqui, nec Prophetas de Cœlo superiore per nubes descendisse, nec Christum cũ discipulis in Cœlum Empyræum evectos fuisse ex Evangelistis demonstrari potest, nisi quod spectare regnum cœlorum aliquodammodo admissi sint. 2. Cor. 12. v. 2. scribit Paulus se raptum fuisse in tertium usq; cœlum, & ineffabilia audisse verba; addit autem nescire se an in corpore, an verò extra corpus, quod duplici modo fieri potuerit, factum sit, an segregata de corpore anima, an verò in ergastulo corporis res tantas viderit. Stephanus Act. 7. v. 55. intentis in cœli oculis plenus Spiritu Sancto videt gloriam Dei, & Jesum stantem ad dextram Dei, & quidem coram judicibus in concilio; quare Augustin. de cognit. veræ vitæ cap. 42. fuisse hoc Cœlum Spirituale testatur,

tur, in quo jam per fidem ipse constitutus erat, atq; ad conspectum per mortem delatus est, ut visibiliter Christo, cui animam commendavit, cohabitaret. Sic tandem Johannes, Apoc. 4. v. 2. 3. &c. vidit ostium apertum in cœlo, Christum q; insidentem throno, & 24. senes cum 4. animalibus, multitudinem beatorum, Apoc. 7. novum q; cœlum & novam terram, &c. Quæ omnia in Spiritu ipsi revelata sunt, nec horum spectandorum causa ex insula Pathmo raptus fuit.

III. Quod, quamvis Deus habitet in luce inaccessa, quem vidit nemo hominum, neq; videre potest, 1. Tim 6. v. 16. excepto, qui in sinu Patris est, filio, nec ipse habeat corpus & membra, in vita tamen futura Deum videbimus, Patrem quidem & Spiritum Sanctum in forma divina, Filium autem in carne nostra glorificata, Deum & hominem, unde gaudium nostrum immensum & infinitum erit. Variis quidem modis se Deus revelavit in Paradiso ante & post lapsum, in oblationibus, Gen. 4. Jud. 13. 1. Reg. 18. sicut & Exod. 3. & in Sinai, & alibi in Igne apparuit.

Deus in Igne,
- 1. Quia sibi optat nos similes reddere, quod ignis omnia sibi admota in suam naturam transmutare elaboret.
- 2. Quod nos illuminet ipse Ignis charitatis & æterna lux nostra.
- 3. Ut ignem divini ardoris, Deut. 4. & flammas gehennæ præmonstraret impijs.

Collocutus est Deus cum Noacho, Abrahamo, Mose quem & ipse sepelivit, Deut. ult. & 2. Sam. 5. 1. Reg. 19. se præsentem ostendit in vento. Sed nec formam nec membra Deus habet, & nobis est imperscrutabilis. Filius autem Dei formam & membra habet juxta humanam naturam, quia caro nostra assumpta est in consortium Trinitatis: O verè admirandum! Perpendamus hoc aliquantisper suspensis animis! aliàs vana est nostra perscrutatio, quod docet Augustini historia & Urielis informatio. 4. Esd. 4. O verè admiranda persona Christi, qui hoc loco baptizatus homo visibilis, idem Deus absconditus & invisi-

invisibilis, dilectus meus, Cant. 3. & 5. Candidus & Rubicundus electus ex millibus: verus scilicet Deus & verus Homo.

Depingitur Deus Pater ut senior, quoniam Dan. 7. v. 13. Prophetæ ceu in visione noctis apparuit, dicitur Antiquus dierum. Depingitur Filius Dei in humana natura Crucifixi, quia Dan. 7. v. 13. tanquam Filius hominis visus est in nubibus cœli, velut etiam apparuit Stephano, Act. 7. & Johanni Apoc. 1. Spiritus Sanctus in specie Columbæ, quâ ad baptismum Christi visus est, describitur, nec talis, sed qualis est cum Patre ac Filio in Regno Dei à nobis videbitur, quos ad imaginem suam, hoc est, perfectos in Justitia, sapientia & sanctitate condiderat, lapsos q; per filij meritum restituet & in æternum reformabit.

Dominica Quinquagesima.

Alia Concio.

DE CHRISTO PRÆDICENTE APOSTOLIS PASSIONEM, ET COECO VISUM RESTITUENTE.

Evangelium Luc. 18. à v. 31. usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm sequenti tempore Quadragesimali devota attentione, quam etiam numeratione dierum in nobis excitare voluit pia vetustas, ponderanda sit historia passionis Domini nostri JESU Christi, de quâ ipsius in hodierno Evangelio explicandum est vaticinium, quo ille omnia prævidit & prædixit Apostolis, ne verbum illud à nobis sit absconditum, sed ut aperiantur oculi nobis spirituales, Christumq; sequamur, & fides nostra nos salvos reddat, unanimiter clamabimus: JESU Fili David miserere nostri; Rogabimusq; Patrem æternum in nomine Christi ut

ut effuso in nos Spiritu Sancto confirmet quod dignatus est in nobis operari. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Deut. 21. v. 23. Maledictus qui pendet in ligno. Gal. 3. v. 13. Judæi non vivos, sed prius interfectos, nec clavis sed laqueis de cruce ad vesperam usq; suspendebant sceleratos. Ethnici autem illos vel capite in terram converso suspendebant, aut per obscœna stipitem agebãt, aut clavis per manus & pedes adactis cruci vivos affigebant. Hoc genere supplicij quoniam necandus erat Christus, ut implerentur vaticinia, Ethnico Judici Pontio Pilato, & Gentibus, quod ipse in hoc Evangelio prædixit, tradendus fuit, probavitq; se esse Messiam, eo quod Cæco visum reddidit. Esa. 35.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

A Postolis prænunciat
Flagella Christus & Crucem,
Tradendus ipse Gentibus
Die redivivus tertia.
Nihil sed ipsi intelligunt,
Videtur absurdum Dei
Subire tanta filium,
Verbum illud est absconditum,
Visum dari Cœcus rogat,
Dum postulatumq; impetrat,
Christum secutus prædicat,
Cum cæteris spectantibus.

TRIPLEX EX HOC TEXTU COLLTRIUM SANCTVM ET SPIRITVALE.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod certo consilio definito, & providentia Dei, Act. 2. v. 23. debuerit, ingenitoq; generis humani amore sponte voluerit Christus, Esa. 50. v. 5. Psal. 49. v. 9. tradi Gentibus, conspui, illudi & mori in Cruce, atq; Virtute divina tertia die resurgere, quod ipse prævidit, & maturè prædixit, nec subterfugit, sed assumtis discipulis, Luc. 9. v. 51. cum advenisset tempus, ipse se obfirmavit, ut ascenderet Hierosolymam, nec reciperet dimidium Regni & civitatis honestæ ipsi ab Edessenorum Rege Abgaro Uchaniæ filio oblatum. Euseb. histor. Eccles. lib. 1. cap. ult. Faitq; hic sermo Christi merè præceptivus, & præscribens Judæis atq; Gentibus, quid & quomodo agendum. Act. 3. v. 18. Deus enim qui prænunciaverat per os omnium Prophetarum suorum, Christum ita passurum, id implevit, utpote per Mosen, Gen. 22. Exod 12. Num. 21. post 437. Annos per Psalmographum, Psal. 2. 8. 16. 22. 69. post Annos 361. per Esa. cap. 43. 50. 53. & sic deinceps.*

II. *Quod ratio cæca etiam in Apostolis, qui aliquandiu cum Domino conversati erant, non intelligat summum mysterium de morte Christi. Luc. 9. v. 45. Erat illis occultum, ut non sentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc dicto, nimirum quia rudes adhuc, nec mysterium Redemtionis nostræ, nec Dominicæ passionis gloriam agnoscebant, nec intelligebant id, quod sic esse nolebant, quia Magistrum suum impensè diligebant, mortemq; ejus ferebant molestissimè. Ut, si quis per coloratum videat vitrum, omnia quæ aspexerit ejusdem cum vitro videntur coloris: Ita quoniam discipuli spem conceperant de Politico Messiæ regno, omnem ejus sermonem carnaliter exponi optant, nec Cælica attendunt.*

Quo minus manifestum Christi Ser-
1. *Cæcitas naturalis. 1. Cor. 2.*
2. *Educatio prava & falsa interpretatio promissionum de Regno Messiæ.*

3. *Carnales.*

monem intelligerent Apostolis obstitit,

3. Carnales affectiones, quia Cor humanum ambitiosum est, & divitiarum hujus seculi avidũ; nec mysteriorum divinorum capax.

Ergo nec Sancti in hac vita perfecti sunt Psalm. 62. Ideoq; toties exprobravit Christus discipulis incredulitatem & cordis duritiem, Marc. 16. v. 14 quod illis, qui vidissent ipsum suscitatum, non habuissent fidem; nec tamen ipsos condemnavit, Ebr. 2. & 4. sed convertit, confirmavitq;, ut quod antea nec comprehendere nec credere poterant, cum summa auditorum admiratione publicè prædicarent, & morte sua, sic corde, ore & sanguine Christum confitentes, obsignarent. Imò Paulus, quem persequebatur, Act. 9. illum mox apertissimè profiteretur.

III. Quod Jesus Nazarenus Filius David sit promissus Messias mundi Redemtor, de quo testantur Prophetæ & Evangelistæ in V. & N. Testamento: illi quidem tradendum esse Gentibus, Psal. 2. v. 1. alienum fore fratribus suis, & extraneum filijs matris suæ, Psal. 69. v. 9. illudendum, Psal. 22. v. 7. & 8. contumelijs afficiendum & conspuendum, Esa. 50. & 53. flagellandumq; & vulnerandum, trucidandum, Dan. 9. quod in omnibus oblationibus & victimis præmonstratum erat, & quidem cruci affigendum. Num. 21. Psal. 22. Sed resurrecturum. Psal. 16. Hi verò quod hæc omnia verè impleta sint. Act. 3. & 4. v. 27. Idem potentissimus Dei Filius cæco visum reddens, Esa. 35. cujus & in hoc probatur divinitas, quod pro essentiali Divinæ naturæ proprietate futura prævideat, humanitas simul, quod pati velit & mori, seq; Filium hominis h. l. appellat. Et ipse pro summa sua misericordia ac potentia omnium spiritu & fide invocantium miseretur, & nulli opem denegat. Ipse cum habitet in Altissimis, pauperum est refugium, Psal. 9. & 113. Esa. 57. nec apud eum, quod non sit prosopoliptes dignior habetur dives, quàm egenus, sed omnium æqualiter miseretur credentium, si quoq; cum Lazaro quis nudus sit & ager, & dupliciter cum Bartimæo inops.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut *non tantùm subsequenti tempore Quadragesimali, sed totius vitæ nostræ curriculo piè ac salutariter consideremus historiam causasq́, & fructus Passionis Domini nostri JEsu Christi. Et memoria Crucifixi crucifigat in nobis omne vitium, Bernard. Gal. 5. Quotquot enim in Christo sunt, illi crucifigunt carnem suam cum voluptatibus atq́ desideriis: nec propter sua, sed propter nostra delicta tantum sustinuit Christus.*

Afflictus Christus,

1. *Ab Omnibus, Satana scilicet & hominibus, Judæis & Gentibus, amicus & hostibus in omni statu. Pharisæi & Sacerdotes proditum accusarunt. Judas prodidit, reliqui Apostoli fuga arrepta Christum dereliquerunt. Herodes & Pilatus reconciliati ludibrio expositum flagellarunt, & condemnatum in crucem egerunt. Vulgus, etiam illi, quorum mutam lingvam resolverat Christus, acclamarunt: Crucifige. Servi sacerdotum & Pilati captum, ligatumq́ colaphis inflictis conspuerunt. Ancilla Caiphæ rogitando Petrum cribravit, &c.*

2. *In Omnibus, corpore scilicet & anima, & omnibus membris. Esa. 50. 65. Matt. 26.*

3. *Pro Omnibus. 1. Joh. 2. 1. Cor. 5.*

II. Ut *Dominum Jesum etiam revocante nos, reclamante & increpante mundo constanter invocemus, nec à clamandi & orandi officio desistamus, sed illecebras omnes, irritamenta & impedimenta, à Christo abstrahentia, velut Sirenum cantus, surdis auribus prætereamus.*

Impedimenta precationis.

1. *Natura, quæ obijcit*

1. *Ex ratione impossibilitatem, propter mali quo premimur magnitudinem.*

3. *Ex Conscientia particularitatem, propter mali quod commisimus turpitudinem.*

3. *Ex expe-*

3. Ex experientia moram auxilij divini.

II. Mundus, qui nobis salutem invidet, ideoq; de nostra sibi gratulatur afflictione. Psal. 3. & 13. Joh. 16. Vel crudeliter nos persequitur. Dan. 3. & 6.

III. Diabolus cribrator & Leo rugiens, Luc. 22. 1. Pet. 5. qui perdere non cessat.

III. Ut Dominum Jesum relicto pallio absq; mora sequamur, & humili sed gratissimo animo laudes ejus decantemus, quod inter reliqua innumera beneficia, tam corporalia quàm spiritualia, non tantùm oculos hos dederit corporeos, verùm etiam spirituales, quibus nec hic cæcus destituebatur. D. Antonius, quod Palladius annotavit, cum Didymum Alexandrinum cæcum invisisset, & de rebus divinis mirabiliter differentem cum gaudio audivisset, Didymus oculis captus, num hanc crucem agreferret, ab Antonio rogatus, tacendo magis quàm respondendo animi sui mœrorem indicavit. Sed hic cur, inquit, agrefers te his carere oculis, quos formicæ habent, cum eos habeas, qui tibi cum Angelis sunt communes, hoc est, internum divini Spiritus lumen, quo divinæ pulchritudinis speciem contemplamur, & summum bonum agnoscimus. Si cæcus hic tanta celeritate ad percipiendam externam lucis hujus usuram approperavit, ut vestimentum, teste Marco, ipsi grave esset, nos maiori aviditate ad beatam mentis nostræ lucem percipiendam advolemus, nec res ulla à tanto negocio nos remoretur. Sic Joseph pallio maluit, quàm pudicitia carere, & relicta veste ad Deum se convertit.

III.

Trophæum Fidei Triplex.

I. Quod, quoniam omnia consummavit, quæ scripta erant per Prophetas, Filius hominis in die novissimo assumet non tantùm duodecim Apostolos, sed nos omnes, quotquot constanti fide ad normam Verbi ejus vitæ cursum absolvimus, ut cum ipso ascendamus in supernam sanctam Hierosolymam, & à mortuis resuscitati æternâ fruamur

mur, quam merito suo comparavit, felicitate. Tunc nec verbum illud erit absconditum, sed omnes Deum perfectè agnoscemus, spirituali sapientia per Christum donati: nam quotquot carnem hujus victimæ attigimus, Lev. 7. & firma fiducia sanguinem Jesu Christi, quem Hierosolymæ effudit, in centro cordis nostri recondimus, in centro cordis Jehovæ habitabimus, Hilar: unde neq; peccatum, neq; mors, neq; Satan nos rapiant.

II. Quod per fidem nostram salvi erimus, & visum recipiemus integerrimum; quoniam oculi nostri per Satanæ venenum obfuscati, detracta scelerum & mortis pellicula aperientur, ut adducti ad Christum perpetuò Deum glorificemus. In hac vita Lumen naturæ *seu rationis in Spiritualibus cæcutit, nec mysteria divina comprehendit. Si autem* Lumine gratiæ *& Fidei Christum apprehendimus, ut Dominus Jesus propter se ipsum sit nobis* JESUS, *adipsum adducti in* Lumine gloriæ *eum perfectè videbimus & laudabimus perpetuò.*

III. Quod in unico momento per beatum transitum animæ nostræ, & ad tubam angelicam in fine seculi corpora nostra illis conjuncta conspectu Dei fruentur. Sicut enim hic cæcus nec diei lumen, nec Christum prætereuntem populumve videre potuit, antequam beneficio Medici cælestis aperirentur oculi, quo facto illico ex tenebris in lucem traductus, Solem, Mundum & præ omnibus cum gaudio Christum in medio populi contemplatus est, & novæ vitæ, hactenus magis mortuus, quàm vivus cum gaudio posuit initium: Sic animæ nostræ, quæ hic quasi clausis oculis in Deo vivunt, devicta morte subitò lumen cæleste intuebuntur.

Dominica Invocavit.

DE TENTATIONE CHRISTI.

Evangelium Matt. 4. à v. 1. usq; ad v. 12.

Præ-

PRÆFATIO SUPPLEX.

NOn vivit homo pane terreno, sed Verbo Dei, quo recreatur ac sustentatur anima ad vitam æternam. Oremus ergo, ut Deus hunc cœlestem thesaurum inter nos conservet purum & incontaminatum, à Satana & membris ejus. Nosq; qui ejus colligendi causa hodie convenimus, Esurientes cœleste illud Manna, in hujus mundi deserto Spiritu suo sancto dirigat docentes & discentes, & confirmet singulos, ut hoc gladio devincamus Satanam, atq; tandem ministerio Angelorum, qui & ipsi gaudent audire Evangelium, transferamur in sedes beatorum æternas. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Esa. 53. v. 13. Servus meus prudenter aget, exaltabiturq; & elevabitur, sublimisq; erit valde. Non ergo astu Satanæ circumvenietur, sicut Adam & Eva quos ipse adempta illis Fide, & Verbo Dei, & Deo ipso ex cordibus, impulit ut fructu vetito vescerentur; sed ipse pro sapientia sua infinita cum Diabolo congrediens, Fidem, Verbumq; & Deum retinendo vincet hostem, & palmam feret. Quod ita factum esse Textus Evangelij asseverat;

CUJUS EPITOME ET DISPOSITIO METRICA HÆC EST.

DEserta Christum Spiritus
Eduxit almus in loca.
Tentandus ut cum Dæmone
Pugnaret atrociſsimo.
Adortus est mille artifex
Christum Fame, Superbia,
Luxuq;: Fidat ut nihil,
Nimisve, vel vendat Deum.
Sed victus antiquus Draco
Virtute Verbi evanuit,

Et Angelorum grex Sacer
Palmam ferenti inservijt.

TRIPLEX EX TEXTU SALUTIS PHARMACON.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod JEsus Christus à Spiritu Sancto in desertum ductus pro nobis typum impleverit, Levit. 16. v. 21. de hirco vivo emisso in desertum, verus adhæc Homo famem passus & tentatus sit, ut nos in hujus mundi deserto conservet: quod Adam edendo perdidit, dum Mala mali malo mala contulit omnia mundo. *esuriendo reparet, & nos ab æterna fame, Apoc. 7. liberet. Esurijt enim idem, quod in cruce sitivit, scilicet salutem nostram, quia hic cibus ejus, Joh. 4. v. 34 ne fame audiendi verba Jehovæ marcescamus. Amos. 8. v. 11. Insuper ut contra tentatorem jam non victorijs insolentem, sed subactum & prostratum, Joh. 16. bellum gerentibus vires suppetat.*

Hic jam opera danda est, ut contra hostem jam cognitis insidijs feliciùs pugnetur: Quod Diabolus abrenunciatus noster sit ex baptismo hostis, contra quem in aciem collocati sumus. Et quàm primùm quis in Dei filium adoptatus est, mox communis hostis acriùs sævit & vehementius contra ipsum insurgit, cujus rei imago, Apoc. 12. v. 4. depicta legitur; conversos & religiosos maximè persequitur, quod exempla Jobis, Davidis & Pauli, Act. 9. v. 25. luculenter docent, quia esca ejus non est vulgaris, sed delicata. Improbos autem quos sui juris esse intelligit non usq; adeò infectatur.

Impios Satan
1. *Excæcat, ut vitæ suæ turpitudinem non videant, vel aliorum comparatione se sanctos judicent, nec sit qui pœnitentiam agat, dicens, quid feci? Jer. 1.*
2. *Fallaci promissione de longioribus vitæ spatijs*

spem facit, ut in aliud tempus pœnitentiam differant.

3. Divinæ misericordiæ spe decipit, & in malis detinet, proposito latronis exemplo, cujus singularem felicitatem in ruinam innumerabilium convertit.

Quod superbia Diabolo præbeat audaciam, odium ejus in nos acuat sævitiam, dum perditi perdere non cessant, Cyrill. Tot annorum experientia præstet ipsi fiduciam vincendi, quare nec periculum aliquod majus, nec hostis acerbior, nec bellum aliquod durius est, sicut nec res quàm ea, pro qua dimicatur, majoris momenti.

Quod Tentator & tentandi artifex non alio fungatur officio, non alteri curæ aut negocio sit intentus, nec aliud captet lucrũ, quàm ut pervigil nocte dieq; homines tẽtet. Quare nec festis diebus, nec quãdo edimus aut bibimus, aut dormimus miseri mortales, velut nostri artifices & opifices ab opere, cessat, & aliquam tentandi occasionẽ negligit.

Quod Satanas neminem prætermittat, nisi facto in ipsum impetu, quoniam ita contumaciter audax est, ut etiam Christum adortus sit, nec ullam personæ conditionem attendit; attendant ergo Christi ministri sibi ipsis & sobolì suæ.

Quod diligens & imperterritus etiam bis victus non recedat, imò pro animæ nostræ condemnatione se omnia traditurũ promittat.

Quod in hoc spirituali bello, velut in externis, vel furore hominũ, vel regnandi cupiditate, vel necessitate excogitatis, ubi interdum arma conquiescunt, nulla detur requies, nulla intermissio, sed omni tempore & loco, & in omni negocio excubandum sit, & cum infatigabili hoste confligendum.

Quod diligentissimè curet, ut eximem nobis spiritualium armorum, verbi & orationis apparatum eripiat, sicut, 1. Reg. 13. Philistæi caverunt, ne esset fabricator armorum in Israël: unde solus Saul & Jonathan armati inventi sunt.

Quod tentatio sit actio Diaboli, qua ille vel per suggestionem cogitationum & obiectorum, vel per vitiosæ naturæ inclinationes & affectus, vel per res secundas & adversas sollicitat & impellit homi-

nem ad transgressiones, sic ut multi in templo, in lecto & ad mensam spiritualiter ex improviso vulnerentur.

Quod processus ejus hic sit: 1. Cum Angelus lucis & bonus admonitor hominem ad peccata jam dulcia & pro meritis delicijs habenda instigat. 2. Hominem occœcatum indurat, ne, dum in opere est, quid agat intelligat. 3. Facta tandem impia crudeliter exaggerat, & peccatorem ad desperationem compellit, quod ex historijs Evæ, Caini & Judæ evidenter colligitur, & Ammon. 2. Sam. 13.

Sicut Pharao Israëlitas, inquit Bernardus, sic Diabolus Christianos persequitur, nec ab eo nisi per mare mortis Rubrum egressi liberamur, nec ipsi fides habenda, si ijs, quos in sceleribus irretitos tenet, laudanda opera facere permittit. Satagit enim ut in sceleribus securius dormitent, sicut pueri avibus captis fila longa ad pedes nectunt, & avolare aliquousq; sinunt, sed longius evolantes per eadem fila retrahunt. Sic Pharao Exod. 10. v. 10. populo Israëlitico sacrificare permittebat, hac tamen lege, ne longius abirent, nec parvulos suos, aut greges secum ferrent, quo eorum amore adducti in Ægyptum regrederentur.

Sicut Leones Danielem in spelunca, sic nos Dæmones mali in hoc mundo circumdederunt, famelici apertis rictibus, nisi Angeli eos inhibeant, nos devoraturi.

Sicut Pardalis, incenso erga hominem odio, etiam depictas imagines crudeliter lacerat; sic Diabolus, quia contra Deum nihil valet, hominem ad imaginem Dei conditum, sicut canis ferox lapidem ab homine projectum arrodit, truculento odio persequitur.

Sicut Pirata & latrones, teste Chrysost. Homil. 4. in Esa. naves ac viatores, non quidem vacuas & nudos, sed oneratas & thesaurum portantes invadunt: sic Satan omissis peccatoribus securis, pectora cœlestibus divitijs ornata impugnat, & expugnata spoliat.

Sicut, monente eodem Homil. 27. in cap. Matt. 11. Orphanis, quibus ampla cessit hæreditas, futilis farinæ homines se adjungunt, se amicos fore simulant, & honestis tutoribus destitutos dolo circumveniunt;

niunt; sic Satan partam per Christum hæreditatem vi ac fraude nobis adimere laborat, ceu canis puero panem è manibus rapit.

Sicut callidissimus hostis arcis muros explorat, ut ea potissimum parte oppugnationem aggrediatur, qua sentit infirmiora esse præsidia. Et quem in nobis affectum ad vitium aliquod proclivioremvi derit, hunc suggestione sua inflammat, ut sic ex commodiore silicis parte ignem eliciat.

Sicut fur furandi occasiones perscrutatur, & oportunitates captat, atq; consuetudines discutit, ut in scelera pronos agat.

Sicut aucupes dulcè canunt, & varijs escis pro varia earum natura aves illaqueant: ita callidus hostis, subdolus mercator, ut vinum vendibile faciat, hederam suspendit, nec venenum in fronte serpens gerit, sed diversis oblectamentis & irritamētis pro varijs hominum ingenijs ad constringendas animas utitur.

Sicut Lycurgus Lacedæmonijs lege lata consilium dedit, ne tertiò cum eodem hoste confligerent, ne illum assiduitate bellandi pugnare docerent, quod præceptum cum Rex Agesilaus neglexisset & Thebanos crebris bellis provocasset, acerrimos erga Lacones hostes armavit: sic cessat sapius Dæmon à tentatione, ut secura pectora facilius ex inopinato obruat; & sic antiquus hostis sapius viros sanctos, inter quos Davidem, longa pace dejecit. Quia juxta Gregor. multos pejus sua felicitas stravit, & multos diuturna pax inertes reddidit, quos longo pacis usu & belli desuetudine langvescentes sic inopinatos gravius hostis perculit.

Sunt equidem securi homines, qui dicant: nihil ego periculi sentio, nec pugnam, nec vim hostium. Sed respondet D. Chrysost. Incipe resistere desiderijs tuis, & mox intelliges, quàm fortes sint spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Idem: Quod si quis est, qui Diaboli plagas non persentiat, illius morbus ex ea indolentia gravescit; quemcunq; enim plaga una inflicta non mordet, is secundam & tertiam accipit, nec ad extremum usq; spiritum intermittit feriens nefarius ille. Avis in area vel in laqueo escâ reperta oblecta-

ta, ibidem sponte manet, nec vincula sentit, verùm ubi jam satiata avolare nititur, tum demùm stringentis laquei vim agnoscit. Idem judicium, ubi homo resipiscens liberari cupit à laqueis Satanæ. 2. Tim. 2. Qui velut accipiter in aquilonaribus regionibus natus, & propter curtam diei ac lucis portionem stimulante fame perniciissimo volatu prædam invadens, tantò nocendi avidior est, tantoq; in nos vehementius invehitur, quantò brevius ei spacium restat. Matt. 8. Apoc. 12. Et ut breviter dicam, à parvis initijs ad mala maxima, à saxis ad adorationem, à levi lucro & blando aspectu ad summa delicta procedit.

Cum autem arma quæcunq; reputet ut paleam & lignum putridum, Job. 41. v. 18. 20. nec viribus nostris ipsi resistere valeamus, omnino credendum est, quod JEsus Christus superatos hostes hos sub pedibus suis & nostris conculcaverit, Psal. 110. Rom. 16. & superando in tentationibus nostris fecerit infirmiores. Quia victoria Christi nostra est, & totus Christus totius salutis ac redemtionis nostræ author est & singula Christi opera singularia nobis beneficia conferùt. Morte sua mortem nostram superavit. Resurrectione sua vitam nostram reparavit. Rom. 4. Vulneribus suis vulnera nostra sanavit. Vinculis suis vincula nostra dissolvit. Baptismo suo baptismum nostrum sanctificavit. Tentationibus suis Dæmonem tentandi jure aliquodãmodo spoliavit, & tentatis victoriã acquisivit: quoniam ipse, de quo nullo modo dubitandum, Filius Dei est æternus & coessentialis, licèt Satanas hunc de divinitate Christi articulum varijs modis infringere conatus sit, quod non ignoret hanc esse petram, Matt. 16. v. 18. salutis nostræ fundamentum. Joh. 17. v. 3. Hoc itaq; loco egit imperiosè, sed Mat. 8. v. 29. idem humiliter confitetur, nihilominus autem insidiosè Judæos, Joh. 8. v. 53. Matt. 22. v. 42. ut contrarium affirmarent compulit: & furiosè tandem per Caipham, Marc. 14. v. 63 per alios nebulones tam in cruce pendente Christo conviciatus est, Matt. 27. v. 40. si Filius Dei es descende de Cruce.

II. Quod teste Salvatore & Mose, Deut. 8. v. 3. homo non vivat in pane solo, sed Verbo quod egreditur ex ore Jehovæ. Sunt equidem

quidem homines, qui vitam ac felicitatem suam in pane, hoc est, in divitijs & rerum abundantia collocatam existiment. Psal. 144. v. 15. sed ex fortuna secunda vel adversa nescit homo, Eccles. 9. v. 1. an sit odio, an amore dignus.

Non alit in fragili panis modò corpore vitam,
Sermo Dei vitæ tempora longa facit.

Luc. 12. v. 15. neq; enim cum bona cuipiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis, quod ibidem v. 29. & Luc. 16. v. 22. exemplis divitum, & cotidianâ experientia confirmatur. Nec ita Deus ad panem alligatus est, ut neminem nisi in panis abundantia bene fovere possit, sed medio Verbi sui, & benedictione sua vitam ac formam & fortitudinem donat credentibus, lege Dan. 1. v. 12. 15. etiam in panis inopia: cum sine benedictione Domini panis ne famem quidem sedet. Agg. 1. v. 6. Non salvatur Rex in multitudine exercitus, Psal. 33. v. 16. 19. sed oculus Jehovæ super timentes eum, & sperantes in misericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & vivificet eos in fame. Quare non desperandum est, quod Panis deficiat, modò Verbo Dei simus instructi, cujus virtute Israëlitæ 40. annos in deserto miraculosè pasti sunt. Affligit quidem Satan electos in angustiæ & egestate degentes, quasi Deus contra fœdus & promissiones eorum oblitus sit: & per inopiam panis multos cogit ad desperationem. Item multos docet per dolos & injustitiam facere panem de lapidibus. Multorum quoq; Panem quod sorte sua minus contenti sint, vertit in lapides, Prov. 20. ut multa possideant & nihil eis prosit. Sed firmiter credendum est, quod etiam in penuria, si Deus, qui nec proprio Filio pepercit, deducat nos in desertum, Ose. 2. v. 14. ipsius simus filij & filiæ dicentes cum Tobia cap. 4. v. 23: Ne metuas fili quod in paupertatem incidimus, multa tibi suppetunt, si Deum timeas à peccato q; recedas, & quod gratum ei est facias. Hinc ergo Paulus didicit, Phil. 4. & 12. deprimi & abundare, paratus ad saturitatem & esuritionem: & magnum lucrum praedicat αὐτάρκειαν, 1. Tim. 6. v. 6. quæ & volatilium exemplo nobis commendatur, Mat. 6. v. 26. quoniã

Paten

Pater noster cœlestis novit quibus indigeamus. Opus autem est, ut unusquisq; seipsum probet, num sit filius Dei, nec ne, idq; non ex pane, penu & opibus cognoscet, sed ex Manna cœlesti: 1. Si quis diligit, audit & observat Verbum Dei. 2. Si ex eo agnoscit Filium Dei Salvatorem JEsum Christum. 3. Si ex auditu Fidem habet, optatq; quacunq; hora mori & esse cum Christo. Certè non oberit ipsi paupertas, si quoq; Lazaro sit nudior, & Jobe magis afflictus, quia habet Dominum. Psal. 73. v. 25. vivitq; ex verbo ejus. Psal. 119. Atq; hoc uti verissimum est, ita quoq; latissimè patet, non in ijs solùm, quæ ad victum, sed in omnibus, quæ ad vitæ humanæ usum necessaria sunt. Augusti. super Joh. Serm. 19: Deus tibi totus est. Si esuris panis est. Si sitis aqua tibi est. Si in tenebris es lumen tibi est. Si nudus es, immortalitate tibi vestis est.

Si quis vel quæ præmisit filium, matrem, fratrem, maritum, conjugem, spem suum collocet in Dominum, ille defuncti seu præmissi officio longè melius fungetur: & Dominus Jesus facientibus voluntatē Patris sui, Matt. 12. v. 50. frater, pater & mater erit. Quisq; timens Jehovam audiat vocem servi ejus, speret in nomine Jehovæ, & innitatur Deo suo. Esa. 50. v. 10.

III. Quod verè spiritus sint mali & boni, quamvis hoc Sadducæi & Epicurei tam professione, quàm impia vita ac conversatione sua turpiter negent. Malus enim hoc loco cum Christo Monomachiam instituit, boni verò, ceu textus habet, victori Christo humiliter inservierunt, eumq; in finem absoluta dimicatione & profligato Dæmone ad ipsum accesseruut. Quomodo autem hoc factum sit quis explicabit? nisi quod præter dubium adfuerunt Angeli & cum magna admiratione hanc deceptationem audiverint, sicut & Satan visibilis adfuisse creditur, nec fortè adeò deformis, qui in momento ostēdit Christo velut depicta omnia hujus mundi regna, quod mirabili Satanæ artificio factum est. Sed Angeli boni cecinerunt Christo Epinicion, Christum Dominum, seq; ministros ejus humiles confessi sunt, sicut & in conceptione, nativitate, passione, resurrectione & ascensione

ascensione Christi apparuerunt. Voluit autem Satan imminuere gloriam Salvatoris, quasi indigeat Angelorum auxilio, qui major est Angelis, juxta Origen. Et Chysost. inquit: Filius Dei ab Angelis in eorum manibus non portatur, ipse magis portat Angelos.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut, quoniam jejunando sese Christus ad pugnam spiritualem præparavit; & Thelesphorus septimus Episc. Rom. si Irenæo fides habenda est, jeiunium quadragesimale ad veræ pœnitentiæ studium, ad precationem & temperantiam, nec non ad seriam condolentiam & meditationem passionis Christi instituit, sic tamen ut fugiamus abusum à Gregorio septimo, Anno Christi 1075. agglutinatum, piè celebremus: 1. Jeiunium pœnitentiæ, dolendo, credendo & rectius agendo, cujus exempla publica leguntur, 2. Sam. 1. 1. Paral. 10. 2. Paral. 2. Esd. 8. Neh. 9. Esth. 4. Judith. 4. Jon. 3. Jer. 36. Joël. 2. 1. Mac. 3. 2. Mac. 13. privata, 2. Sam. 3. & 12. psal. 35. 69. 109. Neh. 1. Judith. 8. Esth. 14. Tob. 2, &c. Aliàs ceu in Vit. Pat. quidam ex senioribus dicebat, ita ciborum multitudine flammæ vitiorum accenduntur, quemadmodum lignorum magna strues in ignem conjecta ingentem flammam excitat. Et sicut stercoris copia vermium multitudinem gignit; Unde qui pudicitiæ operam navant & cibis se ingurgitant, ijs similes sunt, qui ardentem ignem infuso oleo extingvere conantur. Nam, quod Hieron. ex Galeno citat, quorum vita & ars sagina est, nec vivere diu possunt, nec sani esse, quod animæ nimio sanguine & adipe quasi luto involutæ nihil tenue, nihil cœleste meditari, sed semper de carnalibus eructare & ventris ingluviem cogitare possint, dum oblimat copia sensus. Claudian. 11. Jejunium orationis, 1. Sam. 7. Matt. 17. Marc. 9. Act. 13. 14. quæ seria certè sobrietatē requirit & abstinentiam, ut juxta Cyprian. siccetur vitiorum sentitina, & petulātia marceat, siquidem jeiunio concupiscentiæ langvent, & fugitivæ abeunt voluptates. Contra homo crapula & ebrietate

gravatus ne quidem cum hominibus honestè colloqui potest. Et quando sacerdotes vino indulgent, omnesq; mensæ repletæ sunt vomitu & sordibus, Esa. 28. v. 7. 8. & pastores summo manè surgunt cum ovibus ut inebriativa sectentur, Esa. 5. v. 11. immorantur q; usq; ad crepusculum dum vino æstuent. Et inquiunt Esa. 56. v. 12. venite accipiamus Vinum, & inebriemur Sechar, eritq; sicut hæc dies crastina, vel multò major cum excellentia; Quid faciat Dominus audent cum talia fures? III. Jejunium temperantiæ, frugalitatis & dilectionis, ne corda nostra graventur crapula, Luc. 21. nec æsti inebriemur vino, Eph. 5. sed sobrij simus, 1. Pet. 5. nec ambulemus in commessationibus, Rom. 13. nec desit, quod distribuamus indigentibus. Et sic quod Dæmon callidè molitus est, nos piè porrigamus Domino lapides, id est, saxea corda nostra, ut in panem mutentur Domini cibum, Joh. 4 & ipse auferat Cor lapideum è carne nostra, detq; nobis Cor carneum, cor novum, ut in præceptis ejus ambulemus. Ezech. 36. v. 26.

II. Ut ambulemus in vijs vocationis nostræ, Psal. 91. nec tentemus Dominum Deum nostrum, Deut. 6. stimulante superbia quicquam temere præsumendo, illorum more, quia vel in vitio Deo magni fieri volunt, & pennis Icarijs evolare student, atq; extra vocationē evagantur, contra admonitionem Syrac: cap. 3. v. 22. 25. difficiliora quàm quibus par sis inconsideratè ne quæras: Quæ tē, quæ tuas superant vires ne stultè exquiras; Quæ tibi mandata sunt à Deo, ea sanctè meditare, &c. Ne propter philautiam & ambitionem cum superbientibus Angelis & cum Chore ejusq; consortibus, Num. 16. in abyssum descendamus; & cornua appetentes etiam auribus privemur. Sed exemplo Salvatoris depromtis ex spirituali pharetra sagittis contra hostes nostros fortes, potentes & astutos, qui cum non sit nobis colluctatio adversus carnem ex alto facilius ludunt, Eph. 6. militemus. Sacra enim lectio illuminat intellectum, inflammat affectum, pascit animam, oblectat mentem, fugat vitia, virtutes nutrit, contemtum mundi ingerit, detegit laqueos Diaboli, armaq; cō-

tra

ra illius præstat nequitiam. Estq; lux in semitis nostris, psal. 119. ne Princeps tenebrarum in obscuro Leam pro Rachele, Gen. 29. v. 23. id est, deformia & mala pro honestis & bonis nobis obtrudat, & veritas, ne Pater mendacij fraude doloq; à via recta nos seducat. Gen. 3. Hoc ergo baculo, psal. 23. v. 4, hoc clypeo, Prov. 30. v. 5. hoc gladio utring; acuto, Ebr. 4. v. 12. in nomine Dei, Psal. 118. v. 12. Satanam confringamus & spiritualem armaturam, Eph. 6. v. 11. 17. in atrijs domus Domini induamus, ut contra tonitru desperationis aneam nobis loricam, thoraca & murum nobis præbeant suavissima dicta: Ezech. 33. v. 11. Joh. 1, 1. Joh. 1. & exempla receptorum in gratiam Adami, Davidis, Manassis, Publicani, Petri, Pauli, &c. & insigniora Patrum dicta. Testatur enim Chrysost. in Gen. Homil. 19. nullum scelus adeò magnum esse, quod gratia Dei non exuberet, modò in tempore agamus pœnitentiam, quod cùm peccata nostra finita sint, Dei gratia sit infinita. Ambros. lib. 1. de pœnitentia cap. 5. Si Judas egisset pœnitentiam, receptus esset in gratiam. Bernard. Peccavi peccatum grande, non perturbabor, sed vulnerum Christi recordabor. Contra tela avaritiæ datur nobis Clypeus, Zoph. 1. v. 18. Luc. 12. 1. Tim. 6. Ne Diabolus nos à templo retrahat, hoc malleo eum feriamus. Joh. 8. v. 47. Joh. 14. Rom. 1. Contra luxum, scortationem, furtum, ebrietatem, aliaq; delicta, ensis anceps & acutissimus offertur. 1. Cor. 6. v. 10. Sic obtinebimus unam victoriam post aliam. Psal. 84.

III. Ut in principio tentationum hostem subigamus antequã mentis nostræ arcem occupet, & resistamus Diabolo, Jac. 4. v. 7. & malas ejus suggestiones magno animi motu & alacri celeritate velut gehennæ scintillas excutiamus, parvulosq; ad petram allidamus, Psal. 137. v. 9. ne aves supervolitantes in capillis nostris nidum struant. Nova ædificia humorem adhuc retinentia minimo negocio diruuntur. Planta recens & novella levi impulsu ex terra excutitur. Et lucerna recens extincta levi flatu accenditur. Avis autem in terram se demittens facilè globo transfigitur aut visco capitur. Quo

impura cogitatio diutius intra nos moratur, hoc altius radices agit, & quasi glutino menti affigitur. Ex turpi semine mala germina pullulant, & summam afferunt molestiam, quæ antea erant voluptati. Sic dulcis refricatio, ubi jam prurigo conquievit, dolor est vulneris. Et temulenti jactantia ubi vini æstus deferbuit, pudorem affert. Irati quoq; furor sedata bilis & inexplebilis, avaritia in die furoris Jehovæ, Ezech. 7. v. 10. seram nimis excitabit contritionem. Depulsa itaq; Voluptatis illecebra soli Deo serviamus, nec ventris amore propter divitias à Deo deficiamus. 1. Sam. 14. Jer. 44. 1. Maccab. 1. ne tandem hæredibus nostris bene sit, nos autem malè agamus & patiamur.

III.

Victoria Fidei Triplex.

I. Quod Spiritus Sanctus nos ducat, Rom. 8. v. 14. in via recta, & filios Dei in hujus mundi eremo contra Satanam potenter defendat, atq; ex mũdi hujus deserto in Sanctam civitatẽ cœlestẽ, in veram patriam reducat; & in excelsum montem, ut perpetuò contemplemur gloriam Jehovæ, transferat, ubi cœlestes divitiæ dabuntur nobis, qui Deum ipsi soli servientes adoravimus, Deut 6. v. 13. & reddentur nobis Paradisi delitiæ.

II. Quod Deus mandaverit Angelis suis de nobis, ut in vijs nostris nos quasi manibus gestatos custodiant, Psalm. 91. v. 12. & pro nobis atq; circa nos excubias agentes militent, Psal. 34. quamvis hoc invisibiter expediant. Si liceret corpore hoc exuto, aut una etiam cum ipso corpore universam eorum aciem, & bellum pro nobis instructum contueri, videremus certè eos gregatim pro nobis etiam somno sepultis vigilare, pueros nostros ab aqua & igne defendere, Diabolos à stabulis & pecoribus arcere, videremus quoq; passim ab altera parte non sanguinis torrentes, nec corpora demortua, sed animarum lapsus & vulnera gravissima, quæ sancti Angeli suo ministerio à fidelibus Christi avertunt. Referantur huc historiæ: Lothi, Gen.

Gen. 19. ubi cœlestes hi ministri bini visibiles virum justum defendunt, atq; Sodomâ educunt. Elisæi, 2. Reg. 6. v. 17. ubi apertis oculis puer Prophetæ vidit montes plenos equis, & currum igneum in circuitu Elisæi, & hic exercitus teste ipso Propheta etiam antea cum ipso invisibilis erat. Danielis 10. v. 13. Princeps Regni Persarũ, aulicus Satan stetit contra Angelum Jehovæ viginti & uno diebus, & Michael, ut victor evaderet, ipsi auxiliatus est. 2. Mac. 3. v. 25. Angeli Ecclesiastici visibiliter pro thesauris templi contra Heliodorũ militant. In novo Testamento, Luc 2. v. 13. pastoribus apparuit multitudo exercituum cœlestium, audiveruntq; eorum concionem & Psalmodiam, non quidem rapti per nubes, sed apertis oculis & auribus, quod antea etiam adfuerint ipsis Angeli Deum laudantes, quãvis id, utpote adhuc carne vestiti, sine peculiari revelatione oculis & auribus percipere non potuerint. Act. 5. v. 20. Angelus Domini liberat Apostolos, Act. 12. v. 7. Petrum ex carcere. Et Act. 27. v. 23. Angelus Dei, qui Paulum comitabatur, ipsi auxilium divinum in naufragio denunciat. Sic ergo in circuito nostri castrametantur.

III. *Quod tandem devictis hostibus, peccato, morte & Satana Angeli sancti inservient nobis deducendo animas non quidem per longum intervallum, sed in regnum Dei; & colligendo exuviæ, Mat. 13. v. 49. coram Deo, ubi non erit lassitudo jeiunij, nec ulla tentatio inimici. Bernard. Medit. de votis. cap. 16. Sicut Homo dormiens in domo nuptiali inter saltandum de scamno excitatur, & subitò arrepta manu cum reliquis Sponsum in chorea sequitur: Ita ubi mortis somnus hæc membra invadit, evigilans anima, positis caducis, arreptis Angelorum manibus, choro & choreis cœlestibus adjungitur, ut cum Christo sponso tripudiet, atq; jubilet. Tunc denig; intelligemus, quales sint essentiæ spirituales Angeli boni, qui varijs quidẽ modis pro captu mortalium se manifestarunt, Gen. 19. in forma hominum. Tob. 5. v. 5. Juvenis splendidus præcinctus & paratus ad ambulandum. Dan. 10. v. 6. Lineis vestibus indutus, sed instar ignis & fulguris micans. Magis stella est. In nativitate Christi corruscat.*

In resurrectione Christi juvenes sunt. Psal. 104. Ignis scintillans. Dan. 9. v. 21. Gabriel advolasse dicitur; & tribuuntur ipsi alæ, non quod ejusmodi membra habeant Angeli, sed pro ingenij nostri modulo hæc dicuntur, demonstraturq; incredibilis celeritas, qua nobis auxilium ferunt, & quasi fulgur è Cœlo missum, sua pernicitate ad nos volant: nec ullum tam subitum est periculum, quin Angeli jussu Dei festinantes celeritate sua expeditissima id antevertant. Sed nec Diaboli utpote spiritus carnem & ossa habent, teste Christo, Luc. 24. v. 39. quamvis varijs modis apparuerit Satan & transformetur in Angelum lucis. 2. Cor. 11. v. 14. Sed turpissimi & abominabiles facti sunt per lapsum, sic ut homo hîc potius centum annis torqueatur, quàm semel Diabolum qualis ipse est intueatur. Utinam hoc illi considerent, quibus æternum erit cum malis spiritibus commercium sub pedibus eorum conculcandi. Angelos autem bonos contemplari quis non exoptet? Cum si quem ignotum amore ac favore nos prosequi, & res nostras verbis ac factis promovere, filijs & amicis nostris benefacere intelligamus, eundem videre, & grato animo beneficentiam prædicare maximè in votis habeamus.

Dominica Reminiscere.

DE AMICA DISPUTATIONE CHRISTI CUM MATRE CANANÆA.

Evangelium Matt. 15. à v. 21. usq; ad v. 19.

Præfatio Supplex.

Summum misericordis Dei donum, & vera divitiarum profunditas est, quod Jesus Christus etiam infinibus nostris ad Septentrionē apparuerit, ut nobis justitiam ac salutem conferat. Salvari autem non possumus, nisi credamus, nec credere, nisi audiamus,

mus, Rom.10. nec audire, nisi instituatur Concio; quare & in hoc eluceſcit immenſa Dei bonitas, quod nobis Verbum ſuum ejuſq; præcones largitus ſit. Siquidem & illud docendi diſcendiq; cauſa hodie convenimus. Sed ne labor noſter vanus ſit, Deum Patrem, ut nos ad Chriſtum trahat, Joh. 6. noſq; Spiritus Sancti gratia impleat, in nomine Jeſu orabimus, ut ſit Fides noſtra magna, fiatq; nobis ſicut volumus. Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

Pſal.45.v 13. prædictum eſt: Et filiæ Tyri cum munere vultum tuum deprecabuntur. Cum Rex Hiram, 2. Paral. 2. ex iſtis locis Salomoni ligna & alia neceſſaria ad templi ædificationem communicaverit, etiam David providit, quod filiæ de Tyro & Sidone Chriſto Meſſiæ ſua dona allaturæ ſint. Quod autem mulier Cananæa Syrophaniſſa ex illis finibus juxta Moſis doctrinam, Deut.16. vacuis manibus Chriſtum non acceſſerit, verùm ipſi triplex munuſculum obtulerit, ſcilicet: I. *Spiritum contritum & anxium pectus. Pſal. 51.* II. *Fidem veram & firmam cordis fiduciam. Jer.5.* III. *Humilem, ſeriam & conſtantem invocationem, Pſal. 50. ex hac hiſtoria cognoſcere licet.*

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

IN Ethnicorum finibus
Torquente gnatam Dæmone,
Mater gemit, clamat, rogat,
Ut Chriſtus hoſtem conterat.
Chriſtus tacet, mox objicit
Ipſi Genus, mox Crimina,
Opem ſed ipſa poſtulat
Conſtanter invicta fide.
Hanc ergo Chriſtus prædicat,
Hæc obtinet victoriam,

Hæc

Hæc quod rogatur impetrat.
Sanatur ægra filia.

UT ÆTERNAM SALUTEM CONSEQUAMUR TRIBUS MODIS HIC TEXTUS PRODEST.

I.

Ad Confirmandam Fidem in Tribus.

I. Quod, cum judicium incipiat à domo Domini, licèt refugiat mundus & à cruce exemptus esse velit; Crux tamen & afflictio hominibus sit utilissima, & omnia pijs in bonum cooperentur. Rom. 8. v. 28. Tam bonus est Deus, ut nunquam permitteret malum, nisi inde quæreret elicere aliquid boni. August. Quæsivit equidem Satan hac obsessione interitum matris & filiæ hujus per violentam exagitationem, illius per mærorem anxium, sed hac ratione monstratur illis via ad Christum, & illuminantur ad vitam æternam. Cum aliàs hunc JEsum à Nazareth forsan neglexissent, quia sani non indigent medico, sed esurientes implevit bonis. Luc. 1. Sic ergo tribulatio docet Verbum Dei recipere, & in angustia quæritur Deus. Esa. 26. v. 16. 17. Implet faciē eorū ignominia & quærent nomen Jehovæ. Psal. 83. v. 17. Tentatio confirmat Fidem, Jac. 1. adfert patientiam, experientiam & spem, Rom. 5. v. 4. quæ non pudefit. Ubi enim crux, ibi lux, ubi tentatio, ibi oratio. Gregor. in Reg. Deus in hac vita electis suis non promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, ut medicinæ more per amarum poculū ad dulcedinem æterna salutis redeant. Sic ergo Deus, qui est ipsa Bonitas, Esa. 28. v. 21. extraneum opus facit, ut operetur operationem suam, id est, ut nobis benefaciat & salutem largiatur. 1. Cor. 11. Ne cum mundo condemnemur, v. 32. Ose. 6. v. 1. sed revertamur ad Jehovam qui percussit, ut alliget & sanet nos. Necessitas est optimus magister orare docens, & veluti follis focum fidei excitat. Aliàs oratio sine malis est velut avis sine alis, quæ pro sua quidem natura volare desiderat, sed per aëra non fertur. Felix qui hoc expertus didicit. Hinc David, psal.

119 pro

tio. propaterna castigatione Deo gratias agit qua se humiliatum fatetur, & eruditum, quia Deus neminem affligit ex corde suo. Thren. 3. v. 33. O felix calamitas quæ ducit nos ad meliora! O salutaris afflictio, quæ convertit nos in viam salutis, dum mala quæ nos premunt ad Deum ire compellunt. Ut vespertinum luctum abigat matutinum gaudium, Psal. 30. credamus hoc & lætemur afflicti.

II. Quod ponderatis priscorum seculorum exemplis neme pudore affectus sit, qui suam in Domino fixit fiduciã, Syr. 2. v. 11. sive sit de ovibus Israëlis sive de catellis Ethnicis, senex aut juvenis, mas aut fœmina. 1. Pet. 2. Quicunq; nomẽ Domini invocaverit salvus erit Joël 2. v. 32. Exẽpla de Israëlitis Moses, Josua, Elias, Judith, Esther, Susanna. De Ethnicis Cẽturio, Regulus, Cornelius, Act. 10 hac Cananæa, &c. Nã oculus Jehova super timentes eum, & sperantes in misericordia ejus. Psal. 33. v. 18. 19. Iste pauper clamavit & Jehovah exaudivit, & ex omnibus angustijs ejus liberavit eum. Psal. 34. v. 7. Dives in omnes à quibus invocatur idem Dominus omnium, Rom. 10. 12. nec est distinctio vel Judæi vel Græci, largitur ultra & supra quàm petimus, vel mente concipimus, Eph. 3. v. 20. imò thesaurum cœlestem aperit ubi micas oramus. Ambros. super Luc. lib. 6. Uberior est Dei gratia, quàm precatio; semper enim plus tribuit Dominus, quàm rogatur. Latro rogabat ut memor sui esset Dominus, cum veniret in Regnum suum, Dominus autem ait: hodie mecum eris in Paradiso. Credendum ergo:

1. Quod Christus semper promtissimus sit ad exaudiendum & ferendum opem; sic Matt. 8. sponte offert se ingressurum in domum Centurionis. Sic sanat leprosos, Luc. 17. & offert salutem paralytico. Joh. 5. Sicut Sol oriens ubiq; tenebras pellit, & quoq; in abdita terræ viscera illabitur. Sicut pluvia quamcunq; terram humectat. Sicut pia mater ubera lacte distenta semper evacuari optat, & si proprius infans, vel absens, vel ager, non sufficit, ea etiam alijs porrigit. Sic enim hoc loco viscera divinæ misericordiæ non contenta angustijs Judææ finibus bonitatem declarare, ad barbaras etiam nationes illam exportant.

2. Quod Deus etiamsi non videatur, nobis orantibus præsens sit, Deut. 4. v. 7. Psal. 91. v. 15. Psal. 145. v. 18. non ergo aërem ferimus, aut in ventum verba jactamus, sed lachrymas & desideria nostra contemplatur Dominus. Psal. 56. v. 9. August. supra Psal. 126: Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur totus pars est, quia ubiq; est.

3. Quod opulentia Dei nullis largitionibus minuatur & nullis muneribus evacuetur, nec larga distributione quid apud Deum, sicut apud homines, decrescat. Est velut abyssus maris. Quodcunq; ergo Deus omnibus mortalibus largitur, perinde est, ac si quis stans ad mare profundum sitienti guttulam porrigat.

4. Quod, cùm homines importunis egentium, etiam propriæ sobolis precibus fatigentur, vel propter inopiam suam, vel propter corruptæ naturæ malitiam tædio affecti, Deus assiduis nostris precibus magnopere delectetur. Dicuntur itaq; preces justorum, Apoc. 5. suffimenta fragrantia, quæ odore suo cœli atria penetrant, & ipse Deus preces nostras exigit. Cant. 1. sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis. Hieron. contra Pelag. Deus semper largitur, semper donator est: Non mihi sufficit quod semel dedit, nisi semper det. Peto ut accipiam, & cum accepero rursus peto, avarus sum ad accipienda Dei beneficia, nec ille deficit in dando ipse, nec ego satior in accipiendo, quantò plus bibo, tantò plus sitio.

5. Quod divinæ voluntati non desit locuples facultas. Cum enim homo rei familiaris indigens & filiorum copia abundans omnium necessitatibus providere non possit, Deo, ut omnium misereatur, & omnibus manum suam aperiat, est & superest, & nunquã deest.

6. Cum assiduæ petitionis nostræ duæ sint præcipuæ causæ: Altera miseriæ nostræ magnitudo, quæ nos orare compellit: Altera divinæ misericordiæ amplitudo, quæ nos bene sperare jubet, usq; adeò summa Bonitas de hominibus bene mereri gaudet, ut vehementius cupiat bene facere, quàm nos appetimus nobis subveniri: nec ipsi quis quicquam prior dedit. Rom. 11. Ex abundantia hujus misericordiæ

quod

quod angusta pectora nostra nullo modo capiunt jam instante luctu mortis oravit Filius Dei, Joh. 17. v. 20. non tantùm pro Apostolis, sed etiam pro ijs qui crediturí sunt per sermonem eorum, v. 23. ut dilectione, qua illũ dilexit Pater æternus, etiam diligat Christianos. O amorẽ ineffabilẽ & inæstimabilẽ! Vult Christus ut Pater æternus, Dominus cœli & terræ, ita diligat latronẽ in cruce, peccatricẽ ad pedes Christi provolutam, publicanũ pœnitentem, Luc. 18. meq; grandem & miserũ, & omnes peccatores contritos & credẽtes; sicut diligit ipsum, Psal. 2. Matt. 3. 17. qui est imago Patris substantialis & splẽdor gloriæ ejus. Non itaq; nos deseret, si quoq; tota rerũ natura videatur cõtra nos pugnare.

III. Quod Dominus JEsus potentissimus vel unico verbo Satanam abigat, ejusq; membra & ministros mala consilia volutantes derideat, Psal. 2. quia Christi est Regnum & potentia & gloria. Sic hoc loco dicendo: Fiat, ad nutum Christi Satan, sicut Matt. 8. tota legio cogitur se subducere. Capilli etiam capitis nostri numerati sunt, Matt. 10. v. 30. nec cadit pilus de coma nostra in terram, sine permissione divina, 2. Sam 14. v. 11.

Cur Deus Diabolo permittat ut tyrannidem suam exerceat:

I. Ad significandum iram suam adversus peccata, Syr. 5. v. 7. ut sit purus dum judicat, Psal. 51. v. 6. August. Diabolus non habet potestatem cogendi sed persuadẽdendi: Non enim cogit invitum, in tua potestate est consentire, & non consentire. Bias Athenienſium judex ubi quem ad mortis supplicium condemnavit, à lachrymis nõ abstinuit, dixitq; se naturæ tribuere τὸ συμπαθὲς, legibus autem Calculum.

II. Ad probandum pios, ut tentati erudiantur, & excitetur in ijs vigilantia ἀκριβῶς ambulandi, ne rubigo arma consumat, August. & Amyclas silentium perdat.

III. Ad confundendum Satanam, sicut David puer 18. annorum Goliathum, 1. Sam. 17. & fœmina Abimelechum, Jud. 9. percussit. Et Cananæa mulier Fide, quæ vincit mundum, 1. Joh. 5. & mundi principem, Eph. 5.

* Satanam profligavit, impetrato potentissimo Christi auxilio. Durat q; memoria hujus mulieris cum e contra multæ florentes & augustæ Reginæ in perpetua sint oblivione.

II.

Ad producendum Fidei fructum Triplicem.

I. Ut in omnibus afflictionibus vera fide ac humili oratione ad Deum solum confugiamus. 2. Paral. 20. Psal. 50. Matt. 11. Cum enim oratio exhibeat nobis armaturam ad omne genus pugnæ spiritualis expeditissimam. Eph. 6. Et sanctorum deprecatio juxta Theodoret. commune sit omnium morborum remedium, & medicamentum, duabus præcipuè similitudinibus nobis eam filius Dei commendat; Luc. 11. v. 5. de amico austero, & Luc. 18. v. 2. de iniquo judice. Nec unquam remittenda est oratio, quoniam in extrema necessitate vagamur propter tyrannidem Satanæ: quia hoc seculo descendit Satan plenus iræ magnæ. Apoc. 12. v. 12. Totaq; vita nostra tentatio & militia est super terram, ubi in medio hostium versamur. Hinc premitur Ecclesia, ut in tantis errorum cumulis vix triticum à paleis dignoscatur. Furit magistratus pacemq; & pietatem posthabet. Olim pij Imperatores Constantinus, Carolus Magnus, &c. propter religionem propagandam bella cruenta gesserunt, jam verò propter religionem Christiano sanguini non parcitur. Dolet œconomia, victus agrè quæritur, degenerat soboles, nec modò in domibus, sed in cordibus Satan tumultuatur. Si nobis bene est, conditio Pastorum, dominorum, conjugis, sobolis orationem deposcit. Nec si quis hactenus in portu navigavit, ideo superbiat; quod enim nos aut filiæ nostræ à Diabolo non vexemur, soli misericordiæ divinæ, nec dignitati nostræ dandum est. Esa. 1. v. 9. Nisi Jehovah reliquisset nos superstites, facti essemus sicut Sodoma. Thren. 3. v. 22. Misericordiæ Domini quod non consumti sumus. Paulus 1. Cor. 15. v. 10. Gratia Dei sum, id quod sum. Ergo quoniam homines sumus, à quibus nihil humani alienū est, siquidem

dem cuivis contingere potest, quod cuiquam contigit, semper oremus: Ne inducas nos in tentationem, oremus, inquam, indefatigati, Luc. 18. & seriò oremus alij pro alijs, Jac. 5. v. 16. & certemus nostris pro nobis invicem apud Deum orationibus, Rom. 15. v. 30. levantes animam ad Dominum, Psal. 25. & oculos ad montes unde venit auxilium nostrum. Psal. 121. v. 1. Ne autem orando quis aberret, sed Deum verum, ad quem unicè dirigenda est oratio nostra, & Dominum Jesum juxta utramq; naturam in spiritu & veritate, Joh. 4. adoret, exemplo hujus fœminæ, cui feliciter successit, Orandum est:

1. Paucis & ponderosis verbis, ne hypocritarum more labijs tantùm ad Deum accedatur, Matt. 6. v. 7. cui loquacitas ingrata est, Sic ergo Moses, Exod. 14. v. 15. ad Deum gemendo exauditus est, & mare precibus fecit pervium. Et ipse Christus eadem in agone verba breviter repetivit.

2. Singulari, quod docet particula Ah, animi motu, ut, quod mysticè suo exemplo hæc pia mulier docet, à finibus & contubernio impiorum egrediamur, peccata & eorum causas rescindamus, Esa. 1. 59. Prov. 4. 5. in die angustiæ quaramus Dominum, Psal. 77. de profundis clamantes, Psal. 130. ut respiciat nos, quia pauperes sumus, & angustiæ cordis nostri dilatatæ. Psal. 25. v. 17.

3. Vera fide, Jac. 1. v. 6. ne dubitantes ceu à fluctibus jactemur, sed credamus Jesum esse Dominum, Psal. 8. cui data est omnis potestas, Matt. 28. cujus dextra excelsa omnia mutat, Psal 77. 11. Eph. 3. pluraq; dat, quàm intelligimus. Credamus eundem esse filium Davidis Immanuelem & advocatum nostrum, 1. Joh. 2. qui carnẽ suam non oderit, Eph. 5. sed promtissimus sit ad ferendum opem, & sapientissimus conditionis nostræ scrutator. Rom 8. v. 26.

4. Super misericordiam Domini & miserationes ejus copiosas Dan. 9. exstruenda est oratio nostra, Psal. 6. 25. 51. & hinc apparet summa felicitas nostra, quod cum subditis liberum non sit quovis tẽpore magistratum, qui terra & pulvis est, Syr. 10. 40. Psal. 146. adire, nobis liceat semper & ubiq; Deum alloqui, inprimis, quia Domi-

nus JEsus pro nobis circumdatus infirmitate, Ebr. 5. v. 2. & per omnia tentatus, pauper, afflictus, esuriens, contemtus, agonizans nobis didicit compati.

5. Exprimenda est necessitas & Deo aperienda causa nostra, certi quid petendo, ne oremus contra voluntatem ejus, 1. Joh. ult. quod fecerunt Johannes & Jacobus, Luc. 9. & mater ipsorum. Matt. 20. Consurge, inquit Jerem. Thren. 2. nocte & effunde sicut aquam cor tuum ante Dominum, hoc est, quicquid in penetralibus animæ tuæ latet, quicquid urget ante Dominum profer, & omnem curam tuam in illum projice. O Domine peccavimus, ægra est uxor, languida proles, benedic tu victui, abeat hyems, procedat agricultura, laxentur retia in nomine tuo, &c. Sic olim Rex Ezechias literas Regis Assyriorum Sanheribi minarum & blasphemiæ plenas in templo coram Domino expandit: & conjunx altero ægrotante infantes coram Deo collocet, & summa fiducia ad ipsum confugiat. Sic mendici literas & vulnera monstrant.

6. Præterita Dei beneficia in nos collata spem nostram alant, ne diffidamus de misericordia ejus, quem toties in vita misericordem experti sumus, qui nobis ab utero eductis toties manum paternam porrexit. Sic Exod. 17. populo contra Amalech pugnante, Moses virgam Dei, qua tot in Ægypto, & ad mare miracula ediderat, manu tenuit, ut conspecta virga, & ponderata Virtute Dei spes populi augeretur ne dicam quod virga illa crucem Christi designaverit, cujus merito omnes orationes nostræ fulciendæ sunt.

II. Ut constanti animi fiducia, & firma spe auxilium divinũ patienter expectemus; nec si ilico non exaudimur, mox ab oratione desistamus, sicut Saul, 1. Sam. 14. v. 19. cum Dominus responsum distulisset, sacerdoti ait: recollige manum tuam; nec quod turpius est, ad prohibita nos præsidia conferamus, quod idem Saul fecit, 1. Sam. 28. sed postulemus fide nihil hæsitantes. Jac. 1. Stemus, Exod. 14. viriliter agamus, Psal. 31. in silentio & spe. Esa. 30. v. 15. Sic fidus noster tabellarius responsum habebit tempore opportuno, Syr. 35. v. 21. nec cõfundetur

fundetur expectans Dominum, Psal. 25. nec pudefient, qui quærũt faciem Dei, Psal. 34. quia benignus Deus etsi moram trahat, Abac. 2. tamen non abnegabit semetipsum, sed tarditatem auxilij donorum magnitudine compensabit. Jac. 5. Psal. 130. Sicut enim fluminis aqua, vel rivulus ne fluat aliquandiu impediatur, remote objectu deinceps majori impetu fertur: sic post longas preces nobiliora Deus dona confert. Nec vult citò dare, ut discamus ardentius orare, August. Si aliquando Dominus tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinẽtur, citò autem data vilescunt. Idem de creatione. Si itaq; in mœrore, morbis & inopia differtur auxilium Dei & mala insuper ingravescunt, nequaquam à Deo deficiamus ad media illicita, nec desperemus, quia probat Josephus fratres suos. Gen. 45. Fons misericordiæ, Logos patrius sapientia Dei certè miserebitur & respondebit. Si interim in depravata natura fluctuationes de electione excitentur, num simus in numero exaudiendorum, forti animo statuamus, quod Christus pro toto mundo mortuus sit. Gen. 22. Joh. 3. v. 16. 1. Joh. 4. v. 9. Adhæc quod à sancta Trinitate per Baptismũ in gratiam recepti & vocati simus. Rom. 8. v. 30. Deut. 10. v. 17. Nec Deus sit prosopoliptes, Act. 10. v. 34. sed omnium credentium salute gaudens. Joh. 3. Ezech. 33. Matt. 11. &c. Si deniq; peccatum evigilans nos excruciat, magistro Spiritu Sancto didicimus, Christum venisse ad peccatores, Matt. 9. 18. & pro ijs mortuum esse, Rom. 8. 1. Tim. 1. quod exempla receptorum in gratiam passim testantur plurima. Quin ipse docuit nos Matt. 6. orare remissionẽ peccatorum, nec mandasset eam petere, nisi dare vellet. August. lib. Medit. O bone Domine si ego admisi unde me damnare potes, tu non amisisti, unde me salvare soles. Instandum autem est orãdo, quia &

Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo.

Nec magna arbor uno ictu prosternitur. De arbore vitæ supra p. 110.

Si quoq; fors primo fructum non percipis ictu,
Perfer & urge, insta, crede, beatus eris.

Sed orandus Deus est, ut per Spiritum sanctum largiatur nobis Fidei robur

robur quia ipse duplicem nobis exhibet misericordiam; alteram cùm postulata concedit; alteram cum facit ipse ut perseveranter postulemus. Sintq; præceptores nostri infantes, Marc. 10. v. 15. qui vagitu & lachrymis se matribus insinuant. Item agricolæ, Jac. 5. v. 7. August. super Johan. Tract. 72. Ubi oramus imitemur agricolas, & semper projiciamus orationem nostram sicut frumentum, nec defatigemur, veniet certè tempus messis, ut colligamus quod seminavimus, & impetremus, quod oravimus. Quid non medici, naufragi & fœneratores, ut rebus suis consulant, præstolantur. Si exemplis hunc fidei fructũ illustrare voluerũ, sancti certè quàm plurimi hos tentationum aculeos in precationibus suis senserunt; inter quos Abraham tentatus est de promissa terra Canaan, de Semine dando ex effœta, & de mactando filio, Gen. 22. Jacob redux ex Mesopotamia, Gen. 32. cum Angelo fœderis luctatur, & Ose. 12. v. 4. flendo & orando prævaluit. Josephus Anno ætatis 17. venditus, 13. annis auxilium divinum expectavit. Et David ad decennium Saulis odio pressus in Psalm. passim clamat, Psal. 13: Domine quàm diu, &c. Psal. 27. ne absconde faciem. Psal. 77. oblitus ne est Dominus misericordiæ suæ? Sic Job afflictus queritur, cap. 7. desperavi, nec jam ultra vivam, cap. 19. tanquã arbori evulsæ abstulit spẽ meã, cap. 30. si clamo non respondes, &c. Jer. Thrẽ. 3. calicem hujus tentationis bibit, oratq; cap. 17. v. 17. ne sis mihi formidini spes mea tu in die mala. Insigne exemplũ constantis in necessitate invocationis legitur Judic. 10. v. 10. 15. Beatus autẽ vir, Jac. 1. v. 12. beata mulier, & quicũq; tolerat tẽtationẽ, quoniã quũ probatus erit, accipiet coronã vitæ; Nec Sol justitiæ, Mal. 4. licèt modicũ se abscondat, radios misericordiæ suæ unquã amittet.

III. Ut canes mansueti, vigilantes & pœnitentes Tria præstemus: 1. Diligenter vigilemus & latremus pro Domino, nec muti dormitemus, ubi irrumpunt hostes crucis Christi, Esa. 56. v. 10. nec hypocrita turpes & avari redeamus ad vomitum. Prov. 26. 2. Ubi lautiùs tractamur, ibi commorari sit voluptas nostra, scilicet sub mẽsa Domini, Psal. 23. in qua panis vitæ, Joh. 6. ut colligamus fragmẽta mi-

ta misericordiæ divinæ; & Verbum Dei habitet in nobis largè cum omni sapientia. Col. 3. v. 16. 3. Si propter delicta percussi fuerimus à Domino haud deseramus domum & mensam ejus, sed pœnitentes & supplices revertamur ad Dominum, quodq; canes lingua sua medica præstant, nos beneficentia ac liberalitate Lazari lingamus ulcera. Luc. 16.

III.

Ad Ponderandum Finem & Triumphum Fidei Triplicem.

1 Quod, cùm hic ubiq; locorum Satanas nos infestet, & in omni negocio, in omni fortuna insidiæ ab ipso timendæ sint; nec enim somnum oculis capit, nec ullam personæ conditionem respicit, sive probi, digni & divites simus, seu fortuna utamur adversa, in cibo, in potu, in colloquio, & omnibus rebus pro vallis excubandum & vigilandū est, salvati per fidem in Jesum Christum ab impetu & tyrannide Satanæ in æternum planè erimus liberi, ut canamus ex Psal. 124. v. 6. 7. Benedictus Jehova, qui non dedit nos prædam dentibus eorum; Anima nostra sicut avis evasit de laqueo aucupum, laqueus contritus est & nos evasimus. Si illi, qui finito bello cruento illæsi de pugna revertuntur, se felices reputant; & quis unquam allato nuncio, quod infensus & potentissimus hostis ad internecionem extinctus sit, gavisus est: Quantum futurum sit, jam deturbato ad perpetuum, carcerem hoste Satana, Matt. 8. gaudium nostrum, exprimi non potest, collatione historiarum aliquodāmodo cogitari potest. Quantus tremor invasit populū Israëliticum ad mare Rubrum, cum Ægyptij eos insequerentur, dicerentq; ipsi ad Mosen, Exod. 14. v. 11: An non erant sepulchra in Misraim? nonne melius fuisset servire Ægyptijs, quàm mori in deserto? Sed respondit Moses, ne timeatis, state & videte salutem Jehovæ, quam facturus est vobis hodie; Nam quos vidistis Ægyptios hodie, non estis visuri ultra usq; in seculum. Cūq; sequerētur eos Ægyptij, equites & currus cum Pharaone intra ma-

re, quantus præcordia, inprimis fœminarum & parvulorum timor concussit? Sed cum, extendente manum suam super mare Mose, reverterentur aquæ super Ægyptios, viderentq; submergi exercitum Pharaonis universum, ipsi autem per siccum intra mare Virtute Dei transirent: Tunc Exod. 15. v. 1. cecinit Moses & filij Israël canticum Jehovæ, quod equum & sessorem ejus projecisset in mare. Tunc Miriam Prophetissa v. 20. soror Aaronis tympanū tulit in manu sua, & egressæ sunt omnes mulieres gaudentes post eam tympanis, cantu & choris. Et si fiat collatio, populus hic quidem à Pharaone Ægypti Tyranno, non autem ab omni inimico liberatus erat; Venit enim Amalec, Exod. 17. v. 8. & pugnavit contra Israël in Rephidim. De nostris autem hostibus, qui nobis noceat, in vita futura non remanebit, ne unus quidem. Sic magnum gaudium exortum est, 2. Reg. 7. ubi fugantur Syrij á Deo, & sine hominum manu Deus Israelem ab obsidione & fame malesuada liberat. Sic cum, Holopherne ebrietate sopito, & puella ostium observante, Judith caput ejus pracissum civibus deferret, Judith. 13. v. 17. populum ad celebrandum Deum ob partam victoriam adhortata est. Cumq; caput ejus in pinna murorum Bethuliæ civitatis suspenderetur, Assyrij in fugam se conjecerunt, Filij Israel spolijs eorum ditati sunt, Judith. 15. & omnis populus venit Jerusalem ad adorandum. Sic cum Esa. 37. Sennacheribus Rex Assur contra omnes civitates munitas Judæ ascendisset, probrisq; & blasphemia Deum viventem afficeret, quas ejus literas Ezechias in templo coram Jehova expandit, & præ dolore scidit vestimenta sua, & sacco se operuit, dixitq; diem angustiæ & increpationis, v. 3. sicut filij venerunt usq; ad matricem, & virtus non est ad pariendum. Cum autem v. 36. egressus Angelus Jehovæ percussisset in castris Assur centum & octoginta quinq; millia, conversus est iste luctus in merum gaudium. Sic mors Juliani Antiochiæ & passim in Ecclesia summam lætitiam excitavit, cum tamen Holofernes, Sennacheribus & Julianus postremi non essent tyranni, nec

per

per illorum interitum Ecclesia penitus liberata. Qualis erit triumphus in futuro seculo! Augustin. de verbis Domini. Serm 3. Christus Filius Dei qui nos fecit, liberat nos non à Barbaris, sed à Diabolo; non à corporis captivitate, sed ab animæ iniquitate. Solus est qui sic liberat.

II. Quod in futura vita non amplius supplices preces pro nostra conditione Christo offeremus, nisi fortè piè præmissi pro relictis post se in hac miseriarum valle, ut feliciter congregentur ad patres suos, Deum invocent, dum Epulo damnatus fratribus rectè consultum cupit, Luc. 16. v. 28. & animæ occisorum, Apoc. 6. v. 9. vindictam postulant. Ne tamen illud Esa. 63. v. 16. præteramus, Abraham nescit nos & Israel non agnoscit nos, tu Jehova Pater noster & Redemptor noster, hoc nomen tuum à seculo. Nec opus erit in futura vita quem pro nobis intercedere, quando factum erit nobis sicut voluimus. Cum ergo dum hic militamus hortetur Paulus, 1. Tim. 2. v. 1, fieri deprecationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus, ut in omni re, Phil. 4. v. 6. per precationem & obsecrationem cum gratiarum actione petitiones nostræ innotescant apud Deum; illic beati in Deo nihil aliud, quàm hymnos perpetuæ gratiarum actionis Christo decantabimus.

III. Quod tunc non amplius micas sub mensa colligemus, sed tam fœminæ, quàm viri, 1. Pet. 3. v. 7. coharedes vitæ & gratiæ cum sanctis, Matth 8. v. 11. discumbemus in Regno cœlorum; & super mensa Domini saturabimur in æternum. Psal. 27. Dabitur q. nobis vitæ æternæ hæreditas, quæ neq. possessorum copia minuitur, nec fit angustior numerositate coharedum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus. Augustin.

Dominica Oculi.

DE CHRISTO EJICIENTE DIABOLUM RELUCTANTEM APUD DISSIMILES SPECTATORES.

Evangelium Luc. 11. à v. 11. usq; ad v. 29.

Præfatio Supplex.

SAtanas hostis noster omni Marte & arte opponit se, omniq; studio & totis viribus elaborat, ut obturatis auribus indurentur corda, ne in ijs semen sanctum verbi divini crescat, credatq; & salvetur homo. Cum autem nobis non sit alia lux in via salutis, Psal. 119. nec aliud medicamen contra mortem æternam, Joh. 8. nec alia ad salutem potentia; Rom. 1. Orabimus Deum ut Virtute Spiritus Sancti contra hunc animarum hostem gladio Verbi divini, Eph. 6. flagello orationis, August. & ministerio Angelorum, Psal. 34. detur nobis militare bonam militiam, retinendo fidem & bonam conscientiam, & audiendo servandoque Verbum Christi beatos reddi. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Esa. 49. v. 4. Ego dixi in vacuum laboravi, inaniter & vanè fortitudinem meam consumsi. Verè judicium meum est cum Jehova, & opus meum cum Deo meo, vaticinatur de ingratitudine hominum retribuentium Christo contumeliam & persecutionem pro maximis laboribus & beneficijs, quod in hoc Evangelio verè expertus est.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

OBsessus & mutus miser
Sanandus offertur piè,

Hostem

Hostem misertus ejicit
Mutumq; Christus liberat.
Miratur hinc, signum petit
Et evomit Calumnias
Diversa pars spectantium;
Sed sensa Christus discutit.
Hostem probat se Spiritus
Virtute fortem vincere,
Et fœminam docet, Dei
Verbum beatos reddere.

TRIA EX HOC TEXTU AD SALUTEM MAXIME NECESSARIA UT CONCULCETUR SATAN SUB PEDIBUS NOSTRIS.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod doctrina de Diabolis non sit fabula aut figmentum. *Esse enim Diabolos, nec extenuandas esse eorum vires, docent: 1. Perspicua dicta sacri Codicis. Gen. 3. Mat. 8. Luc. 22. Eph. 6. 1. Pet. 5. Apoc. 12. 2. Historiæ. Gen. 3. 1. Regum. ult. Job. 1. Tob. 4. Mat. 4. Act. 19. 3. Cotidiana experientia, quia impellit homines ad peccata, cædes, adulteria, & pro justo Dei judicio super illos pœnam exigit, incendia, bella, pestem, multosq; adigit ad desperationem.*

Quales sint, licèt sint invisibiles, August. Serm. 4. descripsit: Quid pravius, inquit, quidvè adversario nostro nequius est? Qui posuit in cœlo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni nostro opere Zizania seminavit. Nam in conversatione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in dominatione superbiam, in corde posuit cogitationes malas, in ore locutiones falsas, in membris operationes iniquas, in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia,

lætos movet ad dissolutionem, tristes ad desperationem, & ut brevius loquar, omnia mundi mala sunt ipsius pravitati commissa. Et à Domino Jesu, qui eorum naturam optimè novit, in hoc textu graphicè depinguntur.

1. *Dicuntur* Diaboli, *hoc est, ex græco Calumniatores, mendaces & homicidæ, Joh. 8. qui impellunt homines, ut calumnias erga Deum evomant, & se invicem convitijs proscindant. Chrysost.*

2. Satan, *hoc est, Adversarius, mille artifex, nebulo astutus, miles veteranus, cujus est astutia immodica inescandi, persuadendi & seducendi, de quo Leo Papa: non deserit hostis antiquus deceptionum laqueos ubiq; prætendere, & ut quoquo modo fidem corrumpat instare; Novit cui adhibeat æstus cupiditatum, cui gulæ illecebras ingerat, cui apponat incitamentum luxuriæ, cui infundat virus invidiæ Novit quem mœrore concutiat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, & ibi quærit causas nocendi, ubi viderit quempiam studiosius occupari. Gregor. Prius complexionem uniuscujusq; adversarius noster perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit, pro ut quis lætis, aut tristibus, elatis, aut timidis moribus est. Gregor. in Job. 7. Nemo à tentationum certamine immunis est, sive justus, sive injustus, hoc perpetuum hostis nostri officium est, nihil aliud agit, nihil molitur, nullaq; alia cura distenditur, nisi novis cotidie nocendi artibus ad perniciem nostram excogitandis. Et mercium, quas venales habet atq; hominibus obtrudere cupit, ut eos ad emendum alliciat, pulchritudinem ostendit, hac arte ad amorem rerum illicitarum hominem inflammat, easdemq; pro lubitu execrabiles facit & detestabiles.*

3. Beelzebub, *hoc est, Rex seu Dominus Muscarum. Sic appellatus fuit Philistinorum Deus in Ecron, quem Rex Ahasias consuluit. 2. Reg. 1. v. 2. Hoc nomine impij potestatem Satanæ extenuant: Vel quia templum ejus propter victimarum cæsarum sanguinem & putredinem ejus, muscis refertum fuit: Vel quia Deus crabronibus ac*

muscis

muscũ expulerit duos reges Emorai, Jos. 24. v. 12. quod hanc ob causam Deum insectorum adoraverint, ne quid ejusmodi amplius contingeret: Vel quod in hac specie sæpius Satan apparuerit, & nos instar exanimis muscarum circumdet. Psal. 118.

4. *Mali & deteriores spiritus, utpote quorum immensa est malitia, qua internecionem nostram sitiunt, omnia eversuri in momento, si per Deum liceat. Sic Satan Luc. 13. Christo teste, fœminam 18. annis incurvavit, & Act. 10. multos obruit nobilissima eorum membra deformando. Sic h. l. malè gratus hospitem suum cœcum fecit, & mutum, & surdum: quia κωφὸς, ut et Chereseh in Hebræo utrumq; notat. Multũq; adhuc & corporaliter & spiritualiter hæc membra obstruit ne lux aliqua tenebrosæ menti affulgeat, Ezech. 10. nec concionibus gravissimis, nec miraculis fidem habeant. Et va tacentibus de te Domine, inquit August. in Medit. quoniam ipsi loquaces muti sunt, cum non tua laudes dicunt. Omnes ergo corporis afflictiones originem trahunt à Satana permissu divino: Quia causa morborum peccatum est, sons autem & pater peccati malus spiritus. Joh. 8. Quis itaq; non fugiat Satanam & peccatum?*

5. *Rex & Princeps, quo notatur multitudo subjectorum & gubernatio, in qua Lucifer lapsorum Angelorum Princeps est, nec solum Dæmonibus, sed etiam hominibus utitur ad idem ministerium. Chrysost. Solent Dæmones non solùm inter se mutuis uti ministeriis, sed etiam improbis hominibus ad ponendas insidias.*

6. *Habens Regnum, nec exiguum, sed amplissimum per totum orbem, in quo potentissimi quiq; & ditiores impœnitentes & incredduli versantur.*

7. *Deteriores alij alijs, quo notantur gradus malitiæ: habet enim Satan satellites suos & scelerum magistros vel ministros, quos contra nos ablegat. Et mirabile dictu est, multoq; majus, quàm dici potest, quomodo scelerum ministeria in perniciem nostram distribuant, ut quidam insidientur sacerdotibus, quidam nobilibus, alij viris, alij mulieribus, alij ad luxum, alij ad aviritiam, alij ad homicidia nos instigent.*

8. *Possi-*

8. *Possidens palatium: quia dominatur in aëre. Eph. 2. & 6. Item parata est ipsi mansio in inferno. 2. Pet. 2. Matt. 25. Et habitat in mundo, 2. Cor. 4. Apoc. 13. in cordibus infidelium, quos obsidet. Est autem obsessio triplex, sc. 1. Corporalis. Matt. 15. Marc. 9. Luc. 8. 11. Spiritualis cum venit peccator in profundum, Prov. 18. ut potens sit Diabolus in filijs incredulitatis. 2. Tim. 2. 111. Utroq; modo, ut in Juda proditore. In omnibus quippe hominum mentibus vel Deum vel Dæmonem habitare certum est, qui enim non habet Christi Spiritum, non est Christi. Rom. 8. Omne præterea agens assimilat sibi patiens, ergo & nititur Satanas in sui similes, hoc est, in superbos, crudeles, mendaces, invidos, immundos transmutare. Ergo ab ea mente nihil boni sperari potest, in qua spiritus nequitiæ tam teter & funestus hospes habitat, tam perversus & truculentissimus hostis. Talis autem quisq; est, qualis est spiritus à quo inhabitatur & regitur. Ideoq; non possum tot tetra & horrenda facinora, quæ modo homines designant, magnopere demirari, sed magis ad commiserationem rapior, quod sic Dæmon in eos tyrannidem suam exerceat.*

9. *Fortis, venator, Psal 25. 91. & veterator, cujus magna est potentia, qua Exod. 7. & 8. signa facit, fulgura & turbines excitat, Iob. 1. & 2000. porcos violento motu in mare proïcit. Mat. 8. Cumq; has tantas vires suas perspectas habeat, verisimile est, illum frequenter ridentem concionibus nostris auscultare, dum nos audit disruptis lateribus vociferari, nullumq; non movere lapidem, ut auditorum pectora concutiantur, quæ ille Adamantinis vinculis occlusa tenet; Abac. 1. quia fortitudinis suæ & infirmitatis nostræ conscius longa experientia didicit, quàm leve hac in re ei negocium conatus nostri exhibeant.*

10. *Armatus: quia fortis, si sit inermis obrui potest, & præparavit se ad pugnam, nec sarissa aut sicis fugatur. Job. 41. Sit ergo juxta Cypriani consilium in manibus divina lectio, in sensibus Domini cogitatio, oratio jugis omnino non cesset, salutaris operatio perseveret, ut quoties inimicus accesserit armatus, clausum adversum se pectus inveniat & armatum.* 11. Di-

11. *Diligens & acer, semper vigilans, nec omnino discedens ab homine, nisi in morte, nec officij sui unquam est immemor, sed velut avarus, qui rebus suis minimè contentus est, aliena autem semper desiderat, & alienorum bonorum desiderio magis cruciatur, quã suarum lætatur possessione: ita Satan animarum tam avidus, ut præter illas ad nihil aspiret. Sicut Joh. 4. cibus Christi est animarum salu, ita earundem pernicies esca est Satanæ, nec quos subegit, quærit, Cyprian: sed electum cibum velut ex mensa & manu Christi rapere conatur.*

12. *Concordiam alens, quod maximè eorum sceptrum corroborat, quod unus vult, alteri placet & omnibus; & vel tota legio, Mat. 8. idem unanimiter tractant, quia non ignorant, quod omnis divisio ejus rei, quæ dividitur sit ruina: et quod discordiâ res magnæ dilabantur. Sallust.*

13. *Immundus & impurus, compellens homines ad Sodomitica & abominabilia in affectibus, verbis atq; factis, quorum ipsos in æternum pudeat.*

14. *Irrequietus, ut plurimum præsens, ubi sana spargitur doctrina, quia omnia loca, & universum orbem, se ipso teste, Job. 1. pererrat, doloséq; suos in actum extendit.*

15. *Perfrictæ frontis, ut qui abactus & superatus crebrò revertatur, quia ceu*

Venator sequitur fugientia, capta relinquit,
Semper & inventis ulteriora petit,

& amissa recuperare studet.

16. *Nec solus revertitur, sed assumtis alijs deterioribus firmiora collocat præsidia & peccãndi habitũ parat. Sic ergo docente Christo cognoscimus ex ungue Leonẽ, & agnitis hostis nostri consilijs feliciq; pugnabimus, contra creaturas illas spirituales, quæ multæ sunt ac potẽtes Dei & hominum hostes atrocissimi, quos, quia præcipites egerunt fraude sua in peccatũ, quæ vis mala cotidie excitant, eorũq; tyrannidẽ Deus pro imperscrutabili suo consilio interdũ admittit, sapius infrin-*

git, &c. Aug. lib. ad Maced. Deus perpauca in hoc seculo punit, ne divina providentia non esse credatur; & multa servat ultimo examini, ut futurum judicium commendetur.

Si quis pro confirmanda fide, quærat: Unde sint? Respondet Augustin. Tractat. in Johan. 42. Inde utiq; unde & cæteri Angeli, sed cæteri Angeli in sua obedientia & innocentia perstiterunt, illi in obediendo & superbiendo lapsi, facti sunt Diaboli. Idem de vera Religione cap. 13. Diabolus in quantum Angelus est, non est malus, sed in quantum perversus propria voluntate, magis enim se ipsum, quàm Deum diligendo subditus Deo esse noluit, & intumuit per superbiam, & à summa essentia defecit: hinc à Deo repulsus præceps actus est, &c. Idem ad Julian. Com. Diabolus est Angelus per superbiam separatus à Deo, doctor mendacij, &c. De lapsu eorum legitur: Esa. 14. 27. Luc. 10. Apoc. 12. Quando creati sint? Docet Tatianus Assyrius contra Græcos, Verbum ante creatos homines produxisse Angelos. Beda sentit procreatos esse primo die cum luce. Cur sint hostes Christianorum? colligitur ex Psal. 110. iuxta Hieron. ne scilicet impleantur ruinæ ejus, quia partim amissi status dolore, partim alienæ felicitatis invidia homines sui exitij socios reddere elaborãt. Quid de illis futurum sit? Scribit August. de vera Rel. cap. 13. quod vinculis perpetuis sub caligine ad judicium serventur. Idem scribitur in Epist. Judæ v. 6. 2. Pet. 2. v. 4. ipsiq; fatentur, Matt. 8. & genua flectunt. Phil. 2. Tandem, quod potestas eorum sit finita & limitata, testantur historia, 1. Reg. 22. Job. 1. Matt. 8. & lamiarum confessio. Hinc Ambros. Sine permissione Dei Diabolum nocere non posse cognoscas, ne potentiam Diaboli magis timeas, quàm divinitatis offensã. Gregor. Injustè formidari nõ debet qui nihil, nisi p̃ missus valet. Metuẽdus ergo Deus qui & Satanæ & nobis dominatur.

II. Quod JEsus Christus sit fortior armatus, qui expulso & conculcato sub pedibus suis Cacodæmone, Psal. 110. spolia ejus distribuit, contritor capitis ejus, Gen. 3. & triumphator, Col. 2. v. 15 qui cognoscitur h. l. magister ex opere, dum miserum hominem benignè

Esa: 63. Syr-10.

ac po

ac potenter sanat. Act. 10. 1. Joh. 3. Nullus Rex, nullus Princeps adeò fortis vel potens est, qui se aut subditum ab incursu Satanæ vel ad momentum temporis defendere possit, solus JEsus impetum ac tyrannidem ejus refrenat. Hinc David Rex potentissimus in prælio hoc spirituali non ait: fugiam in arcem Zion, vel arripiam arma Saulis aut Goliathi, & conscribam exercitum de subditis meis, sed Psal. 118. v. 11. inquit: In nomine Jehovæ succidam eos. Similiter Salomon Rex sapiens & opulentissimus, Prov. 18. sibi gratulatur v. 10. quod turris fortissima sit nomen Jehovæ. Tuti ergo sumus in manu Christi, Joh. 10. coram quo tota legio tremit, Mat. 8. & preces sanguine ejus tinctæ sunt flagellum Dæmonum, Augusti, quoniam Angelis suis de nobis mandavit. Psal. 34. 91. Mat. 4. Et conspersos superliminari atq; postibus cruore agni vastator transiliet. Exod. 12. v. 23. Nec musca inventa est in atrio templi ubi victimæ cædebātur. Annal. Ebr. Quin & ab Apostolis Dæmones expulsi sūt, Act. 5 17. 19. insignis historia de Arsatio legitur apud Sozom. lib. 4. cap. 15. liberanturq; cotidie spiritualiter obsessi per meritum Christi, cui soli debetur laus & gloria, sic ut multi comite Satana templum ingressi acta vera pœnitentia à laqueis ejus liberentur, & Angelis circumdati domum revertantur.

III. Quod verè beati sint, qui audiunt & custodiunt sermonem Dei. Mundus illos beatos judicat, quibus rerum est abundantia, Psal. 4. v. 8. quibus superest panis & genus, & habitant in domibus laqueatis, Agg. 1. v. 4. quorum semen firmum est, oves q; & boves fertiles, Job. 31. Jer. 12. Luc. 12. 16. aitq; beatus populus, cui hæc sunt. Psal. 144. v. 15. Sed respondet ibidem Psalmographus: Beatus populus, cui Deus est Jehovah. Beati qui Verbum Dei audiunt & in lege ejus meditantur die ac nocte, Psal. 1. v. 2. qui optimam partem eligunt, Luc. 10. nec vacui sunt auditores. Jac. 1. Augusti. Beatior Maria fuit percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi, plus namq; fuit ipsum spiritualiter in mente, quàm corporaliter in utero concepisse. Idem Augusti. quasi dicat Christus:

Mater mea quam appellatis felicem inde felicior est, quia Verbum Dei custodivit, quàm quia in illa Verbum caro factum est. Si quis servaverit sermonem Dei, mortem non videbit in æternum, Ioh. 8. v. 51. Sed diligetur à Deo, & apud illum erit mansio Dei. Joh. 14. v. 23. Negligentibus autem in contextu Salvator pœnas denunciat exemplis Reginæ, 1. Reg. 10. & Ninivitarum; quod illa longum iter absolverit propter Salomonis sapientiam, hi unica concione convicti pœnitentiam egerint. Cum & nos Verbum Dei præ foribus habeamus, & tam copiosas audiverimus conciones, neutiquam meliores facti.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut *si quos videmus spiritualiter aut corporaliter à Satanæ ebrutos, illorum piè misereamur, & precibus nostris ad Christum adducamus. Jussit enim pro fratribus atq; sororibus in necessitate fluctuantibus sedula oratione apud Deum intercedere Christus, Mat. 6. v. 13. Paul. 1. Tim. 2. v. 1. Jacob. cap. 5. v. 14. ut orando alij pro alijs sani simus omnes. Vellet enim Satan, modò liceret; nos omnes sicut hunc hominem torquere. Et soli debetur misericordiæ divinæ, quod hosti in prædam non cessimus. Si quis alius pro nostro judicio pœnam promeritus est, nos, teste conscientia nostra, turpius lapsi sumus. Et bonus Deus patienter nos vocat ad pœnitentiam. Rom. 2. Gratias illi agamus; oremus cotidie conservationem, ne nos Deus inducat in tentationem, commendemus Deo manè ac vesperi corpus & animã & quæcunq; nostra sunt, ut sub umbra alarum ejus tutò habitemus, nec Satan ullum jus in nos reperiat. Ideoq; cum Christo simus, & cum Christo colligamus, quia nemo potest duobus Dominis servire, Matt. 6. nec cordis nostri ager diverso semine serendus est. Levit. 19. v. 19. Qui derelinquit in uno, reus est omnium. Jac. 2. v. 10. Sicut avis in laqueum cadens, si vel ungve solùm vinciatur, non minus vincta manet, quàm si toto corpore esset illaqueata. Tepidos Deus evomit,*

mit, qui neq; frigidi sunt, neq; fervidi. Apoc. 3. v. 16. Si quoq; quis ægritudine confectus in animo habeat magos vel lamias Satanæ vicarios consulere, id omni studio dissuadeamus: quoniam prohibitum est à Deo, Levit. 19. v. 31. Item. 20. v. 6. pugnatq; cum prima tabula & Baptismo nostro, aliàs nisi ars illa ex Diabolo esset, & nos eam discere potuissemus. Adhæc Deus graviter punivit eos, qui se ad Pythones verterunt; 2 Reg. 1. 1. Sam. 28. 2. Paral. 33. quia proinde est ac si ipsum Diabolum consulerent, cui, quia mendax est, Gen. 3. 1. Reg. 22. Joh. 8. fides habenda non est. Adhæc nullus omnino spiritus malus homini bene vult, sed omnes perniciem nostram, qua nunquam satiantur, in omnibus quærunt. Origen. Magi nesciunt benedicere, quia Dæmones nesciunt bene facere. August. Sciendum est magicas artes incantationesq; nihil remedij posse conferre neq; hominibus, neq; animalibus, langventibus, claudicantibus, vel morientibus, &c.

II. Ut concordiam, qua res parvæ crescunt, quod & pro regni sui confirmatione impuri faciunt spiritus, studiosè conservemus; nec conjuges, fratres, aut vicini rixas & odia inter se alant, ne cotidianæ interrumpantur preces. 1. Pet. 3. v. 7. Si quoq; erravimus, quod Pharisæi noluerunt, in mendacio insciticæ nostræ nos pudeat, Syr. 4. v. 30. nec veritati contradicamus, quasi cursum fluminis vi cohibentes. Durum est contra stimulum calcitrare. Act. 9. Et facilè committitur peccatum in Spiritum Sanctum, cujus stipendium est æterna condemnatio. Non erubescamus ergo errorem convinci, atq; vel à puero in viam veritatis reduci. Nec miremur, si forte nimius hic nostra rectè dicta & facta depravando vituperet, quoniam tam salutare ac divinum Christi opus condemnatum est. Si ergo Patremfamilias vocarunt Beelzebub, quanto magis domesticos ejus ita appellabunt. Matt. 10. v. 25. Mundus admodum difficulter cedit Spiritui Sancto, ut Deo tribuat gloriam; nos autem non capiat tædium bene faciendi, quia multis velle benefacere, & nullam velle experiri ingratitudinem extremæ est dementiæ.

III. Ut securitatem maximè fugiamus, caveamusq; ne vulneret Diabolus quod sanauit Dominus, August. nec quis se à Satanæ incursu tutum fore somniet, quoniam ipse dolens ereptum sibi è faucibus bolum milites conscribit, & majoribus copijs rem aggreditur. Captivi sub Pharaone angebantur & captivitatem suam deplorantes semper ad libertatem aspirabant, quod omnes faciunt in carcere detenti. Quid ergo spiritualem animarum captivitatem non horremus? Ære alieno oppressi quando à creditoribus vexantur, vix gratum cibum aut somnum carpunt. Cur ergo infelices decem talentorum debitores de obolo extremo non cogitamus? Vincti in carcere quibus sententia capitalis denunciata est, summo metu & angore concutiuntur, cur ergo ad supplicia æterna condemnati in utramq; aurem securi dormiunt? Pondera ô miser homo, quis te captivum trahat, nec quidem reluctantem, sed sponte obsequentem, pondera quem hospitem admittas, & quod inter te æternumq; supplicium sola vita interest, quæ telâ araneorum fragilior vel flatu rumpitur. Ergo ab offensa ejusdem repetitione absline, ne revertendo Satan domum suam inveniat purgatam & apertam. Sap. 1. Macar. hom. 28. Væ domus in qua non habitat Dominus; Væ animæ cum verum gubernatorem Christum in se non habuerit. Deteriores in mundo non sunt homines, quàm illi, qui semel acta pœnitentia in scelera relabuntur & liberati à Satanæ servitute, in pristinam turpitudinem ruunt.

Ultima conditio deterior priore propter,
1. Animi levitatem & inconstantiam, dum promissa non servant, sed quæ vitare proposuerant, mox iterum committunt.
2. Ingrati animi crimen, quo contemnitur Dei gratia & peccatorum venia.
3. Multorum spirituum tyrannidem, siquidem unico expulso octo revertuntur, & sic deinceps.

Ubiq; timendæ sunt spiritualium latronum insidiæ. Transiens profunda fluminis, vel per vadum ambulans, etiamsi majorem partem inoffenso pede absolverit, tamen non glorietur se periculum evasisse, posset

posset enim in ultimo pontis spatio titubare, vel in gurgitem sub listere incidere, nemo ergo ante finem certaminis arma deponat.

III.
Finis Fidei Triplex.

I. Quod in extremo die cum infinito gaudio videbimus signa Filij hominis, Mat. 24. v. 30. in cælo. Quidam mortalium signa petierunt ex animo levi & inconstanti, sic Deum tentantes, quod nollent credere, nisi viderent signa & prodigia, Joh. 4. v. 48; quales fuerunt Judæi, Joh. 2. v. 18. quibus dedit Christus signum de solvendo & erigendo templo corporis sui. Matt. 26. v. 61. Et improbi, ingrati atq; immemores convivæ. Joh. 6. v. 30. Sic in historia hodierni Evangelij, Luc. 11. v. 16. quibus versu 30. datur signum Jonæ Prophetæ, quod sicut ille signum fuit Ninivitis, ita & futurus sit Filius hominis nationi isti. De hoc signo August. Tract. in Joh. 91. scribit, quod inter miracula, per quæ Filius Dei voluit innotescere, hæc duo sint præcipua: Incarnatio & Resuscitatio. Et hæc duo Christus in suo responso quasi acu tetigit, quando se Filium dicit hominis; & Jonæ historiam de se interpretatur de triduana sepultura ac resurrectione. His quoq; annumerandus venit Arnulphus Episcopus Moguntinus, de quo historiographi commemorant, quod cum de misericordia divina dubitare cæpisset, projecto in fluvium annulo pretioso, dixerit: si providente & procurante Deo hic mihi restitutus fuerit, hoc signo certior ero, me inventurum gratiam apud Deum.

Quidam pro confirmatione fidei suæ & certitudine promissionum divinarum signa petierunt & obtinuerunt, ceu legitur de Gideone, Jud. 6. v. 17. 18 36 39. Ros & siccitas super vellus tantùm: de Ezechia 2. Reg. 20. v. 9. Esa. 38. v. 7. Horologiũ, & retrogressu Solis: Sic Apostolis rogantibus mõstrata sunt signa præcessura excidium Urbis sanctæ, & totius mundi. Mat. 24. v. 45, Marc. 13. v. 4. 5. 6. Luc. 21. v. 8 9.

Quibusdam ipse Deus pro tollenda eorum incredulitate signa obtulit.

tulit, & exhibuit. Sic Gen. 9. v. 12. 13. Noacho datur arcus cœlestis in nubibus. Abrahæ clibanus fumans & lampas ignis, Gen. 15. v. 17. Ipsi & posteritati ejus Circumcisio. Gen. 17. v. 9. 10. Mosi virga. Exod. 4. v. 2 3. Aaroni virga germinans. Num. 17. v. 8. Rachab funiculus fili coccinei. Joh. 2. v. 18. Sauli triplex signum, quo crederet se unctum à Deo Regem. 1. Sam. 10. v. 2. Davidi sonitus in cacuminibus mororum. 2. Sam. 5. v. 24. Achaz Regi promissio Messiæ. Esa. 7. v. 11 12. 13. 14. Et cum ille natus esset, pastoribus, Luc. 2. v. 12. fasciæ & præsepe, &c. Si autem gavisi sunt, Abel Gen. 4. Manoha Jud. 13. Elias 1. Reg. 18. ubi conspecto signo cadentis de Cœlo ignis & incendentis hostias, de præsentis Dei gratia certiores facti sunt. Si David cum gaudio Deum in sonitu præcedentem ad præliandũ contra Philistim secutus est. Et Constantinus ad pugnam paratus animosior factus est, viso Crucis signo in nubibus cum inscriptione sin hoc Signo vinces: Verè nos lætabimur, ubi in novissimo die deposita vita hac mortali, cujus eventus propter transgressiones nostras dubij sunt, videbimꝰ signũ Filij hominis, gloriosæ vulnerum stigmata, quæ ipsemet discipulis post Resurrectionem videnda atq; contrectanda exhibuit, visóq; hoc tanto Redemtionis nostræ pretio, ad perpetuam misericordiæ divinæ concelebrationem excitabimur.

II. Quod Spiritu Sancto demoliente opera Satanæ, ad nos veniat Regnum Dei, de quo interrogantibus Pharisæis, quando venturum esset, respondit Christus Luc. 17. v. 20: Non veniet Regnum Dei ita ut observari possit, sed Regnum Dei intus habetis. Siq; in regno gratiæ hîc cum Christo colligamus, dum aperitur nobis thesaurus Divinæ sapientiæ in Verbo & Sacramentis, certè ab ipso colligamur, Matt. 25. quoniam ipse dixit Jer. 23. v 3. Congregabo residuum ovium mearum de omnibus terris ad quas ejeci eas, & redire faciam eas ad habitacula sua. Esa. 43. v. 5. Ab oriente adducam semen tuũ, & ab occidente congregabo te. Esa. 58. v. 8. Gloria Jehovæ colliget te. Mich. 4. v. 6. In illa die dixit Jehova congregabo claudicantem, & ejectam, & quam afflixi: Regnabitq; Jehovah super eos in monte Zion

Zion ex eo tempore & usq; in seculum. Chrysost. Si quis in eo statu positus esset, in quo nullam prorsus peccatorum suorum veniam, nullum salutis remedium speraret, isq; gehennam sine ulla divinæ commiserationis spe ante oculos positam cerneret, quid non faceret ob spem evadendi tantum periculum: sed id Dominus retinentibus fidem ac bonam conscientiam sponte offert, & exiguo pietatis labore, cum aliàs maxima discrimina mundanorum bonorum causa subeamus, Regnum Dei quærere, agrum emere, Matt. 13. & thesaurum invenire possumus. Si mercator, inquit Chrysost. æquali pretio lapillos venderet pretiosos & adulterinos, aurum & cuprum quis non eligat optimum? Quid ergo cunctamur propter vitam æternam illa facere, quæ propter hanc umbratilem facere non recusamus? Difficulter & molestissimè homines avari, ebrij & impudici gehennam sibi comparant, cum per fidem fructu suo decoram facilè salventur sobrij & pudici.

III. Quod observatores Verbi divini audiendo & custodiendo beati, & ceu contextus docet, Mat. 12. v. 47. fratres simus atq; sorores Christi. Cum enim quis Christo diceret: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes tecum loqui; extensa manu sua in discipulos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei, scilicet quisquis fecerit voluntatē Patris mei, qui in cælis est, ipse est meus frater, & soror, & per cōsequens hæres Dei & cohæres Christi. Rom. 8. v. 17. Quæ hæreditas gratiam Dei, meritū JEsu Christi, Spiritum Sanctū, & divitias gloriæ æternæ complectitur, à qua neminem auditorum meorum excluſum fore spero & opto.

Dominica Lætare.

DE 5000. AUDITORIBUS A CHRISTO MIRACULOSE PASTIS.

Evangelium Joh. 6. à v. 1. usq; ad v. 16.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Onjunctis precibus orabimus super nos effundi Spiritum Sanctum ut hoc ὁδηγῷ quæramus & inveniamus JEsum Christum, doceamus, discamusq; Verbum ejus de Regno Dei, sic ut in deserto hujus mundi adveniat ad nos Regnum ejus; & cum adjecta corporali benedictione, adipiscamur confirmationem fidei in tentationibus, glorioſamq; ad vitam æternam eluctationem, propter JEsum Christum. Pater noster. &c.

Exordium Propheticum.

Ose. 2. v. 14. prædixit Deus de Ecclesia: Ego seducam eam in desertum, loquarq; ad cor ejus. Novit enim Dominus quod omne nimium sit naturæ inimicum. Nec tantùm hoc Deus præstitit quando Israëlitæ per mare Rubrum ducti sunt in desertum & mirabiliter sustentati, verùm etiam ubi nos inopia premimur, ne venter saginatus despumet in libidines, Hieron. & suffocetur semen Verbi divini, Luc. 8. sed ut probetur Fides ac patientia, & excitetur in nobis vitæ æternæ desiderium. Aliàs quibus abundè est, illos sacri sermonis capit nausea, & contemnunt petram salutis, Deut. 32. pereuntq; cum Sodomitis, Ezech. 18. & cum David per ocium delinquunt, cum aliàs Saulem fugiens religiosus esset. Inprimis vaticinium Oseæ impletum esse videtur in historia hujus Evangelij.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

PIa turba quinq; millium
Christum secuta trans mare,
Regno docentem de Dei
Audivit usq; ad vesperam.
Cibum daturus ventribus
Christus Philippum consulit,

Num-

Nummos ducentos hic, brevem
Obtendit Andreas penum.
Sed ille discumbentibus
Cum pane pisces porrigit.
Saturantur, ex superfluis
Sportæ replentur ter quater.

TRIPLEX PRÆSERVATIVUM ET CONFORTATIVUM EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

1. *Quod JEsus Christus sublatis super nos oculis, Psal. 33. v. 18. misereatur nostri, ut eruat à morte animas nostras, & sperantes in misericordia ejus vivificet in fame, quia ex habitaculo sessionis suæ prospicit super omnes habitatores terræ, ibid. v. 14. & oculi Jehovæ super justos, aureq; ejus ad clamorem eorum, Psal. 34. v. 16. ut pauperes impleat bonis, Luc. 1. & benefaciat quærentibus Regnum Dei, Mat. 6. cætera contribuendo. Quare & oculi nostri ad hunc cælestem Patremfamilias semper esse debent directissimi, Psal. 25. v. 15: quoniam ipse educet à reti pedes nostros, quos ipse paterno, Psal. 103. Luc. 11. & materno amore, Syr. 4. Esa. 66. prosequitur, nec patietur filios & filias suas fame torqueri. Si quoq; nos paternè tentaverit, ut salutariter, quia neminem tentat ad malum, Jac. 1. exploret Fidem & profectum nostrum, sicut Abraham Gen. 22. Jacob Gen. 32. Job, multiq; de numero electorum ejus modi tentationum examini immissis tribulationibus subjecti sunt, ut per morbos diuturnos, jacturam, famem & angustiam probatur patientia & constantia, faciatq; periculum Deus, num magis humanis præsidijs, quàm ipsi confidamus; sciat tamen quid facturus sit. Novit enim quibus indigeamus, Matt. 6. & antequam nasceremur numeravit dies nostros, Psal. 139. & cõjugis atq; sobolis nostræ, posuitq; metam cuiq; suam, Job. 14. & numerauit bolos quos manducamus, ova, pisces & carnẽ prospexit, lanã*

& linum prævidit, & minimum quo focus noster excitatur lignum: antequam tonderentur oves, & arbores seminarentur.

Jactanda itaq; super Dominum est cura nostra, Psal. 55. & credendum in Deum omnipotentem; Esa. 39. nec plorandum, Esa. 30. v. 19. quia Dominus miserebitur nostri. Nec murmurandum ne sic prodamus stultitiam nostram, sicut Israel. Exod. 16. Psal. 78. Nec diffidendum, sicut legitur de Mose Num. 11. Num. 20. de servo Elisæi, 2. Reg. 4. de Equite. 2. Reg. 7. Credunt & gentes extra Christum sustentationem esse facilem, si penus sit abundans, pecuniaq; & panis copia superfluat. Sed ubi parcè metitur, & annona charitas ingruit, credere cum Jonathan filio Saulis, 1. Sam. 14. v. 6. quod tam bene possit servare Deus paucis, quàm multis, hæc Fides est Christianorum propria, qui stultæ rationis cogitationibus haud indulgent, nec quibus indigeant, temere sollicitis computant articulis, quod illi quibus plus fidei non est in cordibus, quàm pecuniarum in loculis, carnisq; & piscium in culina ratiocinando certè decipiantur. Nec sperandum est mitius seculum & fames minor, ubi peste vel bello magna pars hominum tollitur, siquidem defuncto homine attributus ipsi victus & amictus terra mariq; evanescit. Novit autem Dominus dies justorum, & hæreditas eorum erit in seculum, non afficientur pudore in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Psalm. 37. v. 18. 19.

II. Quod JEsus Christus sit Propheta maximus, Deut. 18. cui non desunt vires, Zachar. 8. v. 6. nec alligatus est ad causas secundas. Quare nobis de tanto Deo & Domino meritò gratulamur, qui omnibus creaturis, ut crescant & multiplicentur, cum Patre & Spiritu Sancto benedixit, Deus omnipotens, qui, cum subjecta sint omnia pedibus ejus, Psal. 8. Mat. 28. escam dat vilissimis quoq; animalibus.

Homini autem tribus
1. Per media ordinata terra mariq; per quæ unicuiq; attribuit quantum vult, non quantum nos optamus, quia scit quid nobis conducat.
2. Per modicum panem benedicendo, 1. Reg. 17. 2 Reg.

pascit *2. Reg. 4. & largiendo, si non ad voluntatem, tamen ad modùs ½ necessitatem, ut tam bene vivant mendici modico suo, quàm Reges & Principes. Dan. 1.

3. Absq; medijs miraculosè sustentatur Moses, Exod. 24. Elias, ipse Christus, Matt. 4. Daniel inter leones, & Jonas in balæna. Multiq; diu ægrotantes & nihil aut parùm comedentes. Sic Num. 11. dantur coturnices, & aqua de petra. Num. 20.

Cum alij dent, quantum possunt, Christus dat quantum vult, saturatq; unico pisciculo homines 2500. unico pane homines mille. Et ut verbis Augustini utar, majus est miraculum gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinquies mille hominum, de quinq; panibus: & tamen hoc nemo miratur: Illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est.

Credamus ergo Deum & velle, & posse nobis dare panem cotidianum, memores hujus miraculi, quia eodem modo Christus auget victum nostrum in agro, dum seminatur & metitur, in horreis, in area, in mola, in furno, in manibus, & ore nostro. Cujus benedictionis insignes leguntur promissiones: Deut. 28. v. 3. 4. 5. Oseæ. 2. v. 21. Joël. 2. v. 19. 24. Mal. 3. v. 11. Et præteritorum beneficiorum recordatio fidem nostram confirmet, sicut David, 2. Reg. 15. Absalon fugiens recordatur Saulem acerbissimum hostem funditus à Deo deletum, aitq; Psal. 3. In pace cubabo & dormiam. Sic nos ubi habenda est concio, confidenti animo volutemus, quod toties Spiritus Sanctus direxerit lingvam nostrã. Et in æconomia aspiciamus horrea atq; vasa farinæ antea à Deo repleta, & mensam toties benedicente Deo stratam, sicut Moses Exod. 17. virgam manu tenuit. Quid enim à Deo optimo non expectemus, qui nobis dedit animam, spiritum & fidem; qui majora contribuit etiam minora dabit, quoniam Valde misericors est nec nostri unquam obliviscitur, Esa. 49: Valde bonus, qui etiam ingratos pascit & hypocritas: Valde sapiens, qui sanctos suos ducit mirabiliter, Psal. 4. & cogitationes discutit: Valde patiens,

qui propter ventrem sequentibus, Joh. 6. & articulum de pane cotidiano malè intelligentibus ignoscit. Thren. 3. Et panem cœlestem promittit. Matt. 6.

III. Quod timentibus Deum nihil desit, Psal. 34. v. 10. 11. & quærentes Jehovam non deficiant omni bono. Quin quinq; panibus tot hominum millia saturare potuit, ut tam exiguo contenti panem meliorem & plura fercula non desiderarent, idem exiguo commeatu tenuiq; patrimonio hominem ita reficit, ut nihil amplius desideret, quàm quod habet. 1. Tim. 6. Stq; quæras servientes Deo, an sua ipsis anxia solicitudine sufficiant, se cum Regibus & ditissimis quibuscunq; vitæ suæ statum ac placidæ mentis quietem non permutaturos respondebunt: licèt enim non largitur ipsis Deus rerum mundanarum copiam, sanat tamen naturam per gratiam, & immoderatam rerum cupiditatem ceu sitim ardentissimam extinguit, quod ipsis longè utilissimum, sicut æstuanti febribus sitim pariter cum morbo tolli longè magis optandum, quàm eandem aqua frigida sedari. Terrenæ opes nullam possessori suo satietatẽ, nullam animi quietem afferre possunt:

Quoq; magis potæ plus sitiuntur aquæ.

Sed nullo eget, qui per Dei gratiam, eo quod habet, contentus est, quamvis sit exiguum: quia non vivitur de bonis, Luc. 12. sed melius est paululum justo quàm divitiæ impiorum multæ, Psal. 37. v. 16. nec qui parum colligunt, Exod. 16. premuntur inopia, sed initiati sunt electi ad saturitatem & famem, ad abundantiam & inopiam, Phil. 4. v. 12 tanquam nihil habentes, & tamen omnia possidentes, 2. Cor. 6. juxta illud: Satis hoc contento. Et cùm, teste Seneca, multis fortuna nimium dederit, nemini autem satis, comedit justus & replet animam suam ad saturitatem; Prov. 13. v. 25. inprimis si non deficiat panis cœlestis, Matt. 4. qui pani terreno longissimè ante ferendus est. In Papatu olim largior fuit rerum omnium proventus, & minor victum quærendi difficultas, sed obruti fame spirituali, Amos. 8. non viderunt diem Filij hominis, atq; ex temporali abundantia in famen æternam prolapsi sunt. Nos autem qui in hoc deserto pauli-

sper

per vexamur, in inopia felicissimi sumus præ regibus impijs, quia Christum habemus præsentem, nec quid deerit nobis. Psal. 22. v. 1.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut delectemur auditu Verbi divini etiam prolixiore, Matt. 7. Act. 20. v. 7. nec ullam unquam temere negligamus concionem. Joh. 8. Agit enim nobiscum Deus per legitimè vocatos Verbi ministros, Matt. 10. Luc. 10. 2. Cor. 5. loco Christi idem docentes, per quos ubi dignatur nobis animum suum aperire, frequentes adsimus nec retardet nos iter prolixum: curam domesticam jactemus super Christum, ne quidem de cibo solliciti.

Non unctura rotam, non tardat missa diætam.

Adhæc finem concionis placidè expectemus, nec simus auditores vacui. Jac. 1 Quin & fœminas & pueros simul adducamus. Puer hic panum & piscium portator non ita fuit improbus, ut in plateis discurreret, sed Christo proximus, nec alligatus ita est ad aratrum, vel alios labores, ut desit copia audiendi Christum. Ne annumeremur illis, qui neq; miraculis, neq; verberibus, neq; beneficijs ad obedientiam Deo exhibendam commoventur, sed saturati, Jer. 5. contumelia Deum afficiunt, & misericordia ejus turpiter abutuntur, necessitatem indigentis familiæ, & misericordiam Dei facilè condonantis prætexentes. Et sic cum majora Deo tribuant, minora ipsi adimunt, quasi, qui ex misericordia propter meritum sanguinis Christi peccata condonat, cibum, quem ne formicis & vermiculis quidem negat, observatoribus verbi sui attribuere non possit. Absint hæc Satanæ Sophismata, nec jactemus misericordiam Dei, ut licentius peccemus. Nec trahat nos ratio stulta, sed fide obtinente victoriam eam supprimamus, dum non comprehendit Dei opera, & mysteria sancta de efficacia Baptismi, de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Synaxi, de Virtute mortis Christi crucifixi, 1. Cor. 1. v. 23. quod factum est á Domino Zebaoth, cujus consilium est mirabile. Nec, si faciendo

faciendo jacturam res nostræ fiant angustiores, à Deo deficiamus, verùm cum Jobo demus gloriam Deo auferenti & restituenti, sicut dictum est Amasiæ, 2. Paral. 25. v. 9: Est Jehovæ, ut det tibi multò plura his scilicet, si amittas centum talenta.

II. Ut hilares simus datores. *1. Cor. 9. Quia liberalitas redundat in authorem. 1. Reg. 17. v. 14. Prov. 3. Syr. 16. Prov. 11. v. 24. Est qui despergit rem & additur ei amplius. Est qui parcit rei suæ plus æquo, sed ad inopiam. Anima quæ benedicit, impugnabitur; & qui satiat, etiam ipse satiabitur. Prov. 28. Qui erogat pauperi non indigebit. Qui autem templis & pauperibus detrahunt, & cum ostentandi nominis causa largè effundant, ab indigentibus manum retrahunt, stultè agunt. Quia liberalitas & beneficentia prodest ad impetrandam peccatorum veniam, Eccl. 8 29. Esa. 2. 58. Dan. 4. Act. 10. & sola misericordia, juxta Ambros. comes est defunctorum. Ubi hac vita defungimur, quo singulis & omnibus, etiam Imperatoribus nihil certius, soli ab hac regione emigramus. Seculi hujus pompa, conjunx, liberi, consanguinei & amici ad sepulchrum usq; corpus exanime comitantur, sola anima sine ullo satellitio, quod Saladinus Asiæ Rex intellexisse videtur, ante judicem sistitur, nec quod studiosè comparavimus, sed quod benignè erogavimus nos sequetur. Si quis dicat, se morti proximum in testamento pauperibus multa legaturū, ille, teste Aristotele, similis nautis est, qui imminente ac furente tempestate armamēta nautica parant, quæ multò antea parata esse oportebat. August. Non facilè inveniuntur in necessitate remedia, quæ non fuerunt in pace quæsita. Sed tamen hæc liberalitas conjuncta esse debet cum parsimonia ac frugalitate, ut derivans fontes suos maneat Dominus eorum, Prov. 5. nec prodigè profundantur, sed frugaliter colligantur fragmenta, quia*

Non minor est Virtus, quâm quærere, parta tueri.

Et considerandæ veniunt senectus, soboles & posteri, si fortè veniant septem anni famis, ut in Ægypto. Gen. 41. v. 30. Ipse Christus jentaculum reservavit; Et bonus condus gignit bonum promum, largitio autem

autem fundum non habet, sed fontem ipsum benignitatis exhaurit. Paulatim sublabetur, qui spernit exigua, Syr. 19. v. 1. Perpendendum ergo tempus famis in tempore saturitatis, ac penuria in die divitiarum. Syr. 18. v. 25.

III. Ut, juxta admonitionē Ambrosij, inchoemus & concludamus convivia non à cibo & potu, sed ab oratione & gratiarū actione, Psal. 104. 145. 147. quia ex manibus Christi petenda est sustentatio, & Deus omnia dat percipiēda cū gratiarū actione. Cumq; ut Bernh. loquitur, dandis indignus sit, qui pro datis gratus nō est; ad mensam, vel de mēsa nemo accedat vel recedat, nisi facta oratiōe & gratiarū actione. Si quis peregrinus & hospes benignè à nobis exceptus & splendidè tractatus posterodie abiens nec valediceret, nec aliquam grati animi significationem ostenderet, ipsum amentem & stupidum, & stipitem magis, quàm hominem meritò judicaremus. Turpissimi ergo illi sunt, qui terrenis bonis affluentes cotidie ad mensam omnis generis dapibus refertam accumbunt, nec oculos in cœlum tollunt, nec debitas Deo gratias agunt, Gen. 37. ut ipsum omnium bonorum authorem profiteantur. Eccle. 1. Flumina ad locum unde exeunt revertuntur: Et gratiarum actio fontem Dei, ut iterum fluat, aperit. &c.

III.

Finis & Merces Fidei Triplex.

I. Quod Christus cum panum hordeaceorum & piscium fragmenta manuum suarum contactu aucta non passus sit perire, cum ea tantùm verbo creaverit, & benedictione sua multiplicaverit, nos autem ad imaginem suam creaverit, nosq; assumendo corpus & animam redemerit, certè animas nostras hospitio manus suæ excipiet, Sap. 3. & corpora nostra de sepulchris protrahet, Joh. 5. quoniam pro salute nostra manus ejus ligatæ & perforatæ fuerunt. Psal. 22. Nec quis rapiet nos ex manibus ejus: Joh. 10. nec ibi fames aut dimissio metuenda, sed vita & abundantia in Christi Regno.

II. Quod Christi Regnum non sit de hoc mundo, sed ipse sit

Rex noster in secula seculorum, Dan. 2.7. Mich. 4. Psal. 72. cujus imperij nõ erit finis, & quamvis paulisper visus sit quasi derelictus à Deo, Psal. 22. gloria tamen & decore coronatus est. Psal. 8. v. 6. Quare & nos, qui hic exules regna aliena tenemus cum Anaxagora Philosopho digitum in cælum tendentes æternam patriam cura vigilante quæramus. Oremus in Regno gratiæ, ut transferamur in Regnũ gloriæ; quia πολίτευμα nostrum in cælis est, Phil. 3. & quoniam cum Christo patimur, cum ipso regnabimus & glorificabimur, Rõ. 8. v 17. Deumq; in Regno universæ gloriæ perpetuò celebrabimus, Reges & Sacerdotes, Apoc. 5. 1. Pet. 2. quibus Rex in Zion, Psal. 2. cui paret totus orbis, Zach 9. fidelis & verax, Apoc. 19. cui Reges ex insulis obtulerunt offeruntq; dona sua, Psal. 72. dies super dies adijciet, Psal. 61. v. 7. ut sint anni nostri perpetui, & habitemus in seculum coram Domino. Si Agathocles figuli filius ad Regiam dignitatem evectus fortunam reverenter habuit, nam

Fama est fictilibus cænasse Agathoclea Regem,,
Atq; abacum Samio sæpe oneravisse luto;

nos certè de æterna felicitate nostra in Christo JEsu cum jubilo gaudebimus.

III. *Quod JEsus Christus in die secundæ apparitionis suæ non secedet in montem ipse solus, sed manifestatus cum gloria nos coram se congregatos, 1. Thess. 4. secum transferet in montes sanctos, Psal. 15. inaccessos, ubi cum triumpho ipsi conformes, Phil. 3. in tabernaculis sanctis habitabimus. Matth. 17. Nec Mosen aut Eliam à Domino discedent, neq; nos à Christo segregabimur amplius, nec in tenebris, Johan. 6. v. 17. vento contrario vexabimur à fluctibus, Matt. 14. v. 24; sed Christo, Phil. 3. & Angelis similes, Matt. 22. etiam super mari ambulabimus.*

Dominica Iudica.

DE CHRISTO ACERRIME CONTENDENTE CUM JUDÆIS DE PERSONA ET OFFICIO SUO.

Evangelium Joh 8. à v. 64 usq; ad fin.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IUdicium habemus & promissionem Christi, quod quicunq; sunt ex Deo Verbum Dei audiant, illiq; qui id observant, non videbunt mortem in æternum. Quid quæso his jucundius aut magis optabile? Gratias ergo agamus Deo cujus propicia bonitate convenimus de vera via ad vitam æternam ex Verbo Dei instituendi; oremusq; nobis dari Spiritum Sanctum, quo magistro possimus ὀρθοδοξεῖν & observare Verbum auditum, ut cedat in gloriam Dei, nosque liberemur ab æterna morte per & propter JEsum Christum, in cujus nomine orabimus: Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Esa. 53. v. 9. Iniquitatem non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. 1. Pet. 2. v. 22. Quod autem verè caruerit Christus omni macula, rumpantur ut ilia hostibus ejus, in hodierno Evangelio manifestè demonstratur, quia nemo ipsum arguere potest de ullo peccato.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

APella trux calumnias
Vomit, sed expers criminis
Refutat illa, nec tamen
Verum docenti creditur.

Nugantur improbi malo
Servire Christum Dæmoni,
Verbum probat contra suum
Mortem secundam pellere.
Sed Christo Abrhamum præferunt,
Quo se priorem prædicat,
Lapidesq; dum tollunt mali,
Subductus ipse absconditur.

TRIPLEX EX HOC TEXTU CONTRA MORTEM SECUNDAM ALEXIPHARMACUM.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod JEsus Christus sit Agnus Dei verè immaculatus, Exod. 12. v. 5. pro nobis mactatus, 1. Cor. 5. pulcher admodum & speciosissimus præ filijs hominum, Psal. 45. v. 3. qui neminem ulla unquam affecit injuria. 1. Pet. 2. Nostræ cogitationes immundæ sunt, Gen. 6. natura perdita, Esa. 1. & opera menstruata, Esa. 64. solus JEsus labis expers, innocens & incontaminatus, quod non rapuit reddidit, Psal. 69. v. 5. legemq; pro nobis implevit. Gal. 4. Conglutinarunt & protulerunt equidem Judæi mercede conductis testibus varia contra Christum mendacia, quod violaret Sabbathum, Mar. 2: quod seditiosus prohibuisset dare censum Cæsari, cujus contrarium verum probatur, Matt. 22. Luc. 12. Joh. 6. Luc. 17: quod se fecerit Filium Dei, quod refutatur ex Psalm. 2. & de templo quod 46. annis exstructum erat demoliendo, Joh. 2. sed nihil effectum est: quia Pilatus septies, & conjunx ejus, & Herodes confessi sunt Christi innocentiam, idemq; Judas & latro, & milites professi sunt. Credimus ergo Dominum JEsum non pro se aut suis erratis, sed pro nobis atq; nostris transgressionibus casum & mortuum esse, quia verè portavit iniquitates nostras, Esa. 53. v. 4. & dolores nostros ipse tulit, attritus est

tus est propter prævaricationes nostras, & livore ejus sanati sumus, v. 5. nos laborare ipsum fecimus in iniquitatibus nostris. Esa. 43. v. 24. In angustijs ergo & in agone, ubi peccatum exaggerat Satan in singulis præceptis & conscientia evigilans remordet, Deiq; horremus judicium, ad plenariam Christi innocentiam confugiamus, siquidem conjecit in ipsum Deus peccata nostra. Esa. 53. Christus quem peccatum mors & Satan justissimum injustissimè obruerunt pro nobis reddet rationem, quia delevit Chirographum scelerum nostrorum, Col. 2. & quando nos Satan accusat, vincimus eum per sanguinem Agni. Apoc. 12.

II. Quod Verbum Dei ex sinu æterni Patris prolatum sit immota Veritas, & salutis nostræ basis, Matt. 7. v. 24. sola ad salutem potentia, Rom. 1. & φάρμακον περφυλακτικὸν contra æternam mortem, præstantius auro & Obrizo. Psal. 119. Et quicunq; illud diligunt, frequenter audiunt atq; observant, Psal. 84. 122. vera sunt Ecclesiæ membra, beati cœli hæredes, templa Spiritus Sancti, si quoq; meri essent mendici. Joh. 6. Amen amen qui Verbum meum audit, & credit ei qui misit me habet vitam æternam. Joh. 14. v. 23. Si quis me diligit sermonem meum servabit & Pater meus diliget eum, &c. Beati ergo qui instar formicarum colligunt, Prov. 6. & esuriunt, Matt. 5. & sitiunt Verbum Dei. Joh. 4. Qui autem illud contemnunt ex Diabolo sunt, dum membris sibi à Deo donatis, juxta beneplacitum Satanæ turpiter abutuntur, atq; ab Ecclesia sanctorum excluſi, se in avernum demergunt. Ad hunc ergo Lydium lapidem se ipsum unusquisq; probabit, & de alijs quoq; judicare poterit.

Signa vera Ecclesiæ tria sunt:

1. Verbum Dei purum diligenter audire & observare.
2. Sacramentis legitimè juxta Christi institutionem uti.
3. Ministris verbi grato animo obedientiam præstare.

De primo signo in hoc textu Christus agit, excluditq; ab Ecclesia Sanctorum,

1. *Judæos Verbum Dei quidem habentes, sed non integrum, idemq; malè interpretantes.*
2. *Baptizatos, qui cum habeant Verbū Dei, rarò templum ingrediuntur, & politica præferunt.*
3. *Illos, qui in templo comparentes auribus tantùm auscultant alienis cogitationibus occupati, vel obdormiscunt.*

III. *Quod JEsus Christus sit verus ab æterno Deus cum Patre & Spiritu, Filius Patri consubstantialis ante Abrahamum, utpote per quem Abraham & omnia facta sunt, Joh. 1. & verus Homo, semen Abrahæ post ipsum veniens. Talem oportuit esse Messiam inter Deum & homines Mediatorem. Cujus exitus fuit ab æterno, Mich. 5. licèt in tempore venerit ex Bethlehem Ephrata, quem quoq; Baptista prædicat ante se fuisse & post se venisse, atq; à Petro extollitur ultra Eliam & omnes Prophetas, Matt. 16. quod sit Filius Dei viventis. Apoc. 1. ipse inquit v. 8: Ego sum A. & Ω. principium & finis, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens, v. 18. fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum. Et adfuit Logos in passione, quia erat in Dei forma, Phil. 2. hoc est, juxta Cyprian. in Dei essentia & natura, ipsi flectuntur omnia genua, Rom. 14. & ipsius in carnem adventum Abraham omnesq; sancti magno desiderio desiderarunt. Luc. 10. Esa 45. 64. Et Pater cœlestis honoravit Filium suum*

Edito de ipso testimonia per

1. *Seipsum in Paradiso, quod repetitum est Abrahæ, Gen. 15. 22. & in Baptismo Christi, Mat. 3. nec non Matt. 17. Joh. 12.*
2. *Angelos. Dan 9. Luc. 2.*
3. *Prophetas, Act. 10. & Johannem prodromum. Joh. 1.*

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. *Ut simus imitatores Christi ambulantes in vitæ puritate & san-*

& sanctificatione, ne deficiat Fides & bona conscientia, 1. Tim. 1. quia Christus non tantùm Redemptor passus est pro nobis, sed etiam reliquit nobis præscriptum, ut insequamur vestigia ejus. 1. Pet. 2. v. 21. Innocentia est optima apologia, inquit August. Cicero. Malè mecum agitur, si me oratio potius, quàm vita mea purget. Cumq; graviter moneat Paul. 1. Cor. 11. Estote imitatores mei, sicut ego Christi, hæc sit gloria cõscientiæ nostræ, 2. Cor. 1. quod simpliciter ambulemus, quoniam voluntas Dei est nostra sanctificatio. Idq; fiat in singulis statibus.

Fidelis præco sit in doctrina, vita & moribus irreprehensibilis, 1. Tim. 3. Typus fidelium in sermone, conversatione, dilectione, in spiritu, in fide & pietate, ne quod docendo ædificat, malè vivendo destruat: quoniam, judice Augustino, bene docere & malè vivere, nihil aliud est, quam viva voce seipsum damnare, idq; illi faciunt qui docentes alios seipsos non docent. Rom. 2. v. 21. Quid quæso potator, scortator, avarus, contentiosus, superbus alios arguat?

Magistratus jure procedat, tyrannidem fugiat, nec iniquitatis labe conscientiam conspurcet, sed componat se ad expemlum Mosis, Num. 16. v. 15. & Samuelis. 1. Sam. 12. v. 3.

Patresfamilias pietatis & virtutis exemplo præluceant familiæ & soboli, Matt. 18. ut sic exempla parentur, nec scelerum ponderę oneretur conscientia.

II. Ut sermonem Dei, ceu illos decet qui ex Deo sunt, ad Deumq; perduci cupiunt, diligenter audiamus. Unaquæq; res suo simili gaudet; miles armis, studiosus libris, avarus pecunia, ambitiosus honore. Quisquis ergo Dei Spiritu afflatus ex Deo est, divinis delectatur rebus, & qui Deum diligit, libenter de rebus divinis agit, qui autem Dei Spiritum non habet, Rom. 8. non est ejus. Ejusmodi homines ad omnes Dei voces, omnia ejus promissa & blandimenta, omnes minas & flagella, si quoq; moriatur conjunx, soboles, &c. planè sunt insensibiles, nec lux aliqua obstructæ illorum menti affulget; similes enim aspidibus, Psal. 58. v. 5, 6. & obturantes aures, alteram

terræ

terræ affigunt terrenorum bonorum desiderio impliciti, alteram cauda obstruunt, in eam missa cauda scilicet Draconis antiqui, & sic prorsus surdi ad concionatorum voces efficiuntur. Sed cum summa reverentia studio & attentione audiendum est Verbum Dei, sicut Regiæ literæ in senatu, cum multa omnium leguntur attentione & silentio. Cumq; duplex sit auditus Verbi divini, externus scilicet auribus quem homines sua vi præstare possunt, licèt, cum Satanas ubiq; præsens sit, Luc. 8. multi tantùm sonum percipiant, nec cor moveatur: Et internus verè salutaris qui non consistit in viribus humanis, quando verbum rectè intelligitur & cor ardet, Luc. 24. Spiritus Sancti adminiculo, quod arduè precibus à Deo impetrandum est, ut juxta Augustinum admonitionem intus doceat, qui Cathedrã habet in cælis. Ne auditores tantùm sed factores simus, Rom. 2. Jac. 1. quia intellectus bonus omnibus facientibus ea. Psal. III. Quid prodesset spaciari in hortis amœnis, nec fruteta & herbas contemplari, decerpere & cõtrectare? Ad quid faceret emere aromata, & emta non masticare? Vel aquæ puræ hydriam replere, eam autem in via frangere, vel infusam lymphã profundere? Sic enim frustra aditur speculum, Jac. 1. v. 23. & ad tibiæ cantum non saltatur, Matt. II. v. 17. sed ingestum medicamen evomitur, Matt. 5. & ocioси auditores semetipsos decipiunt, quoniam Verbum divinum, quod, Augustino teste, sicut pluvia simul super segetes & super spinas cadit, illis odor mortis erit ad mortem.

III. Ut loquamur veritatem unusquisq; cum proximo suo & detestemur mendacia. Mundus hic veritati apertissimè refragatur, & eã vehementer impugnat. Hinc Achab, 1. Reg. 22. Rex Israel odit Michæam filium Jemlæ, quod divino spiritu ductus vera prædiceret, quæ eventus postea cõprobavit, & tamẽ Rex amentissimus, quæ cupiebat infeliciter exequi maluit. Nos autem cum semper vera pronunciet Deus, & Verbum ejus ipsa sit veritas, ipsi fidem habeamus, monitiq; per Dei legatos, quærere Regnum Dei, Matt. 6. hodie converti, Psal. 94. reconciliari fratribus, Mat. 5. 18. castè vivere,

quasi

quasi hæc audiamus ex ore Dei credamus; ne aliquando hæc amica vox Salvatoris: Si veritatem dico cur non habetis mihi fidem? Dei contra nos causam confirmet, nos accuset, Joh. 5. v. 45. & contra nos sit in testimonium. Deut. 31. v. 26. Nec illa tantùm credamus quæ desiderijs & voluptatibus nostris nihil detrahunt; verùm etiam illa quæ cum carnis molestia, rerumq; nostrarum jactura & detrimento credenda veniunt.

III.

Victoria Fidei Triplex, ut idem qui Abrahæ Deus sit scutũ nostrũ & merces nostra magna. Gen. 15. v. 1.

David cum Philistæo Goliath monomachia congredi volens, diligenter ab ijs qui in exercitu Saulis erant, 1. Sam. 17. quærebat, quo præmio victor afficiendus esset. Hæc enim humani ingenij natura est, ut non facilè ad res arduas aggrediendas, nisi magna spe proposita, inducamur. Monstratur autem in hoc Evangelio, si quis Verbum Dei libenter audiat, diligenter attendat, promtè pareat & factis exprimat, quam inde mercedem relaturus sit; dum verus Elohe seu Deus juramenti juramento duplici promissionem confirmat, velut benignus Pater, qui non tantùm jubet & minitatur; sed filios debitores largis etiam pollicitationibus ad obedientiam invitat.

I. Quod si quis sermonem Christi servaverit, mortem non videbit in æternum, nec primam nec secundam mortem timebit, sed placidè diem obibit & ab æterna morte liberabitur. Apoc. 2. v. 11. Est autem mors secunda mors peccatorum, Psal. 34. in stagno ardenti igne & sulphure, Apoc. 21. v. 8. mors animæ, definiente Augustino, lib. 13. de civit. Dei cap. 2. cum eam deserit Deus, ut fumus cruciatuum ejus descendat in secula seculorum, nec requiem habeat die vel nocte; Apoc. 14. v. 11. quærat mortem nec inveniat, desideretq; mori, sed fugiat mors ab ea. Apoc. 9. v. 6. Cum aliàs contra vim mortis non herbula crescat in hortis; nec quis valetudinem continuam

auro redimere possit vel ad octiduum; nec quis senior, quod multi optarent, possit juvenescere, tam præstans & probatissimus ad opitulandum magister Christus est, Esa. 63. ut remedia contra mortem æternam suppeditet, Joh. 3. & observatores Verbi sui à morte secunda defendat: quia mors prima mors corporis est, nec nocet animæ. Quod ad corpus attinet. *Quod enim ad corpus attinet tam pius, quàm impius potestati mortis subjectus est. Gen. 3. Rom. 6. Ebr. 9. Item dolores mortis uterq; sentit, & omnes resurgent impij ad ignominiam, pij verò ad gloriam. Phil. 3. Matt. 22. 1. Cor. 15.* Quod ad animam. *Quod autem ad animam magna erit differentia; quia impiorum anima, cùm vera consolatione destituantur, cogitantes de morte vel sentientes aculeum ejus contremiscunt. Item cum neglexerint Verbum Dei, nec didicerunt artem in Christo bene moriendi, cum gemitu abeunt, & præcipites ruunt in mortem secundam. Ah quantos æstus, metum & mœrorem jam morti proximi patiũtur: hinc enim voluptatum præsentium quas modò deserunt abdicatio, inde reddendæ rationis & suppliciorum metus animos eorum concutit, interdum torquente eos violentius morbo mortem, quo dolores tollantur desiderare coguntur, sed ponderata futurorum tormentorum magnitudine ij, qui exire desiderabant manere iterum cupiunt, nec quo se vertant, aut quid consilij captent norunt. Sic Aristoles & Adrianus Imperator & alij quàm plurimi in agone dubij vacillarunt, Saul & Judas ad desperationem adacti sunt. Pij è contra Verbo Dei refecti cupiunt dissolvi, Phil. 1. & dimitti. Luc. 2. Insuper mortis aculeum non sentiunt, sed suavissimè obdormiunt, & transferuntur in Paradisum. Luc. 23. Imò mors eorum somnus est, ad cujus impetum quidem contristantur, sed 2. Cor. 4. v. 8. non hæsitant. Propter malitiam suam expellitur impius, sperat autem in morte sua justus. Prov. 14. v. 32. Sic Abraham, Gen. 12. & 25. Elias, 1. Reg. 19. David, Psal. 31. 55. trepidantes primùm, postea victores evaserunt; nec nocuit illis mors secunda, sed eorum animæ in manu Dei, Sap. 3. felices: quia mortui sunt in Domino, Apoc. 14. qui potestatem morti ademit. 1. Tim. 2. Basilius jussu Valentis Imperatoris*

ratoris supplicio afficiendus, respondit: Utinam mihi esset aliquid digni muneris, quod offerrem ei qui maturius Basilium de nodo follis hujus absolveret. Cumq; daretur ei nox media ad deliberandum, Ego, inquit, crastino idem ero qui nunc, tu utinam non mutareris. Cyprianus carnifici non solùm jugulum prabuit, sed viginti auri minas pro hoc beneficio ipsi numerari jussit. Cumq; sententia ex more recitata esset: Statius Cæcilius Cyprianus gladio feriatur, sanctus Dei respondit: Amen.

In morte duo acerba & formidabilia hominibus occurrunt, scilicet Reddendæ rationis & sortis futuræ metus; Voluptatumq; & deliciarum hujus seculi abdicatio. In morte duo acerba & formidabilia hominibus occurrunt. *Quicunq; autem sermonem Christi servaverit, illum nihil horum cruciat: quia timenti Dominum bene erit in extremis, & in die emigrationis suæ benedicetur. Syr. 1. v. 13. Hinc ingruente hora mortis & judicij cum extrema calamitas impijs impendet, homo pius gratulatur sibi de appropinquatione liberationis suæ. Et quoniam voluptas ejus in Dei cognitione atq; cultu posita fuit, gaudet per mortem Deum rectiùs agnoscere & ardentiùs amare, optatq; tanta jucunditate posse frui. Phil. 1.*

Vita mihi Christus, mihi mors est nobile lucrum,
Quid vitam, lucrum quid trepidem ipse meum?

II. *Quod cum Abrahamo & sanctis omnibus, ut qui diem Domini JEsu in vera fide vidimus, Joh. 8. eundem in Deo viventium, Exod. 3. perfectissimè spectantes gavisuri simus in Vita æterna. Luc. 10. Est nobis Una fides & Unicum salutis iter, Ebr. 13. per cujus gratiam salvari credimus sicut & patres, Apoc. 15: quia mactatus est Agnus Dei ab initio seculi. Apoc. 15. Vidit diem Christi Abrahamus, Cyrillo interprete, quando in Spiritu cognovit Christum ex stirpe sua nascendum: Quando super femur ejus juravit Eleazarus; Quando Trinitatem hospitio excepit, Gen. 18: Et Isaacum immolare voluit, Gen. 22. repetita promissione: In semine tuo, &c. Idq; imputatum est ei ad justitiam. Videmus nos diem Christi, non equidem corporaliter sicut improbi Judæi, unde damnatio eorum*

justior est; nec corporaliter & spiritualiter simul, quæ prærogativa solis Apostolis, & pijs illius seculi hominibus concessa fuit : sed spiritualiter tantùm, quando Verbum de Christo cum gaudio recipimus, & in recordationem ejus Sacramentis fruimur. Sed in futuro seculo videbimus ipsum à facie ad faciem. Job. 19. Bernard. Triplici morbo hîc laborat genus humanum, Principio, Medio & Fine. Nativitas immunda, vita perversa, mors periculosa, sed in vera fide dimissis dabitur quies imperturbabilis, Ebr. 4. aspectus delectabilis, Psal. 17. opulentia inexhausta. Quia gloria & divitiæ erunt in domo Domini, Psal. 112. nec quid jucundius, quàm videre Deum. August. In illa æterna beatitudine quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur, quod non aderit. Omne quod ibi erit bonum erit, & summus Deus summum Bonum erit. Et quod est omnium beatissimum, scilicet videre Christum, id semper certum erit.

III. Quod in die extremi Judicij Christus manifestò apparebit, nec se subducendo abscondet, quod hostes Crucis ejus, sed frustra facere conabuntur. Apoc. 6. Sed nobis, qui templum Dei in hac vita sumus, 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. in quibus ipse habitavit, sese revelabit, nec à nobis unquam discedet. Abitus atq; obitus amicorum dū hîc vivitur frequenter mœrori ac dolori ansam præbent, sed in futura vita in Christo ac coram Christo conversatio nostra erit jucunda & perpetua; quando aperietur templum Dei in cœlo, Apoc. 11. v. 19. & videbitur arca fœderis ejus in templo cœlesti,

Nec sanctos Saxis improba turba petet;

siquidem in mansionibus Dei tutissimè habitabunt; nec à Deo abigentur unquam. Hanc suam in Deum fiduciam atq; spem Michæas in persona Sanctorum ostendit, cap. 7. v. 8. 9. & 10: Si sedero in tenebris, Jehovah lux mea erit, &c. educet me in lucem, videbo justiciã ejus.

Dominica Palmarum.

DE POMPA REGIS CHRISTI.

Evan-

Evangelium Matt. 21. à v. 1. usq; ad v. 10.

Marc. 11. Luc. 19. Joh. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Ffieij nostri est, ut vos solutos senes ac juvenes ad Christum adducamus; Vestrum est sponte ac diligenter sequi, ut sic augeatur numerus Electorum, & in cœlesti Hierosolyma Deum concelebremus. Ideoq; ut & hodie pro ratione officij nostri aliquid laude dignum in gloriam Dei, nostreq; salutis promotionem efficiamus, sic ut virtute Verbi divini multi liberentur à vinculis Satanæ, impetrabimus à Deo Patre auxilium Spiritus Sancti fruentes merito atq; intercessione JEsu Christi. Pat: nost: &c.

Exordium Propheticum.

Esa. 62. v. 11. Dicite filiæ Zion: Ecce salus tua venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo. Docet hoc Evangelium ingressum esse in urbem Zionis Christum conventu publico, & forma atq; comitatu vili & despecto, ut sua paupertate nobis divitias æternæ mercedis cumularet. 2. Cor. 8. Sic tamen ut ediderit insignia, miracula divina, quod ejus pedibus cuncta essent subjecta, Psal. 8. v. 7; quare & parvuli cum lactentibus gloriam ejus decantarunt. Ibid. v. 3.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

DUm sponte Christus hostibus
Occurrit ad mortem Crucis
Cum matre pullum postulat,
Vectusq; in Urbem ducitur,
Propheta ceu descripserat,
Regem Zionis pauperem,

Mitem, bonum, justissimum,
Qui nos ab orco liberat.
Adducta bruta vestibus,
Viamq; passim frondibus
Ornant. Hosianna clamitant,
Christo Deo sit gloria.

TRIPLEX VIATICUM SPIRITUALE PRO FELICITER ABSOLVENDO VITÆ HUIUS CURRICULO EX HOC TEXTU.

I.
Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod hic Jesus asinâ vectus, de quo dubitarunt Judæi, verba Zachariæ de Esra & Maccabæo interpretantes, & adhuc dubitant, sit promissus Messias mundi Redemtor: 1. Promissus erat Judæis, ideo de tribu Juda, cujus parens fuit Jacob, avus Isaac, proavus Abraham, natus est, & in isto populo se manifestavit. Act. 13. v. 46. 2. Convenit nota temporis ex Testamento Jacob. Gen. 49. Esa. 11. Dan. 9. 3. Miracula quibus se illustrem egit. Esa. 35. 4. Testatur se ut Regem Israelis potestatem habere in hunc populum & corda eorum. 5. Accedit Zachariæ testimonium de hoc ingressu. Fuit quidem hoc cum alijs collatum signum exiguum, sed tamen pro confirmanda fide cum alijs copulatum personam Salvatoris velut digito monstravit. 6. Confessio hujus populi opus fuit Spiritus Sancti. 7. Christus templum domum suam dicit. 8. Idem purgat, & corda mercantium peculiari spiritus impetu incusso ipsis terrere langue facit. 9. Excitat Lazarum vermescentem. 10. Vox Patris è Cælo auditur. Joh. 12. v. 28. sicut & Matt. 3. v. 17. 11. Accedit infantium confessio. Psal. 8. 12. Duæ sunt in hoc Heroë gemina substantiæ naturæ, quoniam

Sic Homo sic Deus est, non ut sit alter & alter.

Christum esse Deum, quod negarunt Ebion, Paulus Samosatenus, Arius

Arius Photinus & alij, testatur: 1. Scriptura sancta. Psal. 2. 45. 47. 89. Joh. 20. II. Nomina soli Deo competentia, Esa. 42. Jer. 23: Jehovah. Johan. 1. Λόγος. Col. 1. Splendor patris, etc. III. Symbolū Apostolicum. IV. Æternitas. Joh. 1. 8. Matt. 22. V. Creatio. Joh. 1. Col. 1. VI. Omnipotentia. Joh. 5. Psal. 114. VII. Omnipræsentia. Joh. 1. Mat. 18. 28. VIII. Omniscientia, qua fidem & cogitationes hominū agnoscit. Mat. 9. Joh. 2. IX. Inthronisatio. Matth. 3. X. Adoratio. Psal. 2. Phil. 2. Ebr. 1. XI. Divina beneficia, quod tollat peccata, Joh. 1. mortem aboleat, 1. Cor. 15 destruat opera Satanæ, 1. Joh. 3. vitam donet æternam. Joh. 10. XII. Miracula passim descriptas quia & à morte revixit. In hac tandem historia absens videt asinā sicut & Joh. 1. Nathanaëlem sub ficu. Novit cogitationes & eventus eorum, absensq; moderatur corda ad nutum suum. Sic Matt. 16. dat monetam ex ore piscis. Joh 4. Numerat viros fœminæ Samaritanæ, quod utinam notarent scortatores & meretriculæ, & Luc. 22. præmonstrat circumstantias præparandi Agni paschalis.

Christum esse Hominem, Semen mulieris, Gen. 3. Fructum ventris Mariæ, Luc. 1. Consortem cum pueris in carne & sanguine, Ebr. 2. quod credere noluerunt Marcion, Manes, Appollinaristæ, Anabaptistæ &c. testatur: 1. Scriptura sacrosancta, Mat. 8. 25. Joh. 5. Luc. 19. 1. Tim. 2: quia dicitur Filius Hominis. 2. Symbolum Apostolicum. 3. Quia habet corpus & animam. Verbum Caro factum est, Joh. 1. & contristata est anima ejus usq; ad mortem, Damasc. Totus totum me assumsit, ut toti mihi salutem gratificaretur. 4. Corpus habuit finitum, visibile, palpabile. Conclusus enim est in utero, positus in præsepio, sublatus in ulnas, conditus in sepulchro, contrectatus inde à Discipulis, & quod semel assumsit nunquam deposuit. 5. Crescit in quantitate. Luc. 2. Lentulus staturam Christi misit Romano Senatui, quæ fuit trium ulnarum cum dimidia exceptis duobus latis digitis. 6. Esurit, Matt. 4. & in Cruce sitit. 7. Comedit, Esa. 7. in cœna & post Resurrectionem 8. Dormit. Matt. 8. 9. Gaudet. Luc. 10. 10. Luget. Matt. 26. 11. Lachrymas mittit, Matth. 23. Joh. 11. Statura Christi.

13. Not-

13. Notantur circumstantiæ locorum: In Nazareth conceptus; in Bethlehem natus; in templo oblatus est; fugit in Ægyptum, & sic de loco in locum migrat. 14. Captus & ligatus patitur. 15. Moritur. In hac historia dicitur Filius David radix Jessæ, Esa. 11. vehitur asina; manu sua subvertit mensas numulariorum; esurit, Mat. 21. v. 18. & lachrymatur in hoc itinere.

II. Quod Regnum Christi, cujus adventum cotidie regamus, sit spirituale nec de hoc mundo. Joh. 18. v. 36. Quare nec cum Regia pompa & luxu politico ingressus est; nec in principio Regni sui, sed instante morte; nec in arce Zion aut splendido aliquo palatio, sed in templo inventus est diverti: quia nec Cæsari censum, nec Herodi sceptrum, nec Pilato tribunal adimere voluit. De hoc ergo Regno gratulatur sibi latro in Cruce, Luc. 23. v. 42: Quoniam illud amplissimum est per totum orbem, Psal. 72. à mari usq; ad mare, Zach. 9. nec certis limitibus circumscriptum ceu regna hujus mundi. Adhæc infinitum, Luc. 1. ab initio ad finem & perpetuò durans, in quo post mortem nostri recordatur: quia ab Antiquo dierum, Dan. 7. potestatâ donatus est infinita.

Et ipse Christus Rex verè mansvetus est, qui Regnum suum ita auspicatur, constituit & administrat, nosq; ab hostibus invisibilibus & æterna morte liberat: 1. Ne onera subditis imponat, sed illa quæ nobis impesita sunt removeat & tollat, ne sub onere peccati ruamus in Gehennam. Mat. 11. v. 28. Psal. 68. Onus salutis nostræ causa impositum, 1. Cor. 10. 11. nobiscum baiulat. Mundani Reges cùm nudi aliorum hominum more nascantur alienis bonis locupletantur, & subditos suos non tam ditant, quàm spoliant; Christus autem universorum hæres bona sua in nos transfundit, ijsq; nos facit ditiores, illaq; in plures distributa non minuuntur, sed fluunt velut oleum viduæ. 1. Reg 17. 2. Reg. 4. 2. Ne deglubat subditos suos intolerabilibus exactionibus, sed pauper veniens nos divitijs augeat. 2. Cor. 8. Mũdani Reges cum ære alieno opprimuntur tributa nova exigunt, ut sic debitorum onera excutiant; sed hic Rex assumtis in se oneribus gravissimis

vissimè debita nostra immensa, Joh. 9. Matt. 18. ipse solvit. Psal. 69. Esa. 53. Postulat quidem decimas, sed de proprio suo: quia ipse aperit fenestras Cæli, si ipse largitur centuplum, est quod fideliter erogemus decimas, & minus ubi parum donat, Malach. 3. v. 10. & postulat non sibi sed nobis ut templa & sacerdotes conserventur. 3. Nec in aciem producit subditos, ut pro Rege hoc sanguinem fundant defendendo, sed ipse in aciem pro nobis progressus sanguinem cum vita fudit, ut nos de laeu mortis liberaret. Zach. 9. Durum fuit imperium Regis primi Saulis. 1. Sam. 2. Salomon subditis durissimum jugum imposuit. Roboam filius Patre fuit deterior, 1. Reg. 12. v. 4. & 11: sed jucundissimum & præstantissimum est Messiæ Regnum: nec hoc Rege quid mirabilius, amabilius aut optabilius. Quia venit nobis justus, nec amisso hoc justificatore quis salvabitur; veri & potentissimi Reges solius Christi misericordia justitiam capiunt. 2. Cor. 5. Eum qui non novit peccatum, quod in nobis copiosissimum, fecit Deus peccatum, ut nos efficeremur Dei justitia in ipso, per Christi justitiam communicativam, passivam & imputatam qua nos justificamur. Venit nobis opitulator JEsus, largitur pacem Gentibus, & liberat populum suum, Mat. 1. ab hostibus invisibilibus crudelissimis, quales sunt Caro, dum vetus homo simul crucifixus est, Rom. 6: Mundus quem Christus vicit, Joh. 16: Lex quam pro nobis implevit: Peccatum quod abstulit, Joh. 1. Mich. 7: Mors cui ademit hastam, 1. Cor. 15: Satan qui ejectus est foras & spoliatus, Luc. 11. Joh. 11: Infernum. Quia nihil damationis est in ijs, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8. per quem ab hostibus tantis palmam reportamus. Benedictus ergo Rex noster JEsus, & Beatus qui credit in eum.

III. Quod Christus summo & ineffabili nos prosequatur amore, quia non solùm bona infinita nobis largitur, sed etiam mala plurima pro nobis perpeti dignatus est: & pro nobis non tantùm ad præsepe asinorum, & ad vilem hunc equitatum, sed ad mortem usq; Crucis se exinanivit. Phil. 2. Quod propositio simili & historia

rectiùs intelligemus. Si Regis Filius à serpente ictus de vita periclitaretur, nec sine vitæ alienæ dispendio incolumitatem assequi posset, nimirum ut homo quis mortiferum venenũ de vulnere sugeret, certè bonorum consilio homo ad mortem condemnatus vel nullius frugis adigendus esset, ut Regis filij vulnus lamberet, ut sic vilioris hominis interitu vita principis servaretur. De Regina conjuge Roberti Regis Hyberniæ in pugna contra Syrios gladio venenato sauciati legitur, quod cum Rex subditis parcere & potius mori vellet, ipsa venenum ex vulnere dormientis Regis cautè admoto ore protraxerit. Sed modò prædictum invertamus, ut homo mancipi vel supplicio dignus, vel hostis eodem modo laboret, cumq; nullus sit, qui vulneris venenum sugere velit, unicum potentissimi Regis filium inveniri, qui ex misericordia se ultro ad tantum periculum offerat, & morte sua hominem flagitiosum servet. Rom. 5. v. 6. 8. Hoc autem excogitare nemo potuit, nec ulla charitas huc usq; pervenit. Sed præstitit hoc JEsus Christus Regis Regum filius. Sed ô Domine JEsu quid est homo, Psal. 8. v. 5. quod sic recorderis ejus & visites eum? Ejusq; vulnera livore & cruore tuo sanes? & tanto tuo incommodo commoda ejus requiras? cum nullum lucrum tibi propositum sit quod inde captes, tu qui nullius eges, nec quis quicquam habet quod tuum non sit. Pulsa jam cor, move caput & hæc rumina ô homo: quod si his non moveris quid amplius dicam nescio. Agnosce summum Christi amorem, qui nec Ecclesiæ membra quæ coram mundo debilia & ignobilia sunt contemnit, sed ea fortibus atq; sapientibus præfert. 1. Cor. 1. Cum enim potentiores Christum spernant, nec Herodes aut Caiphas aut quis Centurio adsit, pauperes & humiles Piscatores & Publicani, plebecula & pueri Christum comitantur, præeundo & sequendo cantantes Hosianna. Cumq; vulgus post quinq; dies in gratiam sacerdotum pro Hosianna canat Crucifige, nec unus ab eo sanatorum cum eo Crucem tollat, Simon Cyrenensis ultra 204. milliaria ab urbe Sancta sub finibus Africæ natus, ipsi condolet.

II.
Fructus Fidei Triplex.

Matt. 21. v. 19. Cum vidisset ficum Christus in via, nec quid nisi folia in ea inveniret, ne amplius ex te fructus nascatur, inquit, in seculum, & illico arefacta est ficus. Notum erat Christo hanc arborem esse sterilem nec tempus erat ferendi fructum, sed monstrare voluit, quomodo Judaei ceu malæ arbores execrationis fulmine feriendi essent, ut quisq; bonum ferat fructum.

I. Ut ea quibus indigemus venia & consensu possidentium obtineamus, nec injustè desideremus quæ sunt proximi nostri. Christus cum sit rerum omnium Creator & Dominus sine venia tamen Asinam non rapit, eoq; confirmat 7 9. & 10. præcepta, politicam ordinationem ac dominium; ne Reges & Principes aliiq; in eminentia constituti, liberum sibi existiment rapere, capere quid & quantum velint. In Achab & Jesabellam rapientes vineam Naboth, 1. Reg. 21. gravissimum pœnæ divinæ exemplum statutum est. Et potentes qui plus justo exigunt potenter tormenta patientur, Sap. 5. 6: quia licèt qui respondit æquum amisit equum, haud tamen omnia sunt Cæsaris, sed sua cuiq; possessio.

II. Ut illa quibus opus habet Dominus JEsus libenter contribuamus, nec legatis Dei importunis verbis obstrepamus. Marc. 11. v. 5. Nec hoc ociosè à Marco relatum est; significat enim nunquã defuturos qui Christi legatis vocibus importunis occlament, quia contra virum justum peccator, Syr. 38. nec rarò vicinus vicino scandalum præbet, eumq; ne ad Christum adducatur impedit & à virtutis studio avocat: Cur hoc vel illud facias? vide ne abeat in cõsuetudinem. Sicq; mundus fleat, sanè non conquiescunt Diaboli satellites, Job. 9. sed omnes omnium generum homines adoriantur, inprimis juniores, ut juvenili ætate liberius fruantur, Sap. 2. sedulò instigant spem facientes de prolixa ætate, & multa patientis Dei misericordia. Hinc David, Psal. 25, delictorum juventutis suæ ve-

niam petit. Nec quis est qui adolescentiæ suæ peccata non deplorēt sapiens. Sed non parcamus asinis & bobus nostris in honorem Christi, nec frondibus arborum nostrarum, nec vestibus nostris, illos imitati, qui ad conservationem ministerij & promulgationem Evāgelij, cujus solius causa tardat Dominus venire ad judicium, infideliter contribuunt, decimasq; & oblationes mordicùs retinent, nec curias pastorales sartas tectas præstant. Sed divitias suas Vulcano & Marti reservant, ut quod non capit Christus, rapiat fiscus simul cum visceribus. Syr. 35. Esa. 49. Hinc nec replentur horrea, nec torculari opus est. Prov 3. Mal. 3. Ose. 2. Habent Reges & Principes insignes caballos, cumq; propter vilem Regionis partem & jus exiguum in sanguine equitare parati sint, vix uni propter gloriam Christi ephippium imponunt, nec ullus protrahet eos ex inferno. Nec tantùm sordidi homines qui Deo & Apostolis detrahunt, iram ac maledictionem Dei super se cumulant, ut cogantur equos & boves corvis dare, ramos alijs relinquere, vestes cum labore & dolore conterere; verùm etiam, quod maximè dolendum est, Doctores Ecclesiæ officij sui faciunt pertæsos. Hoc Satanas quærit cui obnixè resistendum est, ne impatientes dicamus: Koppern Gelt / Koppern Seelmiß.

III. Ut amplectamur testimonium Verbi divini, &, quoniam Matthæus qui Hebraicè scripsit h. l. citat Græcum Zachariæ textum, discamus idiomata linguarum, loquamurq; ex scripturas siquidem ipse Filius Dei in contextu allegat. Esa. 62. v. 7. & Jer. 7. v. 11. Scrutanda est scriptura, Joh. 5. juxta quam omnia cum Christo peracta sunt. 1. Cor. 15. Sic ornentur conciones, quoniam hunc in finem mirabili Dei providentia conscripta & conservata sunt Biblia. Conatus quidem est Satan per sua membra hunc librum supprimere: 2 Paral. 34. in diebus Josiæ magna illius pars amissa fuit. Esa. 36. Multæ conciones ab impio Joakim in ignem conjectæ sunt. 1. Mac. 1. Antiochus libros Mosis & Prophetarum passim cremavit; qua crudelitate nec Antiocho quid jucundius fuit. In Papatu à Laicis legi sunt:

nec Diocletiano

gi sunt prohibita. Sed modo cuiq; in lingua materna offerũtur. Pro hoc ergo tanto beneficio, & quod vaticinium Zachariæ à Christo impletum sit, tam pueri quàm senes Hosanna concinamus; quia gloria Dei nunquam supprimenda est, quam si nos tacendo prætereamus, vel lapides, Luc. 19. v. 40. prædicabunt, idq;, licèt hyperbolen sapere videatur, in Passione tamen Domini expletum est, velut & Habac. 3. v. 11. scriptum extat: Lapides ex muris clamabunt contra te, & ligna ex structuris respondebunt eis. Si per singulos dies, inquit Chrysost. mortem subiremus pro eo qui nos sic dilexit, non tamen meritum hoc, vel minimam ejus partem exsolveremus. Continuis ergo laudibus cantemus Hosanna, Benedictus qui venit quærere & salvum facere quod perierat.

Olim Levit. 23. Festum Tabernaculorum ramos Palmarum & salicum gestantes septem diebus filij Israel celebrare jussi sunt, ut gratias agerent pro eductione ex Ægypto, & habitatione in deserto. David de manu Saulis liberatus pro brevi salute & exiguo temporali Regno suavissimum Psalmum toto corde cecinit: Diligam te Domine Fortitudo mea, Dominus Refugium meum & Liberator meus. Tres Viri ex fornace Babylonica erepti omnes creaturas in cælo, solo & salo ad prædicandum Dei liberatoris amorem secum excitarunt. Quid nos qui de potestate Satanæ erepti, ab æternis flammis liberati & Regni cælestis hæredes per Christum effecti sumus facere par est?

III.

Finis Fidei Triplex.

Quoniam merces Christi cum illo, Esa. 62. v. 11. quod ipse repetit Apoc. 22. v. 12: Ecce venio citò; & merces mea mecum est, ut reddam unicuiq; prout opus ipsius erit.

I. Quod adventus Christi ad Judicium non erit nobis terribilis, quando ipse non quidem asinâ, nec pullo indigebit, sed cum gloria & majestate apparebit in nubibus; quando impij quod hic parata amiserunt optabunt, si fieri posset, Iudicis aspectum fugere. Apoc. 6.

Nos autem lætabimur quod venerit liberatio nostra, verèq; videbimus quanta fuerit erga nos Dei dilectio, cum Mose dicentes Deut 33. v.3: Omnes sancti ejus sunt in manu tua. Lenitas & mansvetudo Regem exorabilem faciunt sperantibus, feroces contra & armis stipatos fugimus. Cumq; terrenorum Regum insignia sint Leones, Dracones, Ursi & Aquilæ, ut hominibus admirationem & timorem ingerant, Regis nostri insigne mansvetus est Agnus; & lætabimur in nuptijs Agni. Apoc. 19. v. 7.

II. Quod in Bethphage in Monte ac Civitate pacis maxillis nostris Deum celebraturi simus, quando impletum fuerit quodcunq; dictum est per Prophetas, & Hosianna Haselihain æternum cantabimus Benedicto, qui venit in nomine Domini. Ambrosius his duobus jumentis Adamū & Evam adumbrari scribit, quod, Psal. 49. v. 13. Homo abjecto honore similis factus sit jumentis insipientibus, & improbus homo inter cuncta animalia sit nocentissimus, ceu disputat Arist. in Ethic. quandoquidem improbitas ingenij acumine munita est, tanquam equus & mulus, Psal. 32. v. 9. reijciens camum, calcar & frænum, quorum altero tarditati, altero jumentorum celeritati consulitur. Jumenta illa non habent certam domum nec certum possessorem, sed multorum servitio destinata: Sic Homo varijs negocijs intricatus alijs inserviendo consumitur. Jumenta illa ligata docent improbos funibus peccatorum Satanæ retibus & variarum cupiditatum vinculis atq; compedibus constrictos esse. 2. Tim. 2. v. 26. Jumenta hæc, teste Ambrosio, in bivio viatores expectarunt à quibus solverentur. Via est vita nostra qua nihil incertius & singulis horis mors expectanda, quæ jussu Dei porrecta manu nos hinc detrahat, ut eripiamur ex isto corpore mortis, Rom. 7. v. 24. dissolvamurq; & simus cum Christo. Phil. 1. Jumenta hæc solvunt Apostoli: Ex merito & misericordia Christi solvimur Apostolica authoritate hîc in terris remisso peccatorum agmine, Matt. 18. ut per absolutionem fiat lux in cordibus nostris, seu in prima creatione. Gen. 1. Et velut Angelo percutiente latus Petri, Act. 12. v. 7, excidant catenæ ex manibus

nibus nostris, ut in veram libertatem asseramur. Joh. 8. Jumenta hæc ornantur vestibus: Decorabitur anima nostra non foliis ficuum, Gen. 3; non purpura & bysso, Luc. 16; non vestibus Regijs qualibus Jonathan Davidem ornavit, & Pharao Josephum, & Balthasar Danielem Dan. 5. v. 29; non vestibus paternis tantùm & Apostolicis Luc. 15; nec veste Salvatoris quam missa sorte dispertiverunt milites. Matt. 27. v. 35. Psal. 22. v. 19. Sed vera, sancta & immaculata veste justitiæ, quam Christus sua nuditate promeruit. Esa. 61. Mat. 20. Gal. 3. Sic tandem ducimur cum agmine cantantium laudes Christi ad pacem & visionem pacis; ubi Spiritus Sanctus, velut columba Noachi, Genes. 8. v. 11. tempore hujus mundi vespertino signum perpetuæ pacis proferet,

Paciferæq; manu ramum prætendet olivæ. Æneid. 8.

Quia postea peccatum non regnabit amplius, nec Diluvium ultra futurum.

III. Quoniã fortius assurgens duro sub pondere Palma se contra onus attollit, Gel. lib. 3. cap. 6. Plin. lib. 13. cap. 4; Et justus instar Palmæ florebit, Psal. 92; Et Palma in locis crescit aridioribus, Jer. 17; Et Palmæ crescunt numerosæ sicut in Elim. Exod. 16. Quæ singula Ecclesiæ ejusq; membris conveniunt. Fructus præterea Palmarum, referente Pausania, viperis venenum & mors est: Et Templum Salomonis, 2. Parat. 3. v. 5. Palmis ornatum fuit, Templũq; Corporis Christi, Joh. 2. cui nos inserti sumus perpetuò invictum manet, & viride; unde & templa Spiritus Sancti corda nostra florebunt. Cumq; Apoc. 7. v. 9. quæ est victoria victoriarum, turba multa innumerabilis ex omnibus Gentibus ante thronum Dei in conspectu Agni Palmas in manibus gerat, quod & nos devicto hostibus nostris die Palmarum nunquam finiendo Palmas in manibus gestantes Deum concelebrabimus dicentes: Salus Deo nostro & Agno, Hosanna filio David, Pax in Cœlo, Hosanna & gloria in Altissimis. Quia Deus in Altissimis per Christum rectè agnoscetur. Et Christus in Altissimis regnabit. Et subditi Christi in Altissimis

honore

honore afficientur. Eò multos piè præmisimus, & eum primùs transferemur ad illos, &c.

DE EXCOMMUNICATIONE, QUÆ MANdatur in Ordinatione Regiâ in parte 2. cap. 10. fol. 50.

SIcut olim Philistæi, Gen. 26. v. 18. in diebus Isaci puteos quos servi Abrahæ foderant invidia excitati ruderibus & terra opplebãt, & obstruebant: ita generis humani hostes vitæ fontes aqua salutifera scaturientes obstruere, & præcipua Christi Festa ab Ecclesia in ejus laudes & nostram salutem instituta terrenarum voluptatum pulvere fœdare, & in carnales delicias convertere conantur, dieſq; quos JEsus Christus merito suo sanctos fecit & glorioſos, abominabiles atq; cruentos reddere satagunt; ne peccatores in viam salutis conversi tantis bonis & donis, de quibus in Festis agitur, fruantur. Adhibetur ergo severior disciplina Excommunicationis, quali & Paulus utebatur, 1. Cor. 5. v. 5. & ex illa Tria decerpuntur.

I.
Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod licèt hic non revelentur, & per Excommunicationis fulmen non discutiantur, nulla tamen Deum lateant delicta. Psal. 139. v. 4. Matt. 12. v. 36. Joh. 2. v. 25. Unde Philosophus interrogatus num Deum latere possit malè agens? respondit ne quidem malè cogitans. Puniebantur ergo propter delicta in occulto commissa Cain. Gen. 4. v. 10. Achan. Jos. 7. v. 21. Gehasi. 2. Reg. 5. v. 26. Ananias & Sapphyra. Act. 5. v. 5. & 10.

II. Quod Excommunicatio non sit Fulmen brutum, sed severissima correptio, & horrenda maledictio, qua homo tanquam membrum putridum ab Ecclesia Corpore Christi rescinditur, idq; in Cœlo ratum est, nec deest exsecutio, quod exempla docent plurima, & multi in agone experiuntur.

III. Quod

III. *Quod nec domi latentes, nec contumaciter reluctantes, nec hypocriticè pœnitentes iram effugiant divinam. Syr. 16. v. 15. & 16.*

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. *Ut pij homines alacriter fugiant delicta, nec habeant commercium cum Excommunicatis, Psal. 1. v. 1. Psal. 50. v. 18: quia plurimum valet conversatio, & tales ferè esse solent homines quales ij sunt cum quibus conversantur. Prov. 15. Qui cum sapientibus graditur sapiens est. Eccle. 13. Qui picem tangit maculatur. Ferrum durissimum omnia domat metalla, si tamen in terram defodiatur, consumta & deposita omni duritie in mollem terram vertitur: Quid ergo non faciat Cor carneum? Chrysost. Sic ferè habet ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melior, sed ex malo bonus fit aliquando deterior.*

II. *Ut unusquisq; hortetur proximum suum dies noctesq; orationis studio & rerum divinarum meditationi intendere, atq; mundo se abdicare. Chrysost. in Matth. Ut difficile est arborem juxta viam positam fructus usq; ad maturitatem servare: sic difficile est virum juxta hunc mundum vel in actionibus mundi viventem justitiam immaculatam usq; ad finem tenere.*

III. *Ut Excommunicati dent Jehovæ gloriam, Jos. 7. v. 19. confiteantur delicta, verè indoleant quod summum Bonum amiserint. Si mater amissum filium, & conjunx defunctum maritum lachrymis prosequitur, si dolemus ob amissum honorem, ob amissam peccuniam; nec dolet homo se Deum peccando amisisse, certè ille Deum non diligit sed manet in morte; nec cum absit dolor vulneris, est aliquod sanitatis indicium. Diligant ergo correptionem, Psal. 141. v. 5. seq; humilient coram Deo & Verbi ministris, sicut Imperator Theodosius coram Episcopo Ambrosio. Necquis pro occultandis peccatis cum Juda indignè manducet.*

III.

Finis Fidei Triplex.

I. Quod in homine peccata & insanabiles peccatores seu leprosos fugiente Deus, velut Salomon in saltu Libanon, habitet cui alia domus erat in Zion. Et cum quo Deus est, teste Bernardo, ille nunquam minùs solus est, quàm cum solus; & perpetuò habitabit in monte sancto Jehovæ. Psal. 15.

II. Quod licèt temporali pœna visitaturus sit Deus delicta, ut in Adam, Achan, David, parcere tamen velit in æternum, modò agatur pœnitentia. Impœnitentes autem in cruciatu perpetuo semper dolebunt, nec absolventur. Oremus ergo cum Bernardo: Hic ure, hîc seca, &c. & eligamus cum Imperatore Mauritio hîc pœnam scelerum luere. &c.

III. Quod etiam per Excommunicationem ligati, si à verbi Ministro solvantur, in novissimo die Benedictis æterni Patris, Mat. 25. annumerabuntur.

In Festo Annunciationis Mariæ.

DE INCARNATIONE FILII DEI, QUÆ FACTA EST, ANNO MUNDI 3967. DIE 25. MARTII.

Evangelium Luc. 1. à v. 26. usq; ad v. 39.

Præfatio Supplex.

Cum Angeli delectentur Evangelio, 1. Pet. 1. imò ipsi lætissimum Evangelium protulerint de Conceptione Christi, Luc. 1. de Nativitate, Luc. 2. Resurrectione, Ascensione & Reditu novissimo. Act. 1. Multò rectiùs nos, quorum salutis cardo hîc vertitur, attendimus, ut sic confirmetur Fides nostra

noſtra, fiatq; nobis juxta Verbum Domini, ut credentes ſalvemur, & perpetuò cum Chriſto regnemus. Faxit hoc Jeſus Chriſtus, in cujus nomine invocabimus Deum Patrem, ut effundat ſuper nos Spiritum Sanctum. Pat. noſt. &c.

Exordium Propheticum.

Jer. 31. v. 22. Creabit Jehovah novum in terra, fœmina circumdabit virum, ut Semen Mulieris conterat caput Draconis, Gen. 3. quæ promiſſio hoc die, ceu textus docet, impleta eſt, dum propter nos homines & propter noſtram ſalutem Chriſtus deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto. Et accinxit ſe gladio ſuo ſuper femur potens gloria & decore, Pſal. 45. v. 4. ut terribilia efficeret dextra ejus.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

DEo jubente Gabriel
In urbe vili Nazareth
Caſtam ſalutat Virginem,
Miratur Almah, quid novi?
Pulſo timore. Concipi
Pudicæ in alvo Virginis
Altiſsimi gnatum docet.
Sed Virgo quærit quomodo?
Virtute quod Trinuminis
Sanctum Dei fiat Caro
Verbum probat, Mater pia
Credit, recedit Angelus.

TRIA EX TEXTU MAXIME NECESSARIA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod Deus verus & constans, licèt interdum certo consilio moram trahat, servantissimus sit promissionum suarum, & quodcunq; politicus est verè præstet. Psal. 33. v. 4. & 9. Promiserat Deus Filium Redemtorem in Paradiso, nec addiderat certum tempus, genus ac locum, sed venturum pij homines anxiè desiderabant. Gen. 4. v. 1. Esa. 64. Anno Mundi 2023 promissio illa repetita est Abrahamo. Gen. 22. Anno 2490. Mosi. Exod. 4. Deut. 18. Anno 2899. Davidi. 2. Sam. 7. Et vaticinati sunt de adventu Christi Prophetæ Majores atq; Minores. Psal. 22. Esa. 7. 9. Zach. 12. 13. Dan. 9. Mich. 5, &c. At differente Domino ad Annos ferè 4000. homines quamplurimi, de juramento Patribus præstito & fœdere cum Davide pacto dubitantes, consilium Dei non expectarunt, quoniam, quod docet lib. 1. Macc. ad Gentes defecerunt. Deus autem qui est ipsa Veritas Fidem servavit, & per Gabrielis nuncium conceptionem Messiæ indicavit, cum domus David ferme esset deleta, Virgoq; mater, quod nomen Maria Ruth. 1. monet afflicta & pauperc ula, habitans in vili oppido Nazareth; & desponsata. Novit itaq; Dominus tempus opportunum. Abac. 2. Esa. 14. v. 27. Jehovah exercituum decrevit, & quis irritabit? Manus ejus extensa est, quis redire faciet eã? Et verè conceptus est Filius Dei, de Spiritu Sancto in utero Virginis. Sic idem Dominus quã promisit invocantibus in tribulatione liberationẽ, Psal. 50. v. 15. verè exhibebit & mirificabit consilium suum. Aspice Jobũ, Tobiam, Davidẽ, &c. Esa. 28. v. 29. Idem judicii de pœnis scelerũ in tertiam & quartã generationem, Exod. 20. quarum tarditatẽ gravitate compensat Deus, licèt aliquandiu virescat impius instar lauri. Psal. 37. v. 35. Nec est quod dubitemus de interitu mundi, 2. Pet. 3. v. 4: quia non tardat Dominus, v. 9. sed patiens est propter Electos & convertendos, velletq; omnes ad resipiscentiam tendere.*

II. *Quod JEsus Christus Dei Filius conceptus de Spiritu Sancto*

Sancto natus ex Maria Virgine sit promissus Messias, mundi Redemtor, solus Sanctissimus, sua conceptione pura nos in peccatis conceptos purgans.

Filium Mariæ esse Messiam constat ex

1. *Testimonio Dei, qui Gabrielem ablegavit, ut sic data in Paradiso promissio impleretur.*
2. *Testimonio Angeli, qui adventum Christi, Dan. 9. prædixit, & hospitium ipsi in terra paravit.*
3. *Pura & intacta Virgine. Gen. 3. Jer. 31. Esa. 7.*
4. *Domo David. 2. Sam. 7. Esa. 11. Jer. 33. v. 15.*
5. *Circumstantia Temporis. Gen. 49. Siquidem & hoc ipso 25. die Martij in utroq; Testamento quamplurima facta sunt miracula.*
6. *Proprietate Regni Messiæ, quoniam solium Regni ejus erit æternum. Esa. 9. v. 7. Dan. 7. v. 27. Mich. 4. v. 7.*

Hic notandum quod in una persona Christi sit duplex nativitas, & duæ diversæ naturæ, ut dicat ipse:

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrumq;.

Scilicet Deus & Homo Logosq; & assumta natura sunt unum Hyphistame non. Primò *Christus verus Deus est à Patre genitus ab æterno, splendor & gloria Patris* ἀμήτως *idq;* Sibi: *inde enim verus Deus est Patri* ὁμοούσιος. Secundò *natus est Christus in plenitudine temporis, verus naturalis & sanctus Homo,* ἀπάτως *per operationem Spiritus Sancti. Non autem* Sibi, *quod esset perfectissima Trinitatis persona, sed* Nobis. *Esa. 9. Luc. 2. Et licèt bis natus sit Christus in duabus tamen naturis unus est Filius non duo Christi, quare & Maria* θεότοκος *appellatur, & Mater Domini. Luc. 1. v. 43. Gal. 4. Et Angelus h. l. dicit: Sanctum quod ex te nascetur Filius Altissimi vocabitur. O summum miraculum, & mirabile mysterium quod Christus juxta carnem habeat consortium Trinitatis, siquidem Filius Dei, Verbum Patris quod ab æterno fuit, ita susceperit Carnem humanam, ut propter hanc unionem imper-*

scrutabilem impossibile fuerit humanam naturam nasci à Maria, nisi simul verè nasceretur Filius Dei, impossibile fuerit humanam naturam videri oculis, aut contrectari manibus, fascijs involvi & condi in præsepio, nisi simul Verbum Vitæ in Carne revelatum, 1. Tim. 3. Joh. 1. videretur. Habitat ergo in Christo plenitudo Divinitatis, Col. 2. nec assumtam Carnem unquam deponit, sed cum ea sedet ad dexteram Patris. Liberavit nos Filius Dei in Carne pro nobis passus & mortuus. Vivimus in Fide Filij Dei, Gal. 2. qui nos dilexit & semetipsum pro nobis tradidit, Princeps vitæ occisus, Act. 3. Dominus gloriæ Crucifixus, 1. Cor. 2. qui oves suas Deus sanguine suo redemit. Act. 20. 1. Joh. 1. Sic κοινωνίαι atq; beneficia Christi toti personæ juxta utramq; naturam ascribuntur; quoniam Filius Dei Homo factus est, & Carni suæ per vinculum unionis personalis communicat non quidem Divinã naturam ejusq; proprietates essentiales quod fuerit ab æterno: Sed omnem potestatem in cælo & terra, Mat. 28. eamq; majestatem & gloriam quam cum Patre habet, Joh. 17, & nomen, quod est supra omne nomen, Phil. 2. v. 9; sic ut homo Christus dicatur & sit Filius Dei, distribuat vitam ac lucem, adoretur ab Angelis, Ebr. 1. & omnes Gentes ipsi inserviant, Apoc. 5. quod Agnus occisus acceperit potestatem, Eph. 1. super omnes principatus, & Judicium. Joh. 5. v. 27. Declaratur hoc pro simplicioribus simili de clavo ferreo ignito, qui lignum perforat, urit & penetrat, non tantùm quia ferrum, nec tantùm quia ignis, sed ratione utriusq; conjunctim. Sic corpus & anima constituunt unum verum hominem. Sic geminus color in Iride, & duplex in arca fœderis materia Aurum scilicet & lignum Cedrinum doctrinam hanc illustrat.

Notandum porrò quod necesse fuerit Mediatorem esse Deum & Hominem. Chrysost. super 1. Tim. 3. Mediator debet utriusq; ijs societate conjungi quorũ Mediator est, quod si unum quidem societate contingat, ab alio verò fuerit separatus, Mediator jam dici non potest.

Homi-

Hominē esse oportuit, ut
1. Impleretur Veritas promissionum divinarum, Gen. 3.22. &c. posset q; pati & mori.
2. Satisfieret justitiæ divinæ, & quia homo peccarat, homo lytron æquivalens, pœnam peccati portaret.
3. Posset nobis ipse homo compati, & sic certam nos de ejus merito & misericordia haberemus fiduciam.

Deum esse oportuit, ut
1. Haberet essentiam, sapientiam & authoritatem infinitam, & ageret cum Deo.
2. Esset potens confringere hostes, adesse Ecclesiæ & suscipere gemitus nostros.
3. Posset Vitam, Justitiam & Salutem membris suis distribuere.

Notandum tandem, quod, annotante Cypriano, in Conceptione Christi videatur Cooperatio totius Trinitatis: de Spiritu dicitur quod veniat de Virtute Altissimi, id est, Dei Patris, scilicet de Christo, quod obumbret. Ut si venusta virgo induenda sit nova tunica, & duæ ipsi manus porrigant, ceu veteres locuti sunt. Hinc ergo tres mixturæ, & tria mirabiliter singularia, quod Bernard. refricat, ut nihil sit æquale: 1. Quod una & eadem persona sit Deus & Homo. 2. Quod Maria sit Mater & semper Virgo. 3. Quod Fides & Cor humanum illa credant.

III. Quod Dominus sit nobiscum, & adsit Deus Electis suis quocunq; loco & tempore, cujuscunq; sint conditionis, Psal. 23. 91. Matt. 18. 28; etiam si Pater & Mater derelinquat nos. Psal. 27. Joh. 14. Sic erat cum Joseph in Carcere, Gen. 39: cum Gideone qui de hoc dubitare videbatur, Jud. 6: cum Jona in ventre piscis: cum Daniele & tribus Viris, nec ullus Christianus hac consolatione destituitur. Tantam invenimus gratiam apud Deum, Gen. 6. v. 8; qui amore salutis nostræ dedit nobis Filium suum unigenam. Joh. 3. Sicut ille fossor Matt. 13. thesaurum in agro invenit; sic omnia à Deo etiam oblata nobis accepimus. 1. Cor. 4. v. 7. Ubi Deus offert nobis in Verbo suo vitam ac salutem & gaudia angelica, audimus q; quod homo

homo credēs in Christum dominus atq; victor sit peccati, mortis & Satanæ, coronandus gloria & decore; agnoscamus nos vermes indignos etiam buccella panis, &c.

II.
Tres Fructus Fidei.

I. Ut imitemur Virginis Mariæ Humilitatem, quæ summa ejus gloriæ fundamentum fuit, dum vili habitatione in Nazareth contenta omnia Deo tribuit. Ipsius q; Taciturnitatem, quia tacitè secum oracula divina ponderat, modestè & pauca loquitur; & quod Bernhardus observavit, in omni textu quatuor Evangeliorum non nisi quater; 1. Ad Angelum, Luc 1. sed cum ipse iam semel atq; iterū ipsam allocutus fuisset. 2. ad Elisabetham. Luc. 1. 3. Ad Filium Annorum 12. Luc. 2. 4. In Nuptijs Cananæ. Joh. 2. Et Pudicitiam; quia domi inventa est, & castè desponsata virum non cognovit. Sic de Sara scriptum est, Gen. 18. v. 9. quod fuerit in tabernaculo: Dina autem sua levitate mala haud levia excitavit.

II. Ut civiliter & amicè salutando gratiam Dei, pacem & bona quæq; nobis invicem precemur; nec iracundo vultu quem prætereamus, siquidem ipse Filius Dei discipulis Pacem optavit, & Gabriel Mariam officiosè salutat.

III. Ut devicta ratione nostra fidem habeamus sermoni divino, sicut Maria nihil discutit, nihil inquirit, cum tamen multa rogare humana potuisset sapientia. Mirum est quod non dixerit ad Angelum: Quid faciet Sponsus ubi me gravidam viderit? sicut 1. Reg. 16. Samuel jussus Davidem ungere metuit Saulem, & Ananias, Act. 9. Paulum à se baptizandum. Sed non est impossibile quicquam apud Dominum. Jer. 32. v. 17. Zach. 8. v. 6. Cassian. Deus hoc dixit, Verbum illius summa ratio est; sola mihi ad fidem sufficit persona dicentis, &c. Habemus ad hæc Verbum & Exempla; Creavitq; Deus Adamum de gleba & mulierem de costa dormientis. Sic de certitudine Resurrectionis Verbum Dei extat, Esa. 26. Dan. 12. Joh.

Joh. 5. Exempla in Prophetis, Christo & Apostolis. Sic de Baptismo Verbum Joh. 3. Eph. 5. Tit. 3. Exempla de Namanni lotione in Jordane, de piscina Probatica, Joh. 5. de Aquilis & serpentibus. Sic de Cœna Domini, Verbum Christi: Hoc est Corpus meum. 1. Cor. 11. Exemplum, quod de cibo naturali generetur Caro viva; & quod vox una integra vel à centum percipiatur auditoribus; & de exigua glande immensa arbor procrescat. Causa incredulitatis Saducæorum, teste ipso Christo Matt. 22. hæc erat, quod non intelligerent scripturam, nec agnoscerent Virtutem Dei. Devicta ergo ratione Verbo nitamur, credentes simpliciter. Mat. 11. Ubicunq; pastor vel amicus loco Dei nobis in cruce vel agone mortis consolationem subministrat, quod posita sit cuiq; meta, Job. 14; quod nemo sibi vivat, Rom. 14: quod per mortem transeamus in vitam, Joh. 3. 8. respondeamus: Ecce Domini sum servus, ancilla, fiat mihi sicut dixisti.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. *Quod, cum Angeli derelinquentes principatum abjecti sint, Matt. 25. v. 41. 2. Pet. 2. v. 4. Apoc. 12. nos homines in gratiam recepti & dilecti simus à Deo ante jactum mundi fundamentum. Eph. 1. v. 4. Naturam enim quam non assumsit, inquit Athanasius non sanavit, sed nomina nostra annotata sunt in Catalogo cœlesti, Luc. 10. v. 20; & Angelis notissima, ut omnis credens salvetur, & sic impleantur ruinæ. Psal. 110. Ideoq; sicut per Adam omnes morimur, 1. Cor. 15. v. 22: Ita per Christum vivificamur omnes. Chrysost. Per Adamum venit mors, per Christum vita.*

Eva virgo credidit Serpenti & decepta est, Maria Virgo credidit Angelo & concepit Salvatorem, per quem credentes liberamur. Adam in ipso vere novi mundi seductus est, hinc nos ira Dei consumit, Psal. 90. ut floris instar marcescamus, Esa. 40. Psal. 103. Christus conceptione sua verus Zemah, Zach. 6. attulit nobis Ver no-

vum, ut simus germina justitiæ. Licètq; Sol Crucis nos urat, 1. Pet. 4. & mors nos demetat, in vere tamen æterno ossa nostra germinabunt. Esa. 26. & 66. Angelus Satanæ seductor venit à nullo missus, ut obtruderet Viragini Verbum mortis. Angelus Jehovæ missus est à Deo, ut offerret Virgini Verbum vitæ. Et gaudent Angeli dato Salvatore, nexusq; mirantur amicos, & de hac mirabili mixtura, 2. Sam. 7. v. 18. duarum in Christo naturarum nobiscum celebrabunt concilium & colloquium in seculo futuro. Apparuit Satan in forma Serpentis. Servi formam Christus induit, Phil. 2. & nos in cælorum Politeumate ipsi erimus conformes. Phil. 3. Non datum est Adamo extendere manum ad arborem vitæ. Christus ergo in Nazareth surculus sanctissimus, Esa. 11. Jer. 23. lignum viride, Luc. 23. & Arbor vitæ. Apoc. 2. & 22. Vitam nobis restituit æternam: sic per cibum mors per cibum vita. Augustin.

Per Adamum vulnerati sumus, peccatoq; & morte obruti, sed illæ sanitas in nobis est, quia accepit carnem & vulnera propter nos. Augustin. Eritq; Regnum Christi infinitum, Esa. 7; non comminuetur, sed stabit in æternum. Dan. 2. v. 44. Augustin, sup. 21. cap. Joh. Quis alius est finis noster, nisi pervenire ad Regnum, cujus nullus est finis. Ubi vacabimus, & videbimus, & sine fastidio amabimus, & sine fatigatione laudabimus.

II. Quod piè morientium animas earumq; in die Resurrectionis exuvias corpora rediviva salutabunt Angeli: Ave beata anima, glorioſum corpus, militasti bonam militiam, dabitur Corona triumphalis, & ei nec timorem amplius nobis ingerent, neq; invisibiles amplius, ceu Gabriel discessit à Maria, sed visibili conversatione nobis cohabitabunt, conservi nostri, Apoc. 22. quorum Choro additi nos perpetuò Deum concelebrabimus. Esa. 6.

III. Quod Incarnatione sua Filius Dei factus sit noster Goël, Num. 25. Consanguineus & Frater noster, Job. 19. & nos facti simus consortes divinæ naturæ ejus. 2. Pet. 1. v. 4. Si autem gavisus est Jacob cum sobole de eminentia Filij & Fratris Josephi in

Ægy-

Ægypto: si Mardochæus & Judæi annuo festo recoluerunt consanguineæ Esther promotionem & Regiam dignitatem, & ullus unquam de consangvineo opulento spem fovit; certè nos in Christo Abrahæ & Davidis filio fratre nostro sumus, erimusq; perpetuò felicissimi: nec metuenda ut in prædictis aliqua mutatio dum favor hominum aurea instabili comparatur. Psal. 37.

Tres diversi status considerandi sunt in persona Christi: 1. Status personæ Christi ante Incarnationem. Estq; Verus Deus cum Patre & Spiritu Sancto ab æterno ἀχρόνως. 2. Status humiliationis post Incarnationem Annis. 34. Estq; Deus & Homo, ex Maria ἐνσάρκως sed Deus absconditus, Esa. 45. nisi quod per miracula eluceſat divinitas. 3. Status glorificationis post Ascensionem. Estq; Deus & Homo ad dexterã Dei, sed glorificata humana natura accepit ex gratia, q̃ Deo habet ex natura. Aug. Qui susceptit & quod susceptit Una est in Trinitatis consortio persona. Talẽ videbimus Christũ in Vita æterna, & infinitũ indissolubili vinculo unitũ cum finito, & quia ipse pro nobis descẽdit nos ascendemus. Imò ipse purissima sua cõceptione nos purgat, 1. Cor. 6. atq; reficit, velut aurifaber massam collapsam.

Porrò Incarnatione Filij Dei elati sumus super Angelos, Ebr. 2. v. 16. quod non illos, sed semen Abrahæ assumserit, nec carnem suam oderit. Eph. 5. Alexander Magnus victorijs insolens pro Jovis Olympij filio haberi voluit, cujus se fratrem Cajus caligula dicere non erubuit, aliiq; quàm plurimi divinos honores stolidè affectarũt. Soli autem Christiani per Incarnationem Christi Filij Dei, Joh. 1. & Fratres atq; Sorores Dei facti sumus. Joh. 20. v. 17. Multos suscitavit Jehovah de pulvere pauperes, elevavit è stercore mendicos, & sedere fecit cum principibus, soliumq; gloriæ sortiri. 1. Sam. 2. v. 8. Saul ab asinis, David ab ovibus elevatus est ad sceptrum Judæ. Esther electa est ab Ahasuero Regina, sicut & Abigail rustica à Davide, Athenäis filia Leonti Philosophi ab Imperatore Theodosio. Aurelianus Imperator filius fuit Æditui, sicut & Herodes. Aliusq; Subulci Filius imperatoria potitus est potestate. Phocas fuit Thrax

Cacula. Agathocles Rex Siciliæ Figuli filius. Willichius Episcopus Moguntinus patrem habuit Fabrum rotarum. Hugo Capetus Lanio mutatus est in Regem Galliæ. Sed horum cum dignitate illa quæ ex Incarnatione Christi promanat nulla est collatio. Quod denique hinc felicior futurus sit status noster in vita æterna, quã ante lapsum, ut sic fraus Satanæ fidē retinētibus profuerit, nõ obfuerit, docēs Bernardus Felix, inquit, expectatio nostra, & beata spes nostra, quorũ tam longè glorioſior futura est Resurrectio, quàm fuerit prima conditio. Serm. 12. de 8. versu Psalmi: Qui habitat, &c. August. de Civ. Dei. Tunc ipse Deus finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, &c.

Obijciet hic aliquis: Quænam ergo conditio fuisset & status vitæ humanæ, si homo in innocentia perstitisset? Respondebo quantùm ex pijs & sanctis conjecturis assequi licet cum Verbo Dei haud pugnantibus. Si Adam & Eva de fructu vetito Satanæ instinctu non comedissent, Messia & Redemtore opus non fuisset, quoniam ille venit ut peccata, quæ sic nulla extitissent, auferret, & status vitæ nostræ fuisset undequaq; felicissimus. Et ut Patrum quorundam de illo statu meditationes recitem, salvo tamen meliùs & rectiùs sentientium judicio:

I. Vita duplex fuisset, copulatio scilicet corporis & animæ in corpore habitantis Vita naturalis, & per inhabitationem Sanctæ Trinitatis Vita spiritualis seu cœlestis. Unde Adam erat Sanctus, Justus & Sapiens, cognoscens viraginem ex costa sua, & singulis creaturis attribuens nomina juxta naturæ eorum proprietatem. Gen. 2. v. 20.

II. Claritas & splendor sanctus circumdedisset corpora, ceu faciem Mosis, Exod. 34. nec quis se nudum erubuisset, Gen. 2. v. 25. ceu Protoplasti, Gen. 3. v. 7. & 10. post lapsum.

III. Juxta Imaginem Dei boni fuissemus & perfecti, probantes obedientiam erga Creatorem vitando fructum arboris scientiæ. Gen. 3 v. 3. Non tamen coactè, sed liberrimo arbitrio. Deut. 30. v. 19. Syr. 15. v. 12. usq; 18.

IV. Dul-

IV. Dulcissimus fuisset accessus & colloquium jucundum cum sancta Trinitate, Gen. 2. v. 15. quod aliquodammodo apparet in pueris cum fiducia ad parentes accedentibus.

V. Ministerium Angelorum visibile fuisset, Psal. 34. 91. Ebr. 1. & optatissimum, nulli extimescendum.

VI. Facies cœli mansisset perfectissima, nec decrevissent vires Solis, Lunæ & Stellarum.

VII. Nec facta essent signa in Sole & Luna, nec Eclipses, vel certè nihil mali denunciassent.

VIII. Nulla fuisset aëris temperies incommoda, nec frigus neq; calor intolerabilis, nec Irides, Gen. 9. v. 13. nec tonitrua horrenda, venti & turbines.

IX. Nec mare cum fluctibus horrisonis barbarum hoc elemẽtum per inundationem Diluvij magnam mundi partem invadens, adeò fuisset immensum, Gen. 8. v. 3.

X. Facies quoq; terræ integra mansisset & jucundissima, nec germinasset spinas & tribulos, Gen. 3. v. 18. quod maledictio abfuisset; nec arbores putridæ inutilia terræ fuissent pondera; nec lolium, lappæ & urticæ herbas lectissimas suppressissent; nec hæ ceu modo brumali tempore emarcuissent.

XI. Coluisset quidem homo terram, Gen. 2. v. 5. & 15. sed cum insigni voluptate, non in sudore vultus sui comedisset panem. Gen. 3. v. 19. Produxisset enim fructum terra copiosissimum, sicut & post lapsum per Dei benedictionem ager Isaaci fructum dedit centuplum. Gen. 26. v. 12. Et Levit. 25. v. 3. benedictio unius Anni tribus suffecit. Feciss etq; Jehovah fortasse per vices cadere soporem super hominem, ut jucundè obdormisceret. Gen. 2. v. 21. Siquidem etiam tenebras & noctem condiderat. Gen. 1. v. 5. & 18.

XII. Quid de ignis usu, & de esu animalium terræ & piscium maris scribam non video; sed quoniam potestas data fuit homini dominandi creaturis, Gen. 1. v. 28. consentaneum est, nec opus fuisse tam varia arte & insidijs capere volatilia cœli & pisces

maris; sed sponte se hominibus obtulissent vel manibus capiendos.

XIII. Dominium hoc nulli fuisset eripiendum, sed omnibus liberum, quod Nimbrot, Gen. 10. v. 8. aliosq; tyrannos terra non protulisset.

XIV. Aviumq; cantus fuissent delectabiles, nec ullæ vanitati subjectæ ingemuisset creaturæ, Rom. 8. v. 20. 21. sed libentissimè homini, propter quē factæ erant, modo ille Deum honorasset, inservijssent.

XV. Habitasset lupus cum agno, & pardus cum hædo accubasset, & vitulus & catulus leonis, & bubalus simul, & puer parvus duxisset eos. Et vacca & ursa in pascuis simul, & leo sicut bos comedisset paleam. Esa. 11. v. 6. & 7.

XVI. Delectatus fuisset lactens extensa manu super foramē aspidis. Esa. 11. v. 8. Nec serpentes, vermiculi & venenata insecta ex causis secundis traxissent originem. Serpens inter omnes bestias agri fuisset pulcherrima & callidissima, Gen. 3. v. 1. cui sine dubio data fuit à conditore facultas loquendi, qua per eum abusus Satan Evam decepit; nec super ventrem repens ambulasset, nec pulverem terræ comedisset. Gen. 3. v. 14.

XVII. Deus, Angeli & Homines dominati essent in mundo; Angeli quidem visibiliter circa nos castrametati contra insultus antiqui Draconis. Deus autem opt. max. in homine creaturarum ultimo habitare dignatus fuisset, & postremò conditus per inhabitationem primogeniti λόγυ maximè esset elatus.

XVIII. Arbor scientiæ boni & mali, Gen. 2. v. 9. fuisset loco suggestus per totum orbem, juxta quam alij alios de voluntate conditoris & obedientia ipsi præstanda monuissent. In cujus locum post lapsum tabulæ successerunt lapideæ in quibus, teste Josepho, creatio, lapsus & promissio sculpta fuerunt, & altaria, Gen. 8. 12. 13. 22. 26. 28. 35. de terra, lapidibus vel ligno structa; nec non successu temporis Tabernaculum, Exod. 25. 40. & templum Salomonis Anno Mundi 2934. aliæq; ædes per totum orbem sacræ.

XIX. Prohibendo fructum hujus arboris, Gen. 2. v. 17. non quasi

quæsivit Deus occasionem peccandi, sed humilitatem & obedientiam hominis, qui libero arbitrio ad faciendum bonum, non ad perpetrandum malum uti debuisset.

XX. Quod si seciſſet homo, admissus fuisset ad comedendum de arbore Vitæ, Gen. 2. v. 9. Gen. 3. v. 22. & 24. vixisseteq; in seculum. Comedisset homo de hac arbore pro corroboranda natura sua & confortando spiritu vitali, sicut nec aliâs stimulante fame & torquente siti, sed ad voluptatem piam & pudicam rebus creatis vesci debuisset.

XXI. Paradisus fuisset in toto mundo in omnibus regionibus & insulis, aëre temperato & plantis semper floridis, nec quis ex eo ejiciendus.

XXII. Conjugium divina institutione servatum esset honorabile. Ut quia non erat bonum esse solum, haberet homo adjutorium, ad celebrandum Deum & procreandam sobolem. Gen. 2. v. 18. Et conjuges amore ardenti, haud fucato, nunquam langvescente se mutuò ultra parentes, tanquam una Caro dilexissent. Gen. 2. v. 24.

XXIII. Sponsam unicuiq; suam monstrasset Deus per ministerium Angelorum, sicut Isaaco, Gen. 24. & Tobiæ juniori per Raphaëlem.

XXIV. Conjuges ipse Deus copulasset, Pastor & Paranymphus, velut primos parentes juxta arborem scientiæ, & benedixisset. Gen. 1. v. 27. 28.

XXV. Nec quoniam immortales, adeò juvenes ut modò copulati essent conjuges, sed post annos centum, & fortè generassent liberos ad annos 400. vel 500.

XXVI. Libido vaga abfuisset à conceptione, Tob. 3. v. 18. cap. 8. v. 9; nec opus fuisset ideo nubere, quod quispiam ureret. 1. Cor. 7.

XXVII. Dolor non comitatus esset partum. Gen. 3. v. 16.

XXVIII. Necfœtus adeò fuisset imbecillis, sed pueri mox nati pedibus atq; lingvâ usi essent, quod nec animalibus vanitati subjectis, Rom. 8. v. 20. denegatur.

XXIX.

XXIX. Procreassent pueros non tantùm ad imaginem suam, sed ad imaginem Dei, perfectissimo Dei & proximi amore ornatos, quibus nec opus fuisset doctrinam Catecheseos inculcare, quod fuissent θεοδίδακτοι.

XXX. Lex innata fuisset, nec promulganda in Sinai.

XXXI. Una fuisset Fides, una Religio sine omni disputatione per totum orbem in Regnis omnibus.

XXXII. Unicum fuisset per totum mundum Idioma, quod omnes orbis incolæ intellexissent. Gen. 11. v. 1.

XXXIII. Nulla unquam gaudium nostrum perturbassent mala nova, nulla incendia, nulla naufragia, nec amicorum funera.

XXXIV. Pax & tranquillitas fuisset perpetua, odia nulla, nullæ inimicitiæ, nec latrocinia, nec bella; ideoq; nec ensium, romphæarum & armorum usus.

XXXV. Corpora non subjecta fuissent morti & morbis peccati stipendio Rom. 5. sed per operationem animæ homines virtute Dei & arboris Vitæ perpetuò naturaliter vixissent.

XXXVI. Deus per hominem locutus & operatus esset, & in Deo quidvis præstare valuisset: cum modò per plurimos loquatur & operetur violentissimè Satan. Mat. 8. Marc. 9.

XXXVII. Nulla fuisset hyems, Apoc. 7. frigore & glacie hominibus & animalibus molesta.

XXXVIII. Omnia Regna, regiones, insulæ refertissimæ fuissent hominibus instar stellarum micantibus, vixissent omnes illi, qui in Diluvio & ante & post perierunt, & generatio magna fuisset Abelis illorumq;, qui cœlibes decesserunt, quia nemo fuisset mortuus.

XXXIX. Non fuissent homines distincti in Judæos & Gentes, sed unus populus.

XL. Aromatum copia tanta fuisset in Islandia, Norwegia, &c. quanta in Ægypto, Arabia & Hispania: sic ut arborum quoq; cortices quarumcunq; fuissent sapidæ.

XLI. Medicinæ usus nullus quod omnia fuissent salubria, nec

nec excrementa animalium ipsa fœtida, in quibus, ut intelligat homo quantas per lapsum amiserit divitias, medicamenta Deus recondidit quam plurima,

XLII. Non iterandum fuisset conjugium; nec admittenda Polygamia per nuptias secundas, sed unus Vir & una Mulier, &c.

XLIII. Rebus creatis nemo abusus esset ad crapulam & ebrietatem. Gen. 9. v. 20. 21.

XLIV. Generatio & propagatio generis humani durasset, ut quidam putarunt, ad Annos 6000. juxta numerum dierum Creationis, quorum unus coram Deo ceu mille anni. Psal. 90. v. 4. 2. Pet. 3. v. 8.

XLV. Elapsis annis 6000, non enim abbreviati essent dies propter Electos, quod omnes fuissent electi, sine demolitione cœlum & terra novo donata essent splendore. Esa. 30.

XLVI. Abrogato cibo & potu quo fruebantur homines Deus ipse recreatio eorum fuisset, & manducassent panem Angelorum. Psal. 78. v. 25.

XLVII. Impleto jam iuxta decretum Sanctæ Trinitatis hominum numero, veluti congregatis in domo Nuptiali convivis, promoti essemus omnes simul, ad gloriam Vitæ cœlestis. Si fortè quispiam hoc loco D. Gregorij sententiam potius amplecti velit, quod homines longævi elapsis certis à Deo statutis annis absq; omni dolore, ex hac naturali Vita in cœlestem paulatim translati fuissent, hoc ipsi liberum relinquo.

XLVIII. Accrescentibus annis per cotidianam conversationem homo magis magisq; similis factus esset Angelis in proprietatibus spiritualibus, & sine destructione corporis ubicunq; locorum in momento esse potuisset.

XLIX. Elapsis 6000. annis tam in cœlo, quàm in terra perfecta gloria donati fuissent & confirmati omnes, sic ut arbor Scientiæ vel abolita esset, vel facta salubris, vel homini prorsus intacta, jam dejecto Satana in carcerem Gehennæ, Mat. 8. v. 29.

Hasce quorundam Patrum meditationes recitare volui, de quibus liberrimum cuiq; judicium relinquendum.

Felicissima illa fuisset hominum conditio, sed unde felicior erit Electorum in beata Resurrectione status? Respondeo:

1. Quia per Incarnationem Christi consanguinei Dei sumus, & Caro nostra regnat in consortio Trinitatis. Ebr. 2. Chrysost: super cap. 2. Ebr. Magnum, admirabile & stupore plenum est carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis & Archangelis. Hoc sæpe mente versans Ecstasin patior.

2. Quia non amplius tendet nobis retia Satan, nec metuemus dolos ejus, jam ligati in tenebris, nec recedet à nobis Spiritus Domini. Esa. 59. Quod si primi parentes, Gen. 3. v. 1. 5. & 6. callidi serpentis mortiferum virus repulissent: ipse tamen toti hominum generi haud pepercisset, sed vel in Angelum lucis transformatus, 2. Cor. 11. v. 14. novas passim paraisset insidias, & nullibi non homines, ut obedientiæ Deo præstandæ limitem transgrederentur, incitasset, fucumq; & fructum prohibitum si successu temporis cuiquam obtrudisset, lapsus fortè fuisset periculosior.

3. Quia confirmati erimus cum Angelis, qui principatus nõ dereliquerunt. Hinc Macarius Homil. 20. Anima sanata, inquit, nunquam vulnerabitur, nec amplius ingemet. Jerem. cap. 9. Quis dabit capiti meo aquam, & fontem oculis meis? Exui tunicam meam, Cant. 5. v. 2. lavi pedes meos quomodo inquinabo illos?

Die Iovis præcedente Festum Resurrectionis Christi.

DE COENA DOMINI, SEU SACRAMENTO CARNIS ET CRUORIS JESU CHRISTI.

Evange-

Evangelium Mat. 26. v. 26 Marc. 14 v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11, v. 23.

PRÆFATIO SUPPLEX.

GRatias agemus Deo nostro pro summa hac & infinita misericordia, quod Verbum suum nobis dederit purum & intemeratum, nec non Sacramenta sancta & incorrupta; Orabimus ut pro paterna sua bonitate faciat Verbum divinum in posterum inter nos florere, & sigilla Sancta prout à Salvatore instituta sunt inviolata custodiri, inprimis siquidem hodie de Cœna Domini, ejusq; digno usu & maximo fructu docendi sumus, ut effuso super nos Spiritu Sancto nos idoneos esse largiatur docere & discere propter JEsum Christum. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Psal. 23. v. 5. Præparas coram me Mensam è regione hostium meorum. Esa. 25. v. 6. In monte sancto convivium pingvium medullatorum & defæcatorum. Christus autem est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psal. 110. v. 4. qui profert Panem & Vinum, Gen. 14. v. 18. nosq; oves suas pascit corpore & sangvine suo, quod redemti sumus. Zach 9.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

MUndi Redemtor optimus
Qua nocte sponte est traditus
Nostri memor Convivium
Nobis adornavit novum.
De Pane corpus est meum
Pro Vita ait vestra datum,
Est, de Mero, sangvis meus
Peccata quo vestra ablui.

Ut hoc volo fruamini,
In spiritu saturemini,
Et quisq; mortem sic meam,
Donec revertar, prædicet.

TRIPLEX HÆREDITAS EX HOC TESTAMENTO CHRISTI.

I.

Confirmatio Fidei, ne erremus de Testamento Domini, Triplex.

I. *Quod Sacramentum Cœnæ Dominicæ sit Redemtoris nostri JEsu Christi Testamentum, & quidem novum, in quo impleta sunt illa, quæ typis atq; figuris in Veteri Testamento erant præmonstrata; nec in sangvine animalium, sed in Sangvine Christi. Ipse Testamentator est, qui Testamentum hoc haud immutandum morte sua obsignavit. Gal. 3. Testes & Notarij Fide digni sunt Evangelistæ & Apostoli, inter quos nec ulla unquam de hoc Testamento mota est contentio. Inter tres Evangelistas & Paulum Apostolum hac de re perpetua est συμφωνία & παναρμονία; nec illos annotando errasse putandum est. Si enim vel de Syllaba in Testamento Domini dubitandum foret, vel si in verbis esset ambiguitas, quid mihi tota scriptura? Hæredes sunt eidem cum omnibus quibus vera fides est, in JEsum Christum, Joh. 1. Rom. 8. nihil debentem. Cumq; nos debemus decem talenta, Matt. 18. nec de mille respondere possemus ad unum, Job 9. debitum tantùm in suo Testamento Christus nobis remisit. Col. 2. Et insuper hæreditatem immensam nobis legavit, Remissionem sc. peccatorum & Vitam æternam, quæ duo universa bona cœlestia in se complectuntur, quod ubi nulla dominatur iniquitas; ibi nulla noceat aduersitas. Qui autem hisce duobus destituitur, ille omnibus caret divitijs cœlestibus si quoq; universam terram possideat, & potentissimus sit mundi Monarcha. Quicquid ergo legasset nobis Christus in suo Testamento præter hæc duo dona, non fuisset*

set bonum sufficiens; hæc enim sola sunt immẽsa & perpetua. O Testamentũ egregium. *Nemo unquã mortalium ejusmodi bona hæredibus donare potuit, sed mundana tantùm & fluxa, quæ cũ hæredibus simul transeunt, solum id quod Tẽplis & Lazaris legatur aliquãdiu durat, nec ejusmodi bonis cuiquã diutius quàm ipsa vita frui datum est. Imò Dominus Testamenti incertus est, num hæredibus bene vertat, & ad finem usq; vitæ possessuri sint, quod Dionysij aliorumq; illustrium virorum docere possunt historiæ.* O insigne Testamentum. *Quis Testamentator non est mortuus, sepultus & in cinerem redactus? excepto Christo cujus ossa non computruerunt, Psal. 16. sed resurrexit tertia die, & regnat in gloria Patris.* O Testamentum mirabile; *quia non accepit Dominus calamum & papyrum, sed panem & vinum, nec scripsit, sed gratias egit & benedixit. Hinc dicitur* εὐχαριστία, *fregit quia panis fuit tenuis, Luc. 24. & distribuit cum insigni declaratione, jussitq; idem facere in sui commemorationem. Hinc adduntur preces & pia cantica, ut per Verbum Christi capiamus animæ cibum, Justin. Apol. 2. pag. 182. nec nuda Elementa, sed corpus & sanguinem Domini, Gregor. Nissen: quia Sacerdotis ore verba proferuntur, sed Dei Virtute operãtur. Chrysost. Hom. 7. Sicut illa Vox Dei, crescite & multiplicamini semel quidem dicta est, sed omni tempore operatur. Sic memor nostri Christus fuit in cruciatibus & ipsa morte, ceu Pater agonizans filiorum, quos varijs periculis post obitum suum obijciendos præmetuit. Prævidit Dominus JEsus Satanæ cribratoris astutiã, Luc. 22. rugitum Leonis, 1. Pet. 5. & Draconis Tyrannidem, Apoc. 12. elaborantis ut fidem nobis eripiat, 1. Tim. 1. hoc Pharmaco unicè cõfirmandam. Nec immemor nostri erit in morte nostra jam regnans in gloria Patris, sed ipso dante hoc Sacramentum erit nobis anchora & refugium, & refocillatio cælica, qua recreati osculemur mortis signa & in pace dimittamur.*

II. *Quod Cœna Domini sit Sacramentum Novi Testamenti ab ipso Christo institutum, in quo ipse verè præsens non vacua sym-*

bola aut signa duntaxat procul absentis corporis & sangvinis sui, sed Corpus & Sangvinem suum manducandum ac bibendum nobis exhibet, pro Confirmatione Fidei de Remissione peccatorum, & admonitione de Vitæ novitate: vel ut sonant verba Augustanæ Confess. Quod in Cœna Domini Corpus & Sangvis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus. Sic enim simpliciter Verba Testamẽti Domini secundum literam sine tropo aut figurata interpretatione homines Christiani meritò intelligunt & amplectuntur; nec nostrum est Dei majestatem atq; potentiam velle demetiri: Quia Christus verax est, Joh. 15. v. 5. ipsa Veritas, Joh. 14. absq; omni dolo, Esa. 53. 1. Pet. 2. nec quasi homo mutabilis. Num. 23. Sapiens est, Col. 2. v. 3. 1. Cor. 1. atq; Omnipotens superabundantius, quàm intelligimus. Eph. 3. Psal. 33. Luc. 1. Si Logon spectas, Jehovah est natura Deus: si humanam naturam πᾶσαν possidet ἐξουσίαν. Agite ergo. Quis hoc dixit? Resp. Christus. Quis ille? Resp. Splendor & gloria Patris, cui juxta carnem data est omnis potestas in cœlo & terra, Os Veritatis. Possumusne falli? Resp. Nullo modo. Scribit enim Chrysost. Homil. 83. in cap. 26. Matth: Credamus ubiq; Deo nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum videatur. Verbis ejus defraudari non possumus sensus verò noster deceptu est facilimus. Illa falsa esse nequeunt, hic sæpius atq; sæpius fallitur, nulla ergo teneamur ambiguitate, &c. Si fallimur, à quo? Resp. A Christo. Quis tandem judex à Deo constitutus causam hanc dirimet? siquidem

Corpore Christe tuo, nec non de sangvine lis est,
Deq; modo lis est non habitura modum.

Resp. Christus, cui pater dedit omne judicium. Joh. 5. v. 21. Et ipse facilius ignoscet quod Testamenti verbis simpliciter fidem habuimus, quàm si ea, justificantes sapientiam, Matt. 11. v. 19. pro cerebro nostro parùm sano interpretati essemus. Ille jussit nos imitari columbas, Mat. 10. & similes fore pueris, Matt. 18. simpliciter credentibus, nec disputantibus, sed parentum narrationi, licèt relata non intelligant fidem habentibus.

Si quis

Si quis de Verbis Cœnæ dubitat, ille illum arguit mendacij, cujus Verbum est Spiritus & Vita Joh. 6; cujus potentiæ non est finis, Dan 4. & 7. Jer. 32. Zach. 8; qui venturus est judicare vivos & mortuos. Act. 17. Rom. 14. 2. Cor. 5. v. 10.

Exigenti rationem Christo nos respondebimus: O mitissime Judex, Fidem habuimus verbis tuis, nec ausi sumus temere quicquam addere vel demere, inprimis quoniam erant Verba Testamenti tui, & nos jussi sumus te audire. Deut. 18. Matt. 17. Aliter Domine de manducatione quæ fit per fidem spiritualis aliter de Sacramentali judicavimus. Si quid delictum in excessu ex simplicitate cordis nostri factum est. Domine JEsu, bone Domine, nos non ausi fuimus verba tua de manducatione sacramentali detorquere ad manducationem spiritualem, nec collocationis ordinem invertere, quasi porrecto digito & monstrato corpore dixeris: Corpus meum est hoc. Nec vel cogitare quod tu præ anxio dolore tremens & impeditus significanter & discretè loqui non potueris. Et quod per tropum figuratè accipienda sint verba tua, de signo & σχέσει absentis corporis tui. Quod Corpus tuum Cœlo inclusum tanto intervallo absit à Cœna, quanto supremum cœlum ab infima terra. Nec quod præsentia tantùm sit imaginaria, quam fides in Cœlum evolans, & ibidem Corpus & Sanguinem tuum apprehendens efficiat, posito simili de situ globi Solaris in Zodiaco & operatione ejus in terra. Nec statuere ausi sumus quod menti adsit non ori, neq; in & sub pane corpus tuum, sic fingentes σῶμα ἀσώματον. Multo minus Domine JEsu tanta nobis fuit audacia ut pro copula Est, *quod nec Evangelistæ, nec Paulus attentarunt, substitueremus Verbum* Significat, *quasi Panis & Vinum nuda & vacua signa sint absentis corporis & sanguinis tui, & typus quidem velut in Veteri Testamento. Neq; quod adfueris per communicationem idiomatum juxta divinam naturam corpus autem & sanguis sic devulsis naturis in tua persona alis fidei in Cœlo Empyræo quærendus. Minimè ô sanctissime Judex eô dementiæ prolapsi sumus, ut diceremus hanc Cœnam*

Caper-

Capernaiticam lanienam, κρεωφαγίαν, & Cyclopicam devorationem atq; ingurgitationem corporis & sanguinis tui, quod Christiani Deum suum devorẽt. Vel ut blasphemè interrogaremus: Quidnam prius comederetur? caputne vel pedes? Aut ut in verba hæc abominabilia erumperemus: Deo simpliciter impossibile esse efficere, ut corpus naturale simul & semel in pluribus, quàm in uno tantùm sit loco, si quoq; omnes divinæ suæ potentiæ nervos adhibeat.

Hoc meo quidem judicio magis tutum erit, quàm ut eructent impij: Nos nihil credebamus nisi quod videbamus; nec putabamus tantam datam homini Christo potestatem, quem existimabamus condendo Testamentum Errasse; vel Spiritum sanctum neglexisse, ut pro verbo Est *diceret* Significat, *&c.*

SIMPLEX CONFESSIO FIDEI EX ORthodoxis Theologis, de Cœna Domini.

I. Credimus verba institutionis profundamento veræ & realis præsentiæ esse retinenda, ad quæ tanquam ad geminam & propriam sedem Paulus 1. Cor. 11. controversias de Cœna Domini in Ecclesia Corinthiorum revocavit. Siquidem verba sunt Testamenti Novi; Testamenta autem voluntatem morituri postremam continentia verbis constant simplicibus, planis, & perspicuis absq; omnibus involucris. Siq; magni fiunt hominum honestorum Testamenta multò magis verba in Testamento Domini Jesu, qui Princeps pacis est Christianis, quibus sui commemorationem instituit, unicè retinenda sunt.

II. Credimus quod Tropus seu figura non sit in subjecto, neq; in prædicato, quoniam de pane accepto, benedicto, fracto & dato dixit Dominus: Hoc est Corpus meum, *non typicum, imaginarium, tropicum vel figuratum, sed quod ex Maria virgine assumtum pro vobis datum est, atq; in cruce pependit. August. ad Neoph. Sic de accepto calice, benedicto & dato:* Hic est Calix N. T. *in sanguine meo, &c. Et in copula tropum posse delitescere omnes sana*

mente

mente præditi negant, quamvis edoctus ab Angelo, de quo ipse dubitat nigerné, vel albus fuerit, eã in verbũ Significat convertere non erubuerit, quod neq; Evangelista Matthæus, qui primæ institutioni interfuit; neq; Marcus & Lucas, qui ab Apostolis acceperunt; neq; Paulus θεοδίδακτος ausi fuerunt. Certo autem certius est, Christum morti vicinum voluisse manifestè loqui & potuisse cum sit λόγος ipse & sapientia Patris, aut si alia interpretatione opus fuisset, Ecclesiam suggerente Spiritu Sancto per Apostolos de ea fuisse admonitam.

III. Sicut tropos & figuras eliminamus, & τὸ ῥητὸν verborũ Christi observamus, credimus in Cœna Corporis & Sanguinis Christi realem, non tamen physicam localem & rationi humanæ comprehensibilem sed hyperphysicam Soli Deo cognitam, cum pane & vino præsentiam, qualem ipsa verba in genuina sua significatione promittunt. Quia nec aliud Corpus pro nobis traditum est, quã de Virgine sumtum, nec alius quàm immaculati illius Agni Sanguis pro nobis effusus est. Paulus itaq; in tertio cœlo edoctus nominat, 1. Cor. 10. participationem Corporis Christi, & communicationem Sanguinis ejus, quia Christi Corpus à Filio Dei in unitatem personæ assumptũ est; nec adest purè naturaliter, localiter vel circumscriptivè, sed illocaliter, modo cœlesti & Sacramentali. Lutherus. In Christo non sunt duæ separatæ personæ, sed unica tantùm est persona indivisa. Ubicunq; dixeris hic est Dei Filius, ibi fateri oportet & dicere, ergo etiam Christus homo adest. Et si locum aliquem monstrares in quo Solus Deus non autem Homo assumtus esset, jam statim Persona divideretur, esset q; ibi Deus, qui non est homo, & qui nunquam Homo factus est. Absit autem ut ego talem Deum agnoscam aut colam: Hinc enim sequeretur, quod locus aut spacium possent duas naturas separare, & personam Christi dividere, quam tamen neq; mors, neq; omnes Diaboli separare potuerunt. Tanta namq; unio personalis est ut nullibi monstrari possit Filius Dei, qui non sit incarnatus. Ascendit adhæc Christus supra omnes cœlos ut

omnia impleret, Eph. 4. ipsiusq; ascensus veram ejus præsentiam magis confirmat, quod ipsius post ascensionem testantur apparitiones. Act. 7. & 9. & 23. Quandoq; nobis præbet Corpus & Sanguinem, non opus est hujus rei gratia Sanguinem è corpore suo seorsim evacuare: quia Corpus ejus cum Filio Dei in unitatem personæ inseparabiliter est assumtum in statu Exaltationis, Ambros. In illo Sacramento Christus est: quia Corpus est Christi. Sub utraq; tamen specie totus sumitur Christus.

IV. Credimus quod non tantùm spiritualis, sed oralis sit in sacra Cœna manducatio, non autem eius naturalis & in ventrem trajectio, sed supernaturalis inscrutabilis & Sacramenti propriùs: quia Joh. 6. non de Sacramento Cœnæ inposterum instituendo Christus loqui videtur, sed de spirituali manducatione, quando ex Verbo Dei cum omnibus suis beneficijs Christus fide apprehenditur, quæ omnibus prodest ad salutem; & sine Sacramentali manducatione fuit etiam in Veteri Testamento. Cum Sacramentalis indignis cedat ad judicium, 1. Cor. 11. cæperitq; primùm ea nocte qua traditus est Christus. Nec tantùm de suo Corpore sed de Pane dixit Christus: Comedite, quod non sit Spiritualiter sed Oraliter.

V. Quod etiam indigni cum pane verè manducent Corpus Christi, & cum vino in cœna bibant verum Sanguinem Christi, non autem ore animæ ad salutem, sed, teste Paulo, tantùm ad exitium: quia essentia Sacramenti hujus non dependet ab administratium vel sumentium dignitate aut indignitate sed ab Institutoris Veritate, nec hominum incredulitas Virtutem Dei evacuat; nec alijs erga indignissimum Judam, quàm erga reliquos Apostolos Christus de Cœnæ substantia usus est verbis. Arguit itaq; Paulus, 1. Cor. 10. indignos reos Corporis & Sanguinis Christi, utpote rerum præsentium & perceptarum: quia impij nullo modo Corpus Christi spiritualiter manducant, quod fide destituantur, ideoq; sumunt idem essentia sed non efficientia; sicut Sol dupliciter operatur, aliter in lutum, aliter in ceram, aliter in Corpus vivum, aliter in Cada-

Cadaver demortuum. 2. Cor. 2. Splendorem autem bonis & malis communicat, nec ab illis melior, nec ab his deterior redditur. August. contra Donat. lib. 5. cap. 8. Corpus Domini & Sangvis Domini nihilominus erat, etiam ijs quibus dicebat Apostolus: qui mãducat indignè reus erit Corporis Domini, &c. Sic pluit super fruges ad horreum, super carduos ad runcinam & rogum. Hic discernendum est inter Essentiam Cœnæ, & salutarem illius Fructum. Ad Essentiam Eucharistiæ primò requiruntur externa Symbola quæ in oculos incurrunt panis & vinum; deinde præsentia Corporis & Sangvinis Christi, & communicatio seu distributio juxta Christi institutionem. De gratia autem & efficacia meriti Christi ac beneficiorum ejus, quæ est Remissio peccatorum, spiritualis cum capite Christo membrorum κοινώνια docet Orthodoxa antiquitas, quod non ad essentiam Cœnæ, sed ad effectus & fructus illius referenda sint, & ab ijs solùm, qui fide instructi dignè manducant, percipiantur; quia sine fide Sacramenta nihil prosunt. Non autem nostra Fides, sed Verbum & institutio Dei facit Sacramentum Cœnæ ut adsit Caro & Sangvis Domini. Hinc, teste August. lib. 3. cap. 14. contra Donat. fieri potest, ut homo habeat integrum Sacramentum & perversam fidem. Sic infidelitas utentium non efficit ut Sacramentum esse desinat, sed ne utile sit. Et Bernardus tria in hoc Sacramento consideranda monet, Speciem panis, Veritatem corporis & Virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus species est Panis, quod sub illa specie credimus verum Corpus & verus Sangvis Christi est, quo indigni fruuntur tantùm Sacramentaliter; digni autem Sacramentaliter & Spiritualiter.

VI. Licèt sola omnipotentia & virtus institutoris faciat præsentiam Corporis & Sangvinis Christi in cœna, nec ullius hominis verbum, pronunciatio, dignitas vel fides; verba tamen institutionis nulla ratione prætermitti possunt: quia præcepit Christus ut hoc agamus quod ille in prima Cœna, ut sic elementa ad hunc sacrum usum sanctificentur. Et per Verbum Christi animæ cibum capimus,

scilicet Corpus & Sanguinem ejus. Gregor. Niss. Antequam benedicitur panis & vinum nudum est elementum, sed accedente benedictione fit Corpus & Sanguis Christi. Hieron. Vinum in calicem mittitur, sed consecratione cœlesti adest Sanguis Christi. De elemento panis & vini annotare libet egregium Augustini dictum: In ijs rebus, inquit, hoc Sacramentum instituit Deus quæ ad unum aliquod rediguntur: ex multis namq; granis panis efficitur, ex multis racemis vinum confluit, ut vel hoc indicio significaret Sacramenti hujus officium esse fidelium multitudinem in unum Corpus coagmentare, eosq; ad mutuum amorem tanquam ejusdem corporis membra incitare. 1. Cor. 10. v. 17. Si enim Christi Caro quæ omnes nutrit una est, si Sanguis unus est, qui potatus non exhauritur, si Christi Spiritus unus est qui dignè sumentibus donatur, consequens est, ut omnes communicantes in unum Corpus coëant quorum eadem caro, idem sanguis idemq; spiritus est.

Sed ut rem acu tangam, non docetur quod Corpus in pane sit tanquam in subjecto quodam contentum & inclusum, nec quod ibi sit deliteſcentia aliqua Physica, vel copulatio naturalis & circumscripta, nec quod sit durabilis extra usum Sacramenti permanentia. Sed verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus, hoc est, credimus in hac Cœna, quo ab alijs omnibus discernitur, rem terrestrē & cœlestem ita conjūgi ut simul præsentes adsint, & modo insensibili supernaturali uniantur, & elementa physicè ac naturaliter sicut adsunt sumantur, res cœlestes autem modo ὑπερφυϊκῷ τῷ θείῳ. Est quidem hoc in schola rationis παράδοξον: sed in schola Fidei non est absurdum, nec inconveniens quod Deus in Sacramentis agat sacramentaliter. Si rationem quis quærat simplicem fidem meam perturbaturus, eam non reddo, quia Sacramentalis hæc περιχωρητικὴ Panis & Corporis unio in Eucharistia planè singularis est, exemplis carens similibus, & mysterium incomprehēsibile. Longè adhæc aliud est, loqui de hominis corpore absolutè, quàm de Corpore Christi, quod per Incarnationem λόγῳ factum

est

est Dei vivificantis proprium, & in personæ unitatem à Filio Dei assumtum, & ad dexteram Majestatis divinæ exaltatum. Denique si Philosophiam, & regulas physicas rerumq; naturam & ordinem consiederare voluerimus, omnes Fidei articuli & tota Theologia evertetur, ut rerum Creatio ex nihilo, Trinitatis mysterium, Incarnatio Filij Dei ex pura Virgine, & mortuorum Resuscitatio vocentur in dubium. Deus autem hoc dixit, Verbi illius summa ratio, nec dubitare debeo quin verum sit, omissa omni quæstione, quod Deus dixit. Nec ego profundum hoc sapientiæ & mysterij divini æquor cochleari rationis in angustum cerebri mei puteū transfundere valeo. Enimvero non gustatur ore, nec oculis videtur præsentia Corporis Christi, verùm verbis Christi nitimur, & sermoni ejus fidem habemus; nec ullum Fidei nostræ articulum Geometricè demonstrare didicimus. Est adhæc consvetum & usitatum loquendi genus in scriptura ut duæ res certo modo conjunctæ simul tradātur, altera visibilis, altera verò invisibilis, & hæc nominetur, quo certum sit non tantùm adesse visibile, sed etiam id quod non percipitur sensibus. Sic Joh. 20. Christus dicit: Accipite Spiritum Sanctum, & simul emittit flatum. Sic de Maria rectè dicitur quod in utero gestaverit humanam Christi naturam, & simul Dei Filium, teste angelo, Luc. 1. & tamen unicus gestatus est Christus, Alio tamen modo gestavit & peperit Maria Corpus, quàm τὸν Λόγον. Joh. 1. v. 14. Col. 1. v. 19. Col. 2. v. 9. Sic Matt. 3. in visibili Columba & Act. 2. in linguis ignitis adfuit Spiritus Sanctus invisibilis. Denique in sacra Cœna non est impanatio vel trāsubstantiatio, nec localis inclusio, nec discerptio, ideoq; piè dicitur: Sumit unus sumunt mille quātum iste tantùm ille, & sumtus haud absumitur. Ambros. super cap. 10. Ebr. Num quia in multis locis offertur hoc sacrificium multi Christi sunt? Nequaquam, sed unus ubiq; est Christus, & hic plenus existens & illic plenus. Chrysost. Non quia in multis locis offertur multi sunt Christi, sed unus ubiq; Christus. Ille ergo juxta Verbum suum dat nobis corpus & Cruorem suum, non diffusivè, sed

propri-

proprium Corpus Dei incarnati, quod potentius est omni lege corporum, ceu dixit Tertul. Et in hac Cœna non dimidiatus sed totus cum persona sua indivisa adest Christus. Non adest sola Divinitas; quia Caro & Sangvis Christi noster cibus & potus est. Nec adest sola humanitas; quia non dissolvitur vinculum unionis personalis, & extra Verbum non est Corpus, inquit Athanasius. Licèt q. Sacramenti integritas non ex stulto rationis acumine, sed ex omnipotentis Authoris dictamine judicanda sit, plurima tamen extant exempla atq. similia quibus arduũ hoc mysterium simplicioribus redditur magis planum & creditu facile. Namq. una & eadem vox è suggestu docentis vel à mille auditoribus integra & tota, nec in partes discerpta accipitur. Intuentur mille homines Solem unicum totum, nec tamen ob hoc mille sunt Soles. Unica anima vivit & movetur in omnibus membris vivi hominis. Parvulus admodum oculus hominis comprehendit in se simul species multarũ & diversissimarum rerum, longè etiam distantium, quo certè in cogitationibus cœci nihil est absurdius, nihil mirabilius. In speculo magno contemplatur homo faciem suam, quod si fractum fuerit in minutas partes, in singulis tamen facies integra apparet. Maxima arbor in exiguo granulo continetur, & non potuisset Deus invenire modum, dicebat Brentius, quo Corpus filij sui verè adesset in Cœna, & distribueretur pane? Nec quis negare potest, panem quẽ cotidiè edimus & vinũ quod bibimus mutari in carnẽ & sangvinẽ vivũ, idq. naturaliter, verè & realiter, Psal 104. estq. viva caro. Job. 19. Sic duo disparata caro et panis unũ fiũt. Sed Christo multò magis est habẽda Fides.

III. Confir. Fidei. Quod nemo unquam pius & pœnitens peccator ab hoc epulo sit exclusus. Esa. 25. Ezech. 33. Luc. 15. 1. Cor. 1. Dedit enim discipulis & auditoribus qui postea augebantur, Act. 11. & modò Christiani à Christo appellantur: nec tantùm instituit hoc in urbe Sancta, sed repetivit in statu gloriæ post Ascensionẽ, Act. 9. & 26. Paulog. concredidit, qui id Corinthijs hominibus Ethnicis seu Gentibus communicavit. Pertinet itaq. ad Apostolos & omnes

mnes in Christo baptizatos. Chrysost. Sicut Israëlitæ non gustarunt Manna antequam egressi essent exÆgypto per mare Rubrum, Exod. 16: sic nec Manna Corporis & Sanguinis Domini cuiquam communicetur, nisi per Baptismum regeneratis. 1. Cor. 10. v. 1. & 2.

Fuit autem discipulorum numerus exiguus, ergo vel in vili tugurio, si duo vel tres congregentur, Mat. 18. Christus adest. Fuerunt eidem despecti & pauperes coram mundo, piscatores & publicani, 1. Cor. 1. gravissimiq; peccatores, quibus sæpius exprobavit Christus cordis duritiem & fidei imbecillitatem: quia fugientes Dominum deserebant, Petrus eum abnegabat, Judas prodebat; nec delectatur Christus eorum interitu, nosq; benignè recipit, modò onerati accurramus & virtute Sacramenti hujus recreemur. Diligit enim peccatores sicut parentes ægritudine confectam sobolem. Matt. 18. 1. Tim. 1. & 2.

II.

Fructus Fidei Triplex, ne excludamur à Testamento Domini.

I. Ut JEsu Christo agamus gratias pro mensa hac salutifera, Psal. 23 & convivio ἀγάπης. Nec Testamentum hoc negligamus, nisi velimus exhæredari, sed veluti hæredes diligenter observant libellos testamentorum, literasq; hæreditatis distributionem concernentes: sic nos frequenter utamur hoc Sacramento in recordationem mortis JEsu Christi, ut sit nobis cibus immortalitatis. Cypr. Ut per Cœnam Domini vires & bona amissa redintegremus, & in κοινωνίᾳ cum ipso Domino & cum ipsius Carne ac Sanguine coalescamus. 1. Cor. 10. v. 16. 1. Joh. 1. v. 5. Baptismo semel tantùm utimur, de hoc autem Sacramento inquit Dominus: Quotiescunq; feceritis. Romæ in primitiva Ecclesia, teste Hieronymo, usitatum fuit, ut quoties concioni quis interesset, toties communicaret. In Concilio Agathensi decretum est, ut homo Christianus singulis annis ad minimum terve quaterve accedat. Cyprianus suo tempore etiam

am pueris dedit hoc Sacramentum. Sed non admittendi sunt nisi adulti, qui informari possunt de morte Domini, & gnari Catecheseos ipsi publicè gratias agere. Ideoq; ceu mandat Ordinatio Regia parte secunda cap. 6. diligenter examinentur, quænam sit ipsorum de Cœna Domini sententia, num rectè intelligant, quid sit Cœna Domini, quidnam conferat, vel qui sunt ejus fructus, & quam ob causam ea frui desiderent. Simul ne nimia simplicitate in errorem Papisticum de Transubstantiatione vel permutatione Elementorum incidant, fideliter instituantur constare Eucharistiam duabus rebus; altera terrena & visibili, elemento scilicet panis & vini, non immutando; altera cœlesti ac invisibili, nimirum Corpore & Sanguine Christi, in quarum dispensatione Verbi minister σύνεργος Christi est, 1. Cor. 3. v. 9. qui Eulogia seu recitatione verborum institutionis non mutat rerum substantias, sed potentia primæ institutionis, & recitata Christi ordinatione consecrat atq; destinat elementa panis & vini ad hunc sacrum usum, & sic à communi pane & vino segregat, ut mediante pane & vino Corpus ac Sanguinem Christi dispenset, non propria potentia sed efficacia divina, dum Christo operam suam navat, quod omnino ad actionem Sacramentalem requiritur. Christus autem est qui dat Corpus & Sanguinem suum per ministerium ordinarium, simulq; Corporis & Sanguinis sui meritum applicat & obsignat in credentium pectoribus. Quin & hoc inculcandum quod nihil habeat rationem Sacramenti extra institutam actionem, ad quam duo requiruntur, scilicet Eulogia seu pronunciatio verborum institutionis, & κοινωνία seu distributio non solùm Panis & Vini, sed etiam Corporis & Sanguinis JEsu Christi. Non autem existiment rudiores in pane illo minuto rotundo, quales προγγυλοειδεῖς, teste Epiphanio, apud antiquos quoq; Orthodoxos in usu fuerunt, vel cujuscunq; formæ fuerit, local caliter inclusum, & physicè tectum esse Corpus Christi, quod Sacramenta extra usum, consecratis etiam nec distributis Elementis, non sint Sacramenta, nec Christus sit sub Sacramento nisi quatenus ordinatum

tinatum est in usus hominum. Mentes ergo fidelium ad institutionem Christi revocandæ sunt, & sursum Corda ad Dominum, quod unio Sacramentalis panis & Corporis Christi, vini & Sanguinis ejus, non fiat inter recitationem verborum, sed in ipsa actione distributionis & manducationis qua, quod & de vino & sanguine statuendum est, panis non personaliter, nec relativè, sed Sacramentaliter & verè unitur corpori, ut sic verè præsens sit cum Corpore & Sanguine suo Dominus JEsus in Sacramento juxta verbum suum, & sic verè sumatur Christus, ut supra dictum est.

Causæ impellentes sunt,

i. Mandatum Christi, cui obtemperandum est nisi velimus abijci cum Saule, 1. Sam. 12. & omnibus improbis.

ii. Necessitas nostra multiplex: Quia omnes indigemus Gratia Dei & Remissione peccatorum, quæ hic dispensantur. Omnes indigemus fidei corroboratione, Jer. 5. Joh. 3. Ebr. 11. & singulis horis parati esse debemus ad transitum.

iii. Summa bona quæ in cœna distribuuntur scilicet Sigillum Justitiæ, Testimonium gratiæ, Inhabitatio Spiritus Sancti, Novi motus, &c.

Contemtores hujus Sacramenti non annumerandi sunt Christianis; quia

i. Contemnunt Dei ordinationem, medium salutis, signaculum Fidei, sigillum diplomatis & medicinam cælestem.

ii. Se in discrimen æternæ mortis conjiciunt & animam negligunt.

iii. Turpi exemplo alijs præbent scandalum. Matt. 18.

August. in Expos. Symboli. Quia per peccatum sumus vulnerati, necesse est ut medicinam nostris adhibeamus vulneribus. Medicina verò summa est venerabile Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. *Idem:* Sacramenti virtus est, ut non solùm reficiat quos

reperit vivos, sed interdum etiam suscitet mortuos, imprimis illos qui affectu peccandi carent.

Bernard. Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, langvorem sanat, sanitatem conservat. Per hoc fit homo mansvetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promtior, ad gratiarum actionem devotior. Cibus hic cor hominis confirmat, jacentes erigit, debiles confortat, consolatur afflictos, accendit tepidos, excitat pigros, curat ægrotos, ignorantesq; cœlesti luce collustrat.

Idem. Homo per peccatum velut in saxosum quoddam cœnum præcipitatus fuit, quo factum est ut non solùm immundus, sed etiam fractus debilitatusq; jaceret. Quamobrem duplici egebat remedio: altero quo ejus sordes abluerentur; altero quo debilitas roboraretur, & ad illud quidem Baptismus & Pœnitentia ad hoc vero Eucharistia potissimũ destinata est. Hoc Sacramẽtũ præterita peccata delet, armat contra futura, minuit tentationes, regit affectus, illuminat fidem, confirmat spem, inflammat charitatem, excitat devotionem, exhilarat conscientiam, reparat animæ vires, hominemq; meritorum Christi facit participem. Ne ergo negligatur.

II. Fructus Fidei. *Ut dignè accedamus cum vera animi humilitate, fide ac reverentia, ne panis ille nobis vertatur in gladium. Judic. 7. v. 13. 14. Indignos non facit generis ignobilitas, nec morbus corporis, nec paupertas, nec servitus, sed pectus peccatorũ sordibus fœdatum, & pœnitere nolens. Indignè ergo manducant qui ex consvetudine tantùm accedunt, nec admittendi sunt scienter, quia nec impuri & incircumcisi admissi sunt ad esum Agni Paschalis. Chrysost. ait, se malle in partes discerpi, quàm indigno porrigere Corpus & Sangvinem Christi, si sibi eum talem esse constaret. Indigni similes sunt Serpentibus qui in aquam irrepentes venenum deponunt, sed mox iterum devorant: Canibus qui vomita vorant, & porcis in luto gaudentibus. Similes sunt illis qui infirmo laborant stomacho, & purgatione, hoc est, contritione atq; fide indigent aliàs cibus magis obest, quàm prodest. Vel illis qui salutis causa*

causa venam secant, eodemq; die seipsos poculis obruunt, vel illis qui à gravi morbo liberati dictam non observant. Indigni, 1. Cor. 11. v. 29. edunt & bibunt sibi condemnationem, v. 27. tenentur crimine spreti Corporis & Sanguinis Christi, & irâ divinâ onerantur, haud aliter ac si cum Juda Christum prodidissent, ipsumq; ligassent, conspuissent & crucifixissent. Prohibet ergo Christus, Matt. 7. ut ejusmodi porcis Margaritæ objiciantur. Hieron. annotavit quod ejusmodi indigno jam agonizanti, cum justo Dei Judicio os obstructum esset, ne manducaret Corpus Domini, Bubo deformis nummum avidè arreptum obtulerit. Alius quidam fœnerator Sacramenti contemtor, cum vicinus mortis à Verbi ministro deauratum calicem promi vidisset, pignus pretiosum esse existimans spe lucri proclamavit: wie thewr ein Lodt? Cyprian. Serm. de lapsis refert, fœminam quandam idolorum sacrificijs maculatam, latenter sese communicantibus ingessisse, nec cibum sed gladium sibi sumsisse, & veluti quædam venena lethalia intra fauces & pectus admisisset, anima æstuantem, palpantem & trementem concidisse. Quidam venerandus in V.P. vidit Carbones super linguâ indignè manducantium.

Digni sunt verè pœnitentes, qui peccata sua agnoscunt, & de admissis seriò dolent, per fidem autem in Christum Remissionem petunt cum sancto proposito vitam & mores emendandi. Non itaq; homines sancti sunt peccato prorsus carentes; sic enim nemo unquam mortalium ad cœnam Sacram admitteretur, quæ propter imbecilles instituta est, quod validi medico non indigeant, Mat. 9 sed quia non peccant ex proæresi, lapsiq; resurgunt, errores confitentur & precantur veniam. Ejusmodi convivas utraq; manu Dominus invitat, Esa. 45. 66. Matt. 11. nec aspernatur cor anxium & contritum. Psal. 51. Discrimen itaq; inter dignos & indignos est, quale inter agrotantes & mortuos, nec indignis magis prodest cœleste hoc ferculum quàm cibus defunctis, imò cibus illis est perniciosus. Et pij homines ubi historias audiunt illorum, qui indignè ad

res sacras accesserunt, ut Exod. 19. v. 12. & 21. tangentes montem Sinai jubentur lapidari. 1. Sam. 5. v. 6. Percutiuntur mariscis Asdodij propter arcam Jehovæ, 1. Sam. 6. v. 19. Puniuntur Bethsamitæ quod introspexissent arcam. 2. Sam. 6. v. 7. Occiditur Oza à Deo quod temere arcam attigisset. 2. Paral. 26. v. 19. Rex Usias ad altare suffimenti factus est leprosus. Levit. 10. v. 2. Offerentes ignem alienum consumuntur ab igne Nadab & Abihu filij Aaron. Dan. 5. Belthasar Rex Babyloniæ indignis manibus contrectans vasa templi eadem nocte vitâ simul cum imperio spoliatur, & ponderant quod puniet Deus in altera vita si quos in hac reliquerit impunitos, ex animo contremiscunt. Impij autem imperterriti manent & immoti. Sic Jonæ per fretum Dominum fugere conanti accidisse leginus, quem cum excitata tempestas prosequeretur ipse quidem dormiebat sopore oppressus, reliqui autem qui innoxij erant clamaverunt quisq; ad Deum suum. Jon. 1. v. 5.

Digna præparatio ne quis aberret in his consistit: 1. Oportet cotidie intueri speculum legis donec excitet in anima tua Deus contritionem, sitq; lex pædagogus ad Christum. 2. Doleatur non ore tantùm sed ex animo, quia Deum nihil latet, numeratq; Christus viros fœminæ. Joh. 4. v. 18. Absit tamen desperatio. 3. Unica cura sit petere absolutionem & fidei confirmationem in Sacramento. 4. Si Diabolus moram interijcere conatur, tu perrumpe, appropera, nec absterreat te indignitas. 6. Certo confessionis modo absolutionem petas à Verbi ministro, cujus vox tibi vox Dei est. Duplex autem est confessio, duplex quoq; absolutio: Una coram Deo tantùm, sine qua nemo adultus salvatur, Psal. 51. 143. Dan. 9. Luc. 18. absolutio datur à Deo, quando homo credit promissioni gratuitæ exemplo Davidis, Manass. Latronis. Alia est Confessio disciplinæ, cum homo consolationem & eruditionem cum absolutione petit ab Ecclesiæ ministro, ut tranquilla reddatur ipsi conscientia. 6. Credendum quod ministri absolutio sit ipsius Dei remissio, Mat. 16. Joh. 20. peccatic ompedes dissolvens, sicut Act. 12. v. 7. ad vocem Angeli solvuntuc

tur catenæ & vincula de manibus Petri. 7. Depositò omni odio accedatur ad altare, nec tamen desit propositum emendandæ vitæ, nec honesta externa præparatio jejunando & modestè vivendo ante & post cœnam, ut à luxu & convivijs impudicis abstineas. 8. Eluceat vera fides, ut cum summa accedas reverentia, de peccatis tuis, & victima Christi, propter quam cum Deo in gratiam redimus piè cogitans.

III. Fructus Fidei. *Ut post sacram Communionem emendemus vitam, edentes fructus fidei bona opera, pietatis studium, gratiarum actionem, ne quid perpetremus indignum Corpore Christi, sed recedamus à peccatis, pugnemus Sangvine Christi, 1. Mac. 6. v 34. animati contra hostes, sic tangamus Christum, Matt. 9. v. 20. ut sistatur sangvinis profluvium. Et propter hunc sangvinem nos invicem diligamus rectiùs & meliùs, quàm conjurati Catilinæ, qui, referente Salustio, cum adversus urbem Romam conjurassent, humanum sangvinem crateris porrectum biberunt, ut quam inter se consangvinitatem ex natura non habebant ejusdem sangvinis poculo acciperent, & sic ejusdem sangvinis participes omnes unum vellent, idem sentirent, neq; à se ulla ratione dissiderent. Tandem juxta admonitionem Cypriani, quandoquidem Sangvinem Christi bibimus, parati simus sangvinem nostrum, quod tot Martyres fecerunt, pro Christo effundere.*

III.

Triumphus Fidei Triplex, ut Testamento Domini in æternum bene fruamur.

I. *Quod pasti Carne & Sangvine Christi valeamus confringere hostes nostros: quia labia Sangvine Christi conspersa, ut Hieronimus loquitur, Diabolos, teste August. quasi flagello abigunt, & postibus cordis nostri sangvine Agni hujus Paschalis, Exod. 12. 1. Cor. 5. tinctis parcet Dominus, animas q. tanquam ad trabem Crucis cruore Christi conspersas amantissimè recipiet.*

II. Quod Cœna hæc sit phylacterion & optimum viaticum nostrum in peregrinatione mortis, ubi coloniam nostram in cœlestem hinc patriam sumus transportaturi.

1. Ubi quis debet mutare locum, & relicta habitatione sua in aliam transmigrare regionem, necesse est nisi impediri velit à creditoribus ut ab omni se expediat ære alieno. Sic ne abituros nos Satan accuset, retardet & retineat ad Testamentum Domini confugiendum est, petendum testimonium satisfactoris Christi, Psal. 49.69. in Corpore & Sangvine ejus quod abolita sint debita nostra.

2. Viatores literis instructi obsignatis certum rerum testimonium perhibentibus itineri se accingunt, & Regum tabellarij signum circa pectus gestant in vestibus, insculptis Regum & Principum insignibus Aquila, Leonibus, Pardis, Bucephalis, &c. Sic Cœna Domini dignè percepta nobis testimonij loco est, & nos Agnum Dei gestamus in cordibus & anima nostra.

3. Peregrinantes mediatore indigent apud Toparcham, ut cum gratia & favore iter absolvant & magnificè promoveantur. Ille ergo nobis est JEsus Christus apud Patrem æternum, ille occupavit Regnum, Luc. 19. & præparavit mansiones, Joh. 14. 17. dum pro nobis tradidit Corpus & Sangvinem suum.

4. Viatores indigent prudentibus hodegis, & animosis comitibus ne in latrones incidant & ab ijs obruantur. Comitem ergo anguſti itineris, Mat. 7. Luc. 10. se nobis in Cœna Christus adjungit, & per sacram synaxin unum corpus una nobiscum massa est, sic ut qui nos tangit tangat pupillam ejus, Zach. 2. & 9. & cum hoc perruptore, Mich. 2. ambulare felicissimum est. Exod. 34.

5. Postulaturi bona in locis peregrinis hæreditaria diplomatibus muniendi sunt contra hæredipetas seu competitores, ut constet ipsos proximos esse consangvineos. Sic ne eripiat nobis Satan hæreditatem cœlestem immarcessibilem, 1. Pet. 1. v. 4. adducendum est veritatis testimonium in Corpore & Sangvine Christi, qui nos in suo testamento Goël noster, Job. 19. adoptaverit, suorum q; bonorum nos constituerit hæredes. Rom. 8.

6. Viato-

6. *Viatores indigent Viatico, Phylacterio quo nomine, teste Eusebio, cœna appellata est à veteribus, & pharmacis si forte in itinere ægrotent, vulnerentur vel deficiant. Sic ergo Deus in via salutis in quam per Baptismum ingressi sumus, ne ægri defatigemur, vel vulnerati succumbamus, dum in nos irruit Satan & mundus, præparavit Pharmacopolam hanc spiritualem & mensam cœlestem, ut sic confirmati confortemur, & curriculum cum fide absolvamus & bonâ conscientia.*

III. *Quod Virtute Corporis Christi corpora nostra resurgent Christo conformia, Phil. 3. & cum ipso in unum Corpus coadunita & compacta. 2. Pet. 1. v. 4. Rom. 11. v. 24. Sancti Patres Irenæus & Tertullianus inde evidentissimè probaverunt resurrectionem nostram ad gloriam: quia in Cœna Domini corpus nostrum cibetur Carne Christi & fruatur illius Sanguine, sic non tantùm animi, verùm & corporis cibum statuentes, cujus Virtute nos in Christo, & ipse in nobis vivet perpetuò. 1. Thess. 4.*

Ignatius in Epist. ad Eph. Eucharistiam vocat Φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον. *Elias Virtute Fidei suæ reseravit Cœlum & pluviam produxit, Fides nostra, quod longè magis est, hoc Sacramento confirmata morientibus aperiet Cœlum, ut perpetuò regnemus cum Christo. Irenæus lib. 4. adversus Hæreses: Quemadmodum qui è terra panis est, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est; sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti: sic & corpora nostra, percipientia Eucharistiam, non jam sunt corruptibilia, quippe Resurrectionis spem habentia.*

Die Parasceves.

DE PASSIONE AC MORTE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Præfati-

PRÆFATIO SUPPLEX.

DE Passione Filij Dei JEsu Christi & morte ejus non quidem lingva mortalis, sed Angeli, qui recens nati gloriam publicaverunt, accuratè disserere deberent, & rectiùs possent. Sed quoniam ita vitæ humanæ fert conditio, ut homines hominibus incomprehensa Dei opera explicare debeant, hoc unum supereſt perfugium, ut divinum auxilium solita oratione imploremus, quo, juxta Epicharmum, ea doceri possint quæ pueris & idiotis conducant. Nec tantùm prælecta audiatur, nec in parietibus tantùm depicta aspiciatur, sed, quod S. Elisabetha monebat, sculpta sit in viscеribus Cordis nostri historia Passionis Domini. Pater noster. &c.

Exordium Propheticum.

Prædictum fuit Gen. 3. v. 15. Quod serpens mordebit calcaneum Messiæ. Gen. 49. v. 11. Quod lavabit in sanguine uvarum operimentum suum. Psal. 16. v. 10. Quod absq; corruptione erit in sepulchro. Psal 22. v. 17. & 19. Quod perfodient manus & pedes ejus, & sorte distribuent vestimenta ejus. Psal. 69. v. 22. Quod dabunt ipsi fel & acetũ. Psal. 109 De proditore. Psal. 110. v. 7. Quod de torrente bibet. Esa 53. Toto capite, de ignominia, morte & sepultura. Esa. 63. Quod solus calcabit sanguineũ torcular. Zach. 9. De pretio sanguinis. Zach. 11. v. 12. & 13. De triginta argenteis præmonstratum fuit. Gen. 22. v. 6. Quod immolandus ipse portabit lignum Crucis. Nũ. 21. v. 8. Quod erectus pendebit in Cruce, &c. Quæ omnia impleta esse historiæ Passionis & Mortis Christi abundè testatur.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO.

SE sponte Christus offerens
Est passus Agnus innocens
Non exserente vim Logo
Flagra & rubos sub Pontio,

Sub-

Sublatus inde est in crucem,
Sancto Cruore nobilem,
Et mortuus miraculis
Quis sit probavit plurimis.
Novo sepulchro conditus
Ad Inferorum protinus
Domum triumphans transijt,
Sic liberans quos condidit.

NE IN MORTEM SECUNDAM PRÆCIPITES RUAMUS, TRIA EX HISTORIA MORTIS JESU CHRISTI ERUAMUS.

I.
Confirmationem Fidei Triplicem.

I. *Quod proditus, vinctus, condemnatus & passus sit* Jesus Christus *sub Pontio Pilato propter delicta nostra. Esa. 53. v. 5. Rom. 4. v 25. 1. Cor. 15. v. 3.*

Hoc loco auditoribus bis Tria explicentur:

1. *Quænam sit persona patiens, de cujus passione & morte prædictum fuit Annis 4000. & jam prædicatum Ann. 1580. quod sine illius merito, & nisi per fidem in ipsum nemo salvetur. Est autem illa persona JEsus Christus Filius Dei Unigenitus, Psal. 2. Mat. 3. & 17. conceptus de Spiritu Sancto & natus ex Maria virgine, Verus Deus & Verus Homo. Matt. 16. v. 16. Joh. 3. v. 16. Act. 20. v. 28. Gal 4. v. 4. Mysterium autem hoc imperscrutabile & ipsis Angelis plus quàm admirandum nemo mente assequi, neq; verbis exprimere potest, quod Dei Filius omnium rerum conditor servi formam induerit, & sese submiserit ad mortem usq; crucis. Phil. 2. v. 8. Bernard. Ex magnitudine pretij magnitudo delicti agnoscatur: gravis lapsus animæ, qui non potuit nisi morte Christi expiari. Bonavent. Peccati infinita offensa est. Necesse itaq; fuit pro eo*

tollendo infinitum dari pretium. Nudus homo cum Deo agere, pœnam portare infinitam, & Dei satisfacere justitiæ non potuit; Deus autem in sua majestate cum hominibus agere, patiq; & mori non sustinuit.

2. Quod passa sit in Christo humana natura, quiescente, ceu Irenæus piè dixit, λόγῳ seu Verbo, id est, non exserente virtutem suam divina natura. Leo Rom. inquit: Tanta est Unio Dei & Hominis, ut nec supplicio possit dirimi nec morte disjungi, notumq; est dictum veterum: Subtraxit protectionem, non solvit unionem. Hinc in Synodo Alexandrina decretum fuit: Si quis non profitetur Dei Verbum carne passum esse, & carne Crucifixum, & carne mortuum, anathema sit. Vigil: lib. 2. contra Eutych: Christus passus est in unione personli non in proprietate naturæ. Albinus hoc simili declaravit de arbore & splendore Solis; hic enim non læditur licèt illa securi petatur. Sic in Festo expiationis uno ariete mactato pro peccatis populi, alter in desertum demissus est. Et mactato uno passere pro purgando leproso, alter ipsius sanguine tinctus liber dimittebatur. Theodoret. quæst. 22. in Levit. Sed nec ipsi Apostoli toto triennio in schola Christi versati, Matt. 20. Luc. 18. intellexerunt, quia ad latrones pertinebat flagellari, ad blasphemos conspui, ad stultos illudi, ad parricidas crucifigi, quomodo hæc caderent in Filium Dei Salvatorem mundi verum Messiam. Velut autem Codrus Athenienſium Dux haud timidus mori pro patriæ voluit, & Rex militari arte nec non corporis robore excellens, ut vires suas in publico certamine ostendat, gloriamq; quã affectat assequatur, dissimulata majestate regia, velut piscis ære adunco inescatus capitur, ignotus in certamen descendit; quod si conspicuus eò veniret omnes ipsi parcerent, nec tela in ipsum torquerent: Ita Cœlorum Rex & rerum omnium Dominus in hunc orbem venit, ut bonitatis & misericordiæ suæ gloriam patiendo pro nobis patefaceret, nec aperta venit majestate, quia sic nemo contra ipsum insurrexisset, sed Dæmones

mones à conspectu ejus fugissent, Mors ipsum invadere non ausa fuisset, Carnifices armati ut in oliveto resiliissent, & ipsi clavi malleiq; in tortores versi essent. Et si cognovissent, 1. Cor. 2. Dominum gloriæ non crucifixissent. Nec hoc prætereundum, quod occulti hujus Dei Esa. 45. Majestas, licèt ipse à Deo premeretur, à Satana morderetur, ab hominibus conculcaretur velut vermis, Psal. 22. & divinæ naturæ testimonia in Christo Jehova potente in prælio, Psal. 24. etiam in media passione emicuerint evidentissima. Quoniam omnia prævidit, Matt. 20. Luc. 12. Joh. 13. 18. Marc. 14. Unico verbo satelites Judæorum prostravit. Adversarijs non rogando sed jubendo metam posuit: Sinite hos abire. Malcho auriculam præcisam absq; medijs restituit. Duodecim legionum Angelicarum mentionem fecit. Se esse Dei Filium non gratia adoptionis, sed natura & essentia confessus est. August. Patitur ut Agnus, moritur & rugit ut Leo, & sponte volens q; spiritum emittit, eumq; iterum assumit quando lubet. Cyril. Hierosolom. Tradidit non amisit spiritum prævento carnificis officio. Testantur idem Miracula divina atq; triumphus Resurrectionis.

3. Quantùm passus sit Christus. Cujus si prima initia ex historia Evangelica petantur, & paupertatis onus, exilium, fames, tentatio, insidiæ & opprobia quæ Luc: 4. 11. & 13. Joh. 8. 10. &c. sustinuit, cum proditione Judæ flagellisq; & corona spinea jungantur, magnitudinem tantæ passionis exprimere nemo valet. Fuit enim gustus iræ divinæ acerbissimus, nec corporis tantùm sed animæ quoq; passio. Deliquerat homo corpore & anima, unde anima cum corpore morti & inferno erant adjudicata, totus ergo Christus totum me assumsit, ut toti mihi salutem gratificaretur. De animæ Christi passionibus vaticinati sunt Prophetæ, Psal. 22. & 116. & ipse Christus die Palmarum orat Joh. 12. v. 27: Nunc anima mea turbata est, Pater conserva me ab hac hora. Sic post cœnam, Mat. 26. inquit: Contristata est anima mea usq; in mortẽ, & in agone θρόμβοι, h. e. sputas concreti sanguinis guttas præ anxio sudore emisit,

atq; cum lachrymis, Ebr. 5 & clamore, Matth. 26. Patri animam tradidit.

Martyrum pœna tolerabilior fuit, quia
1. Non ita perfectè agnoverunt iram & Judicium DEI.
2. Crediderunt Christum satisfeciſſe pro totius mundi delictis.
3. Mitigavit eorum Chriſtus dolores, & onus cum ipſis portavit. Pſal. 68.

De acerbiſſimis quos in corpore ſuſtinuit Chriſtus doloribus, dū etiam aliquot horis in cruce fixus à carne ſua & nervis pependit, prædictum fuit Pſal. 22. Quod ſeparata ſint omnia oſſa ejus, factumq; Cor ſicut cera, & lingva juncta ſit faucibus. Pſal. 69. Quod intraverint aquæ usq; ad animam ejus. Pſal. 79. Quod effuſus ſit ſanguis ejus tanquam aqua, quod ex hiſtoria Evangelica lucidiſſimè patet, ſiquidem omnia Chriſti membra, quod nulla noſtra pura eſſent, afflicta ſunt: Quoniam circumciſus eſt. Oculis vidit fugam diſcipulorum, & ſortem de veſtimentis. Auribus hauſit ſcommata & inſultationes hoſtium. Caput ſpinis vulneratum eſt. Lingva felle & aceto. Manus & pedes perforati ſunt, & totum corpus plenum vibicibus. Tantus labor fuit liberare genus humanum, & ſatisfacere juſtitiæ divinæ.

4. Quæ cauſæ fuerint tantæ paſſionis, utpote triplices. Prima apud nos peccatum: quia propter noſtros errores percuſſus eſt, & delicta noſtra Chriſtum contumelia affecerunt, egeruntq; in crucem, quæ ſuo merito ipſe pertulit in corpore ſuo, 1. Pet. 2. tulit & abſtulit, Joh. 1. & in mare projecit. Mich. 7. Secunda cauſa apud perverſos Judæos Satanæ miniſtros abominanda cæcitas, qua lapidē ſalutis reprobarūt. Pſal. 118. Eſa. 28. Act. 4. Tempꝰ Viſitationis nō agnoverunt, Luc. 19. Evangeliū & miracula Meſſiæ non reſpexerūt, Barabā Chriſto vitæ Principi præpoſuerunt: unde illis doctrina de Chriſto crucifixo ſtultitia, ſcandalum & odor mortis. 2. Cor. 2. Tertia apud Deum, illaq; Triplex: Primò Juſtitia Dei cui ſic oportuit ſatisfieri, quandoquidem Homo ſuperbiens ut Deo redderetur ſimilis af-

fœtavit Dei divitias & contumax pomum gustavit vetitum, de arbore scientiæ, unde maledicta terra spinas germinat. Mulier autem prima deliquit pedibus & manibus malè utens, ipsaq; ex latere viri ædificata, & sic rei facti sunt aternæ mortis. Ut Filius Dei se exinaniret servus factus & inops obediensq;, spinis coronatus in arbore pendens, manusq; & pedes perfossus & punctus in latere moreretur, nec alio modo placari potuit ira Dei justissima, quæ passione & virgis Christi mitior facta est, sicut leones etiam ferocissimi, si videant catulos suos virgis cædi, mansuetiores reddi scribuntur. Secundò Misericordia Dei, cujus nullum præclarius extat documentum, quàm quod Filio non pepercerit, Bernh. ut servos & hostes redimeret, Rom. 5. & sic superabundaret gratia super delicta. Nam Christus, ut August. inquit, multò plura quàm debebamus persolvit, tantoq; plura, quantò guttulam exiguam pelagus immensum excellit. Idem ait: Mirentur alij potentiam Dei immensam, ego autem mirabor promissam per Filium Dei misericordiam. Idem exclamat: O immensa pietas, O inæstimabilis charitas. Deus factus est Homo, ut perditus homo de potestate Satanæ eriueretur. O charitas & pietas! Quis audivit talia? Quid dicant Angeli & Electi, quod Deus spectator esse potuerit, tot cruciatuum auditorq; tot gemituum? Quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non collætetur propter nimiam Dei Charitatem? Sic enim ostendit nobis Deus faciem suam. Psal. 85 Nec ullus modus convenientior reperiri potuit, quo nobis abyssum bonitatis & misericordiæ suæ Deus aperiret, quàm opus passionis Christi, quod uti Christo maximum laborem, ita nobis maximâ peperit utilitatem. Alias quicquid Deus donasset, etiam si in nos omnes thesauros suos effunderet, absq; Christi merito, nihil plus tamen fecisse videretur, quàm si quis in ripa amplissimi fluminis, vel ingentis Oceani, sitienti urceolum aquæ porrigeret. Sed ô profunditas divitiarum quod Christus pro nobis passus sit. Tertiò Amor Jesu Christi, quo ipsi nos amplexus est, cum nemo fuerit ipsi consiliarius, nec quis de eo meritus sit:

quia dilexit nos ante jacta mundi fundamenta, pœnamq; nostram in se derivavit. Dilexit nos plus quàm semetipsum, quia se pro nobis tradidit, vitamq; Archipastor pro ovibus suis posuit, Joh. 10. adhuc semel moriturus quod Carpi monet historia, si opus foret. Cùq; vulgo quatuor numerentur gradus bonitatis & benignitatis: Primus eorum qui, quod frequenter fit, commodum suum quærentes benefaciunt. Secundus eorum qui gratis benevolentiam exhibent nihil indè sperantes. Tertius qui non solum amicis, sed etiam inimicis & sine emolumento benefaciunt. Luc. 6. Quartus & summus illorum, qui cum maximo dedecore & damno suo aliorum commoda quærunt. Ita verè Christus pro nobis inimicis suis labores, vulnera, vibices & ignominiam sustinuit, ut nos felices & beatos redderet, nec sibi pepercit ut nobis parceretur.

5. Quod sponte volensq; oblatus sit Christus, Psal. 40. Ecce venio &c. Esa. 53. Luc. 9. & 12. etiam dehortantibus ipsum discipulis, Matt. 16. Joh. 11. ideoq; cum mille modis elabi potuisset vel sese conferre ad Agabum Edessenorum Regem dimidium civitatis bonæ offerentem, Euseb. lib. 1. cap. ult. publicè, à nemine coactus, Mat 21. Urbem ingressus est, & in loco proditori cognito manus ad vincula extendit, Petrumq; à pugna abstinere jubet. August. Passus est Christus: Quia voluit. Joh. 10. Quando voluit, nec post festum. Joh. 12. Quomodo voluit, scilicet venditus & vulneratus. Zach. 11. Psal. 22. Hæc itaq; spontanea Christi voluntas summa est recreatio nostra contra inobedientiæ nostræ stimulum, siquidem per Christi obedientiam sanctificamur. Rom. 5. Est quoq; insignis Judæorum refutatio, quod, teste Augustino, non mortuus sit Christus ex necessitate, negq; ex debito quia omnipotens est & immaculatus, sed ex libera voluntate, quia misericors & miserator Dominus. Anshelm. lib. 1. Cur Deus Homo cap. 8. Deus non compulit Filium suum ut invitus oreretur & occideretur, sed sponte mortem suscepit, quia absq; peccato erat, ut homines salvaret. Monet tandem, ut exemplum obedientiæ Christi imitemur invocationis nostræ laboribus, ne facia-

mus

mus opus Domini fraudulenter. Jer. 48. 1. Corinth. 9. 1. Tim. 5. 6. Quod innocens passus sit Christus justissimus pro injustis: cum enim ab æterno Dei sit Patris Unigenitus, & per operationem Spiritus Sancti natus Homo de pura Virgine, se peccato polluere non potuit, sed Pater, ut allegem Augustin. verba, cum sanctificavit, ne confunderetur cum genere humano, sed per eum liberaretur genus humanum. Probatur autem Innocentia Christi ex Prophetis. Psal. 45. v. 3. Pulcher es admodum, &c. Psal. 69. v. 5. Reddidi quæ non rapui Esa. 43. v. 24. Laborare fecisti me in iniquitatibus tuis. Esa. 53. Conjecit Deus in eum peccata nostra. Esa. 50. v. 8. Quis contendet mecum? Idemq; docuit Agnus Paschalis, & reliquæ oblationes immaculatæ. Et summus Sacerdos non nisi lotus ingrediens in Sanctum Sanctorum, omnisq; claudus, monoculus, surdus, spuriusq; ad Leviticum Sacerdotium, Levit. 21. nunquam admissus. Dicit ergo Christus ipse Joh. 8: Quis ex vobis arguet me? Paulus 2. Cor. 5. quod non noverit Christus peccatum. Petrus ex Esa. 53. quod non inventus sit dolus in ore ejus. 1. Pet. 2. v. 22. Tandē testis est ipsa passionis historia: 1. In Concilijs sacerdotum dolosis & quæsita proditione. 2. In domo Caiphæ ubi nugas cōgerūt inanissimas. 3. In domo Pilati dum nihil probant. 4. Testes subornati & pretio conducti pudefiunt. 5. Judas reus sanguinis innocui se strangulat edita prius confessione. 6 Pilatus septies confitetur Christi innocentiam. 7. Rex Herodes porrecta alba toga. 8. Pilati uxor. 9. Latro pœnitens Christum justum esse fatetur. 10. Cui insuper innocentiæ testimonium dederunt Sol, terra & lapides. 11. Et centurio cum assessoribus suis. 12. vindicta divina, qua Judæi direpti & expilati sunt. Esa. 42. Augustin. de operibus. V. & N. Testam. cap. 7: O mirabilis censuræ conditio. Peccat iniquus & punitur justus. Delinquit reus & vapulat innocens. Offendit impius & damnatur pius. Quod meretur malus patitur bonus. Quod perpetrat servus exsolvit Dominus. Quod committit homo sustinet Deus. Quo Nate Dei tua processit Humilitas? Quo tua flagravit Charitas? Quo descendit Pietas?

tas? Quo excrevit Benignitas? Quo tuus attigit Amor? Quo pervenit Compassio. Ego iniquè egi, Tu pœna mulctaris. Ego facinus admisi, Tu ultione plecteris. Ego crimen edidi, Tu torturæ subijceris. Ego superbivi, Tu humiliaris. Ego tumui, Tu attenuaris. Ego inobediens exiti, Tu obediens scelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui, Te perfecta Charitas duxit ad Crucem. Ego præsumsi vetitum, Tu subijsti aculeum. Ego delector cibo, Tu laboras patibulo. Ego fruor delicijs, Tu laniaris clavis. Ego pomi dulcedinem, Tu fellis gustas amaritudinem. Mihi ridens congaudet Eva, Tibi plorans compatitur Maria. Ecce Rex gloriæ, Ecce mea impietas, & tua clara pietas.

II. Confirm. Fidei. *Quod Jesus Christus Dei & Mariæ Filius crucifixus sit & mortuus, & sic omnia consummaverit. Cum autem tota rerum natura super morte Christi commota sit, absit à cordibus nostris ἀναλγησια, ne glacie frigidiores, & scopulis duriores deprehendamur. Sed hoc loco Tria ponderemus:*

1. *Eductionis historiam cum bajulatione crucis ad locum Golgatha, qui, teste Epiphanio, principio sanctus fuit, in quo Abel, Seth, Enoch obtulerunt, Sem habitavit, Isaac mactari debuit, & Adam fuit sepultus; sed postea profanatus locus factus est supplicij. Nec prætereamus mortis genus ignominiosum, Deut. 21. Psal. 22. 59. Ezech. 17. Matt. 20. prædictum, Typisq; arboris Vitæ, postium sanguine conspersarum, Exod. 12. Ænei serpentis, Num. 22. & signi, Ezech. 9. adumbratum. Unde fortè consuetudo signandi frontem figura crucis primùm in Ecclesiam Christi manavit. Cyprianus eam sic describsit:* ——Una destipite surgit
Et mox in geminos extendit brachia ramos,
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt.

Arborem hanc Crucis de tribus granis, quæ moriente Adamo ex Paradiso allata Seth plantaverit, procreviſſe, & tempore Salomonis cæsam atq; in terram defossam fuisse quidam scripserunt. Judæi autem non vivos sed lapidibus antea obrutos, blasphemos & idololatras

tras non clavis sed laqueis de cruce suspendebant, & ante vesperam cadavera sepelire, ne contagione illorum aër ipse calidus pollueretur, certa lege Deut. 21. tenebantur, subjuncta ratione, quod maledictus sit à Deo qui pendet in cruce. Ethnici autem latrones & maleficos clavis cruci vivos affigebant, & sic tardiore supplicio necabant, clavis ad lignum manibus pedibusq; confixos. Tam immani ergo supplicio Christus ab Ethnico judice Pilato necatus Maledictum pro nobis factus est, Gal. 3. in medio latronum, inter cælum & terram manibus expansis moriens, & sanguine vulnerum suorum nos à peccatis purgans.

2. *Septem dicta Christi in Cruce, salutaris doctrinæ & consolationis plenissima, & intimis mentium nostrarum penetralibus meritò inscribenda.*

Orat, Commendat, Recipit, Clamat, Sitit, & sic
Consummat, Tradit deniq; Patri animam.

3. *Miracula quæ Domini JEsu mortem comitata fuerunt Triplicia.*

1. *In cœlo: quia circa horam 6. adhuc vivente Christo facta est Eclipsis ad horam usq; 9. contra ordinem naturæ.*

2. *In mundo: quia velum templi scissum est. Et factus est ingens terræ motus & lapides movebantur.*

3. *Sub terra: quia sepulchra mortuorum aperiebantur, & defunctorum corpora sese ad Resurrectionem præparabant.*

III. Confirm. Fidei. *Quod sepultus sit Dominus Jesus & descenderit ad inferna. De Sepultura Christi prædictum fuit Psal. 16. Esa. 53. v. 9. & allegatur ab ipso Christo typus Jonæ Mat. 12. Factumq; est in horto Josephi, ubi novo sepulchro illatum Corpus Christi quievit, & peccata nostra victimæ Corporis Sancti imposita una secum sepelivit. Imò velut Christi sepulchrum glorioſum fuit, Esa. 11. siquidem ex morte ad vitam & gloriam æternam revixit: sic contactu corporis sui, longè efficacius quàm Eliseus, 2.*

Reg. 13. sepulchra nostra, quæ alioquin fœda cadaverum antra & spurcæ serpentum cavernæ videntur in dulcia convertit cubilia, à quibus jam gloriosis omnem serpentis Diaboli abegit immundiciem. Et sanctos Angelos qui ad Christi excubias agebant monumentum, nobis quoq; vigiles constituit, qui translatis in Paradisum animabus exuvias quoq; observent, & cineres nostros colligant ut redeunte ad Judicium Christo domicilia sint Spiritus Sancti, & Sabbathum agant æternum. Porrò quamvis variæ & multùm discrepantes inter Ecclesiæ doctores de modo ac tempore descensus Christi ad inferna sint sententiæ, hac tamen propter evitanda absurda quæq; simpliciter acquiescendum judico: Quod scilicet Eph. 4. v. 9. illud quod ascendit, etiam descenderit ad locum damnatorum, licèt ubi & qualis sit ille locus curiosè non sit quærendum. Hoc est, quod tota persona Deus & Homo, totus Christus ad inferos descenderit, Euseb. lib. 1. Eccl. hist. cap. ult. in terræ motu & ipso momẽto Resurrectionis; ubi in statu exaltationis de hostibus suis, quibus se vivum exhibuit triumphum egit. Hinc Athanasius in lib. de Virginibus: Christus descensu suo (inquit) perfunctus est mediæ noctetum, cum ex mortuis esset resurrecturus, ut Sol justitiæ, qui in cruce occiderat, cum Sole firmamenti pleno jubare oriretur: haud secus atq; Simson media nocte surgens ambas Gazæ civitatis portas evulsit & confregit, easq; ante exortum Solis in montem editiorem transportavit, sic de suis triumphans hostibus. Ergo de descensu Christi ad inferos simpliciter ut verba sonant Symboli articulum retinemus: Sic enim de manu inferni nos liberavit, Ose. 13. v 14. & ab inferno animas nostras eduxit. Psal. 30. v. 4. Fulgent: Homo à Deo susceptus descendit, quo homo separatus à Deo peccati merito ceciderat, id est, ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum ubi consueverat peccatoris caro corrumpi sic tamen ut nec Christi caro in sepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur. Descendit autem ut mors occideretur, & dolores inferni solverentur, quia Divinitas adfuit. Aug. propter

te mortuus ad inferna descendi, ut te ad Paradisum reducerem, si Tartara adij, ut tu in Cœlo regnares. Agnosce ergo impietas, quæ pro te pertuli. Si quis ex 1. Pet. 3. v. 18. 19. 20. astruere velit, quod Christus profectus in infernum prædicaverit animabus olim in diebus Noha immorigeris & incredulis, non liberans eos, quod ex inferno non sit redemtio, Eccl. 11. Ebr. 9. sed demonstrans reipsa ipsos impiè & stolidè nimis sprevisse promissum Messiam, quem toties venturum audiverant, & modò exhibitus sit ut credentes ab inferno liberet, non repugno, quamvis quomodo Christus abierit in carcerem inferni, & quidnam ibi egerit vel passus sit, integrè explicare nemo possit. Si quis statuat dolores inferni circumdedisse Christum. Psal. 18. v. 6. Respondetur quod omnia in ligno Crucis à Christo consummata sint, cumq; dolores inferni nihil sint aliud quàm à Deo esse derelictum, Psal. 22. v. 1. & extrema cruciari siti, Luc. 16. v. 24. eos verè Christus gustavit. Postremò, cum mors sit corporis & animæ dissolutio, in Christo autem non tantùm anima & corpus unita sint naturaliter, sed utrumq; horum quatenus hominem verum constituunt unitum sit τῷ Λόγῳ, qui verum & perfectum hominem corpore & anima rationali constantem in suæ hypostaseos unitatem assumsit, notandum est, quod quanquam in Christi morte Anima à Corpore verè dissoluta fuerit, neutrum tamen illorum dissolutum fuerit à Logo. Adeoq; naturalis tantùm animæ & corporis non personalis cum Logo unio per mortem & descensum ad inferos dissoluta fuit.

Hoc loco pro majore Fidei nostræ confirmatione, ut imperscrutabilis JEsu Christi amor, quo pro inimicorum suorum erratis tantos pati dolores dignatus est, magis magisq; elucescat, considerandum est, quod: 1. Qui creavit Genus humanum in horto, pro eodem redimendo proditus sit in horto. 2. Qui ubiq; præsens est & se ultro offert, quæsitus sit à sceleſtis. 3. Qui est liberrimum agens cum Patre & Spiritu, qui liberat vinctos, Zach. 9. vinculis constrictus sit. 4. Qui nullum unquam dereliquit, si quoq; mater filium, Esa. 49. ab Apostolis profugis sit derelictus.

5. Qui Verbum è sinu Patris protulit, Blasphemus dicitur. 6. Qui pacis Author & Princeps est, seditionis accusatur. 7. Qui noctem à die discernit, & animalibus quietem largitur, longam noctem terit. 8. Qui condidit manus, sustinet colaphos. 9. Qui distribuit coronas & sceptra, illi spina dantur & arundo. 10. Ridetur, qui vertit lachrymas nostras in risum aternum. 11. Justissimus trahitur ad tribunal injusti. 12. Qui placidissimè vocat laborantes, Mat. 11. super hunc clamatur: Crucifige. 13. Vitæ Deus & author damnatur & moritur. 14. Benedictus ac benedicens, Gen. 22. sit maledictum. 15. Omnia movens, Act. 17. in Cruce clavis fixus hæret. 16. Pretiosissimus & speciosiß. Psal 45. inter filios hominum livet. 17. Qui foveas & nidos donat, Matt. 8. non habet quo cervix reclinetur. 18. Donator lanæ & lini nudus pendet. 19. Qui omnia largitur egenus opem petit. 20. Qui fontes aperit & uvas creat siti torquetur. 21. Nostrum refugium quærit solamen, & confortatur ab Angelis qui fecit eos ignem flammantem. Psal. 104. 22. Qui noster est bonos fert scommata. 23. Qui vitam dedit & reddet, mortuus sepelitur. 24. Qui omnes illuminat, Joh. 1. per mortem oculos claudit. 25. Qui suscipit animas nostras suam Patri tradit. 26. Qui protrahet nos de sepulchro in eo conditur. 27. Qui liberat nos à Gehenna, ad infernum descendit. O admirabilis censuræ conditio! Hoc ergo sit Fidei nostræ sigillum, ut Christo qui pro nobis satisfecit confidamus, & per Fidem in meritum ejus salvemur.

II.

Fructum Fidei Triplicem.

1. Ut dolentes agnoscamus delicta nostra, quæ Christum in Crucem egerunt, & cum sine vera pœnitentia salvetur nemo, Luc. 13. pia Passionis Dominicæ meditatio excitet in nobis veram contritionem: ut agnoscamus severitatem iræ divinæ contra transgressores, quorum neminem dimittere voluit, nisi ipse Filius Dei dilectiß-

ßimus pro ÿs ederetur & satisfaceret. Esa. 53. Si Filius Dei innocentißimus ita afflictus est, quid fiet de peccatoribus? Quis non horrescit meditando quod Splendor & imago æterni Patris tanta tormenta subierit? Nos autem delictis nostris Christum crucifiximus, hinc Petrus quasi fulmine ferit Judæos inquiens: Vos ipsum in crucem egistis per manus injustorum. Act. 2. v. 23. Unde 3000. auditores perculsi & compuncti corde se ad Dominum converterunt. Sic D. Bernard. exhorruit, aitq́: Existimâram me securum fore, ignarus latæ super me in Cœlo sententiæ, donec videbam Filium Dei commiseratione mei ardentem prodire, & Judicio ac morti pro me sese submittere. Væ mihi tempus ludendi & jocandi nullum est residuum. Et Christus, Luc. 23. v. 31. mulieribus plangentibus respondet: Si in viridi ligno ita faciunt, in arido quid fiet? hoc est, ex mea passione agnoscite quid peccatores meriti sint, & quid de vobis futurum sit. Si Christum unica pungit spina, una vulneratur manus, nos meritò in æternum torquendi essemus, quæ etiam incredulos pœna manebit. Sic ex Passione Christi agnoscet homo seipsum, & nisi sic contritus angatur meritis Christi excidet, oportet enim nos propter peccata in conscientia affligi, sicut Christus pro nobis afflictus est, quem nos ad occisionem duximus. Quid non metuat servus iniquus & noxius, si videat patrem filio crudelem esse innocenti? Hic dolor vel in vita, vel in morte, vel in Gehenna peccatores torquebit. Infinitum autem esset in inferno, periculosum in agone, rogandus ergo Deus est ut hic per salutarem Passionis Christi meditationem in nobis dolorem excitet, veteremq́ hominem cum voluptatibus carnis & mundi delicÿs supprimat & eruncet. Ne evigilans peccatum nos ad desperationem adigat, sed firma fide quod per Vulnera Christi sanati simus, peccata super ipsum volvamus, siquidem illa pertulit in corpore suo factus pro nobis peccatum. 2. Cor. 5. Et vera arca in cujus medio janua facto vulnere diluvium iræ divinæ fugientibus patefacta est. Gen. 6. Sic Petrus & pius latro agnitis delictis suis, eorundem veniam in Christo invene-

runt: Judæ autem desperans & latro improbus Satanæ in prædam cesserunt.

II. Ut Passionem JESU CHRISTI *cum ardua gratiarum actione recolamus, nec tantùm verbis sed reipsa pro vulneribus & morte Domini gratitudinem declaremus, JEsum Christum pro nobis passu ex toto animo & toto corde diligam*⁹. *Thomas Porcatius:*

Pro servis Dominus moritur, pro fontibus Insons,
Pro ægroto Medicus, pro grege Pastor obit.
Pro populo Rex mactatur, pro milite Ductor.
Pro opere ipse Opifex, proq; homine ipse Deus.
Quid servus, fons ægrotus, quid grex, populusq;
Quid miles, quid opus, quidve homo solvet? AMEN.

Iohan. Montad.

O Domine atq; Insons, Medice, & bone Pastor IESU
Rex, Dux, atq; Opifex, ô miserere Deus.

Requirit autem amor mutuus, ut ad voluntatem Christi totam vitam nostram instituamus, & hæc Charitas est, ut mandata ejus servemus. 1. Joh. 1. Augustin. Quomodo, inquit, diligis eum cujus odisti præceptum? Quis est qui dicat diligo Imperatorem, sed odi leges ejus. In hoc intelligit Imperator quod diligas eum, si observes leges ejus? Simulq; gratissimi pulli singularem erga Pelecanum sanguine suo nobis vitam restituentem declaremus benevolentiam, & velut Armenia, Tygranis uxor, neglecto Cyro & omnibus rebus terrenis illum unicè aspectemus, qui nos vitæ suæ pretio redemit, & morte sua in libertatem Vitæ æternæ asseruit.

III. Ut imitemur Exemplum Christi, atq; ex illo omnes nobis virtutes comparemus, quarum ipse perfectissimum nobis speculum præbet, Rex regum,

Cujus ad Exemplum meritò componitur Orbis.

1. Pet. 2. v. 21. Passus est pro nobis Christus, relinquens nobis præscriptum ut sequamur vestigia ipsius. Lactant. ideo Christum missum fuisse scribit, ut esset Doctor non verbis tantùm, sed exemplo etiam justitiæ, humilitatis, mansvetudinis & cæterarum virtutum perfecto nos ad virtutem invitaret, ideoq; passum ut patientiæ

nobis exemplum præberet, dum se victimam pro Redemtione nostra in ara Crucis æterno Patri obtulit. Apud Ephesios cotidie quidam ex senioribus Vir illustris, ut per illius virtutes & res præclarè gestas ad honestatis studium inflammarentur spectatores, publicè ante oculos positus fuit, magis Christi exemplum cotidie in animo circumferendum est. Bernard. Homo qui virtutes sibi vult comparare, frustra laborat si eas alibi quærat, vel ab alio petat, quàm à Domino virtutum: Cujus doctrina est regula prudentiæ; Cujus misericordia est opus justitiæ; Cujus vita est exemplum temperantiæ; Cujus mors est vexillum patientiæ.

Si ergo nos dolor vel morbus invadit, conferamus eum cum spinis & clavis Christi, & nullus videbitur: si cogimur vel fugere, vel facere quod nobis ingratum est, consideremus quomodo Dominus JEsus captus, ligatus & tractus sit: si tribulatio & angustia nos invenerit corporalis aut spiritualis: si tandē impij & ingrati homines nobis molestiam creant. Cur non sustineamus modicū, cū Dominus noster pro dolore sanguinem sudauerit? Gregor. Si Passio Domini ad memoriam revocatur, nihil adeò durum est quod non æquo toleretur animo. Si te superbia inflat, ecce quomodo Christus illusus & sceleſtis annumeratus sit! Quid si innocenti tibi hoc contingeret? Si vexat animum impudicitia & Veneris irritatio, considera quomodo sanctissima Christi caro virgis cæsa, perforata & percussa sit. August. in Man. cap. 22. & 23: Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, vel ardor libidinis movet membra mea, recurro ad vulnera Christi, eorumq; recordatione extinguitur. Si ardes ira & studio vindictæ, animo volve quantis lachrymis Christus pro te & hostibus suis intercesserit, cum vindictam statuere potuisset. Origen. Ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum: Est enim tanta vis Crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati & carnis fugetur exercitus.

Virtu-

Virtutes quas ad exemplũ Christi maximè imitari debemus sunt: Obedientia, Phil. 2. Fides, Psal. 22. Spes, Patientia, Esa. 53. Humilitas, Matt. 11. Beneficentia, Mansuetudo, Innocentia, Clementia, Veritas, Temperantia, precandi studium seu ardens Dei Invocatio. Siquidem tam consilio, quàm exemplo nos docet vigilare & orare, ne tẽtationibus debilitati & fracti succumbamus: quia somnolentos invadit paupertas. Prov. 6. Somno deditus Simson privatur viribus suis. Jud. 16. Dormienti Sauli David arma eripit. 1. Sam. 26. In somno interficitur Sissera, Jud. 4. & Holofernes Judith. 13. Ubi dormiunt homines seminat Satan Zizania. Matt. 13. Hinc excluduntur multi cum virginibus fatuis, Matt 25. à Regno Dei. Gregor. Sicut Antiquus hostis contra consentientes fortis est: ita contra resistentes debilis est. Et si ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi Leo nequaquam tolerari potest, si autem resistitur quasi formica atteritur. Et præparatio ad pium obitum, siquidem, Seneca teste, malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur, & turpis foret ille servus, qui luctante Domino cum morte, se somno traderet. Ad exemplum itaq; Christi: I. In morte Deum invocemus, orantes etiam pro inimicis nostris. Act. 7. 11. Disponamus res nostras facto Testamento, & quantùm possumus domesticis nostris rectè prospiciamus. III. Confiteamur cum latrone peccata sperantes nos fore cum Christo in Paradiso. IV. Confirmet fidem nostram Verbum Dei antea congestum, Prov. 6. aliàs punitur peccator moriens ut sui obliviscatur, qui in vita Dei oblitus est. August. V. Ardeamus siti & desiderio æternæ beatitudinis. VI. Gaudeamus & abigamus hostes, eo quod per Christum omnia sint consummata. VII. Commendemus Deo animam nostram. Psal. 31.

Sic consideranda est Passio JEsu Christi, ut quotquot Christi sunt, illi crucifigant carnem suam cum voluptatibus atq; desiderijs, inprimis aures, oculos & lingvam, tria præcipua corporis membra seu partes tribus Dominicæ crucis clavis transfossas ligno affigant, ne turpia audiant, ad vanitatem diffluant, & abominabilia loquantur.

III. Trium-

III.

Triumphum Fidei Triplicem.

I. Quod quæcunq; primus Adam peccando perdidit, illa secundus Adam Christus nobis obediendo singula restituit. 1. Cor. 15, Hinc Fulgentius in Serm. de duplici nativitate Christi pulcherrimã instituit Christi & Adæ collationẽ. Per primi hominis culpam cepit Diabolus homini dominari. Per secundi hominis gratiã cepit ab homine superari. Super primũ superbus. Sub secundo captivus. Per illũ nos captivos tenuit. Per istum nos liberatos amisit. Primus Adam nobis author extitit culpæ. Novissimus Adam nobis author extitit gratiæ. Ille de limo plasmatus terrenos protulit. Iste de Spiritu Sancto natus cœlestes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem. Per istum accepimus ampliorem. Ille quippe intulit nobis peccati maculam, cum qua nasceremur ad supplicium. Iste contulit nobis justificationis gratiam, ut renasceremur ad regnũ. Per illum nos filios seculi generatio carnalis effecit. Per istum nos filios Dei generatio spiritualis exhibuit. Ille nos vitijs subdidit. Iste nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia dejecit quò primus cecidit. Iste nos per virtutes elevat quò primus ascendit: Ille quippe primus cecidit in infernum. Iste primus conscendit in cœlum.

Damasc. lib. 4. c 11: Per nullum aliud mors primi parentis destructa est, primi parẽtis peccatũ solutũ, Infernꝰ spoliatus, resurrectio donata, virtus nobis contemnendi præsentia mortẽq; ipsam elargita, ad antiquã beatitudinẽ regressio reparata, portæ Paradisi patefactæ, natura nostra ad dextrã Dei posita, Filij Dei & hæredes facti, nisi per Crucem Domini nostri JEsu Christi. Per ipsam enim hæc omnia mirificè sunt impleta: Ipsa est scutum & arma, & trophæum adversus Diabolum: Ipsa signaculum ut non tangat nos exterminator: Ipse jacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus & corporis omnium malorum aversio, omnium

um bonorum eausa, peccati destructio, arbor Resurrectionis, lignum Vitæ æternæ. 1. Avertit Christus patiendo & moriendo à nobis iram Dei, & Patri suo nos reconciliavit ut pacem habeamus cum Deo, Rom. 5. & accessum ad thronum gratiæ in sanguinem Christi. Rom. 3. Testaturq; ipse Deus concludens insigni Epiphonemate colloquium Eliæ & Mosis cum Christo de exitu in Jerusalem peragendo, Matt. 17. v. 5. quod in Christo acquiescat. 2. Abstulit peccata nostra, Joh. 1. quæ aliàs vel minima nos desperare coegissent, Medicus vulnera nostra sanans, Matt. 9. Esa. 63. Luc. 10. & sanguinis sui aspersione lepram nostram emundans. Esa. 1. 3. Sustulit maledictionem, Deut. 27. Gal. 4. atq; nobis benedicit. Gen. 12. 18. & 22. 4. Mors mortis morti mortem mors morte redemit. Ose. 13. Mich. 2. 1. Cor. 15. Hinc imperij larvam non imperium habet; nam Christus mortem abolevit & vitam in lucem produxit atq; immortalitatem. 2. Tim. 1. v. 10. 5. destruxit opera Diaboli, 1. Joh. 3. & spolium ejus distribuit. Luc. 11. Sic Crocodili ventrem perfodit Ichneumon, & moriens victoriam rapuit de hostibus. Jud. 14. 6. Liberavit nos ab æterna morte & cruciatibus inferni. Act. 2. Tanti thesauri per mortem Christi nobis parti sunt, tantos fructus profert Arbor vitæ in Golgatha: Quia judans, contristatus, proditus, vinctus, desertus, accusatus, flagellatus, derisus, vulneratus & conspitus spinis coronatus, latronibus annumeratus, condemnatus, suspensus, mortuus & sepultus Christus laboris sui præmia & merita nobis liberalissimè largitur; quod per totam passionem h. l. posset deduci.

II. Triumph. Fidei. *Quod nobis ex hoc vitæ gurgustio emigrantibus, velut & latroni dextro apertus sit Paradisus. Nam, ut Beda scripsit, Mors Christi est Vita nostra, & Crux ejus clavis est Paradisi. Neq; eò primùm in novissimo die transferentur animæ nostræ; sed* Hodie *inquit Dominus Luc 23 hoc est, in eadem hora, qua anima à corpore divellitur, quo facto anima non dormiet obruta sopore; neq; inter cœlum & terram circumvagabitur, multò minus,*

minus simul morietur; neq; ceu candela extinguetur, vel ut fumus & nebula evanescet, sed subitò in gloriam Paradisi introducetur. Ubi enim externus noster homo corrumpitur, 2. Cor. 4. v. 16. internus renovatur cotidie, & quo viciniores morti, eò viciniores sumus gloriæ vitæ æternæ ut Deum videamus. Quandoquidem scimus, quod si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, 2. Cor. 5. v. 1. ædificium ex Deo habemus, domicilium scilicet non manu factum, sed æternum in Cælis. v. 6. Dum advenæ sumus in corpore peregrè absumus à Domino: per fidem autem incedimus non per aspectum. Confidimus & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatū, ut deposito terreno corporis habitaculo coram Deo in Cœlesti habitatione versetur anima nostra. Quod & David Psal. 92. v. 14. & 15. cognovit, ideoq; mors piorum non est perditio sed lucrum Vitæ æternæ. Phil. 1.

Declaratur hoc similitudine de infante in utero materno incluso, qui vivit & movetur, estq; in hoc mundo in abscondito ventris materni, licèt mundi hujus ornatum nondum videat, ubi autem posita secundina, jam eluctata matre ex partus doloribus in lucem prodit, & cum fletu nascitur, apertis oculis in mundo hoc lumen videt & miratur, auditq; vocem matris & lac appetit: Sic Electorum animæ in hoc etiam mundo vitam ac salutem habent cœlestem in Deo, & in Verbo Dei tanquam in utero occultam, depositis autem per mortem corporis exuviis ilico ex Regno Fidei ad Regnum Visionis regenerantur, & per mortem beatam, quæ Nazianzeno natalis est vitæ æternæ, cum gaudio renascuntur, ut Dei conspectu & Angelico fruantur colloquio. Alij hoc declarant simili de surdo, qui si in loco Musica vocali atq; instrumentali resonante positus esset, nihil sanè horum etiam medius in illis perciperet, at si in eodem momento aures recluderentur, mox tubarum & testudinum suavi melodia refertus se denuò natum, & felicissimum proclamaret: Sic Homo Christianus in hac mortali vita beatus est, quod ipsi adsit Veneranda Trinitas, Joh. 14. vivatq; in choro Angelorum licèt invi-

sibili, qui absq; dubio, sine omni intermissione Deum celebrant cantando: Sanctus S.S. Esa. 6. Corporaliter autem ista non videt neq; audits quia natura Dei, inquit August. lib. 2. de Trinitate. invisibilis est potest tamen videri in aliqua specie, quam ipse elegerit, non quam natura formavit. Sed devicta morte hæc omnia animæ emigranti fiunt manifestissima, quia deposito corpore jam in Paradiso versatur, nec locali indiget descensu vel ascensu. August. de cognit. Vera vitæ. cap. 4: Quod dicitur animas transferri & deportari in cœlum, pro oculorum nostrorum dicitur conditione, siquidem nobis videtur cœlum longè supra Solem positum, &c. Verum ubi animæ dimittuntur, non moventur localiter, nec loco corporali unde Deum videant includuntur, sed quàm citò à corpore sejunguntur, tam citò Angelis & Sanctis Dei conjunguntur, & Dei fruuntur aspectu intra & extra mundum, Luc. 17. v. 21. neq; dicent: Ecce hîc, ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intus & in vobis habetis. Nec moveamur vocabulis supra & infra quibus habitatio beatorū & damnatorum in scriptura distinguitur, nec de distantia physica & locali, sed de ingenti hiatu & chasmate in futuro seculo accipienda sunt. Brentius: Cum de rebus spiritualibus sermo est hæc vocabula supra & infra ponuntur ex humana consvetudine, non definiuntur autem locis, sed dignitate & indignitate, majestate, abjectione, gaudio, horrore, lætitia, tristitia, &c. August. Inferi eo quod infra sint appellantur latinè, sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora: ita secundum Spiritum inferiora sunt omnia tristiora, & superiora sunt omnia jucundiora.

Notetur itaq; hoc loco, quod cruci affixus latro pœnitens eodem tempore in triplici fuerit Paradiso: 1. In Paradiso vel horto in quo Deus ipse posuerat primum hominem ut eum coleret & custodiret. Gen. 2. v. 8. & 15: Fuitq; illius pars terra Canaan, locus nobilissimus & habitationi humanæ maximè conveniens, propter aërem temperatum & rerum omnium fertilitatem, & creditur Adam formatus.

formatus de pulvere terræ inspirato in faciem ejus spiraculo vitæ, Gen. 2. v. 7. prope Damascum ubi postea Act. 9. Paulus vocatus & ad Christum conversus est, nomenq; obtinuit ille locus de sangvine Abelis, quem ibidem Cain perfidus effudit. Gen. 4. Fuit hortus Eden pars hujus mundi præstantissima Syriam, Mesopotamiam, Damascum & Ægyptum, in quorum medio Hierosolyma sita fuit, comprehendens, quod & quatuor illi fluvij Ganges, Euphrates, Tigris & Nilus ex Paradiso egredientes testantur. II. In Paradiso spirituali quando in JEsum Christum credidit, illumq; confessus est: hæc enim est vita æterna. Joh. 17. v. 3. August. super Gen. Lætitia bonæ conscientiæ Paradisus est, unde & Ecclesia in sanctis temperanter & piè ac justè viventibus Paradisus rectè dicitur affluentia gratiarum. III. In Paradiso cœlesti, in Regno Christi æterno. 2. Cor. 12. v. 4.

III. Triumph. Fidei. Quod animas nostras cum Spiritu suo, Luc. 23. v. 46. Christus in manus æterni Patris commendaverit. Hinc Sap. 3. v. 1. Justorum animæ in manu Dei, nec attingit eos cruciatus; sed gaudent in pace & spes eorum immortalitatis plena est. Deut 33. v. 3. De hoc diversorio Regius Propheta David gratulatur animæ & concluso in deserto Maon à Saule & militibus ejus in eo totam fiduciam collocat, Psal. 31. v. 6. quod in manum Domini commendet Spiritum suum, quia redemit nos Deus veritatis. Sicut autem homo nictans vel super scamno dormiens in domo nuptiali jam saltante sponso evigilat, & choreis sponsalibus se immiscet: ita ubi venerit Sponsus per beatum obitum vel diem novissimum prodibimus in occursum ejus, Matt. 25. v. 5. 6. & introibimus ad nuptias cœlestes.

Die Paschatos.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Evangelium Marc. 16. à v. 1. usq; ad v. 9.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IMpiorum ora, Psal. 5. v. 10. dicuntur sepulchra patentia ex quibus turpissimi fœtores exhalant, quod ex abundantia cordis os loquatur. Aures adhæc, Psal. 58. v. 5. sicut aspidum surdæ sunt, & quasi supervolute lapide magno obturatæ, ne sermonem salutis recipiant. Unde & Pharisæi à Christo, Matt. 23. sepulchra dealbata dicti sunt. Ne autem cadat in nos tantum scelus, nec ejusmodi homines judicemur & deprehendamur, orabimus Deum ut aperiat os atq; aures nostras, cordaq; illuminet & animas dando nobis Spiritum Sanctum, ut virtute Resurrectionis Christi de peccatis surgamus, & excitemur ad vitam æternam propter Jesum Christum. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Psal. 110. v. 7. De torrente in via bibet propterea exaltabit caput. Mordebit serpens calcaneum Messiæ, Gen. 3. v. 15. sed ipse conteret caput ejus; bibet calicem crucis acerbum ad sepulchrum usq; sed cum gloria de morte eluctabitur. Quod in historia Jonæ qui illustris Christi typus fuit, Matt. 12. allegoricè explicata pulcherrimè demonstratur: siquidem ipso per sortem invento & projecto mare turbidum sedatum est. Et ipse devoratus animaq; & corpore afflictus tertia die evomitus prædicavit pœnitentiã ad 40. dies. &c.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

ADsunt piæ post Sabbathum
Ut Corpus ungant ῥᾶ γᾶ,
Gaudent sepulchri ab ostio
Saxum remotum fœminæ.
Apparet illis Angelus,
Probatq; Christum vivere,

Dum

Dum monstrat in tumba locum,
Quo sanctus hic quieverat.
Monet doceri Apostolos
Petrumq; sese ut conferant
In Galilæam, Christum ubi
Cernent, velut prædixerat.

TRIA COELESTIA ANIMÆ NOSTRÆ PHARMACA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod JEsus Christus, ceu docemur in Symbolo Apostolico, verè resurrexerit à mortuis tertia die, Anno ætatis 34. 27. Martij, in aurora, Psal. 108. v. 3. conculcatis hostibus sicut in primo Paschate ante annos 1561. Pharao submersus periit; & cum mortuus esset propter delicta nostra, Rom. 4. v. 25. excitatus sit propter justificationem nostri. Illud quidem, quod traditus sit in mortem, & Pagani credunt, Augustin. lib. 16. cap. 29. contra Faust. sed hæc sola fides est Christianorum ex Verbo Dei confirmanda: Quoniam teste Petro, Act. 2. v. 24. impossibile erat illum à morte retineri.*

Tres potentissimæ & invictæ manu de Sepulchro Christum protraxerunt.

1. *Immutabilis Verbi divini veritas. Gen. 3. Psal. 8. 108. 110. Esa. 9. 53. Ose. 6. 13. Ideoq; Paulus 1. Cor. 15. scribit Christum resurrexisse juxta Scripturam.*

2. *Immaculata sancti Corporis puritas, unde habitavit caro ejus confidenter, nec vidit sanctus Dei corruptionem. Psal. 16. v. 10. Ex nostris corporibus venenum à Satana infusum serpentes atq; vermes detrahunt, Christum autem vermis nullus arrodit, sed terra gaudēs cum motu sicut balæna Jonam, corpus ejus promit.*

3. *Divina potentia: erat enim Deus absconditus, Esa. 45. & Λόγος fuit cum corpore & anima Christi etiam*

*etiam per mortem distractis. Psal. 68. v. 1. Esa. 63. v. 5. Salvavit me brachium meum. August. de Human. verbi: Corpus Christi præter conditionem suam ob Verbi unionem non talefiebat, sed extra corruptionem servabatur, & quidem tunc cum totius generis humani mors in illo corpore summam suam vim exerceret. Sicut stipula vestita amianto ignem non metuit. Athanas.

Nec ante nec post, sed ipsa tertia die resurrexit Dominus, quod Ose 6. & Joh. 2. prædictum, typoq; Jonæ & Matt. 2. adumbratum fuit. Judæi dies ab occasu ad occasum Solis numerarunt: Et Christus festinanter tertia die surrexit ne totus mundus collaberetur, nec Apostoli ad desperationem adigerentur. Sic Sabbatho Judaico valedixit diem victoriæ suæ nobis sanctificans, Act. 2. Apoc. 2. & dies adventus sui glorioſi abbreviabit. Luc. 2. Cum autem unicũ salutis & gaudij nostri fundamentum sit Resurrectio Christi, quod si Christus non est suscitatus, 1. Cor. 15. v. 14. 17. inanis est prædicatio nostra, inanis est Fides vestra; & perierunt illi qui obdormierunt in Christo; & miserrimi sumus omnium hominum, si in hac solùm vita spem in Christum habemus. Ideo Resurrectionem suam noluit esse occultam, sed varijs modis ipso die Resurrectionis patefacta est.

Triplices Testes resurrectionis Christi.

1. Angeli, quia Deus revelatus est in carne & prædicatus ab Angelis, 1. Tim. 3. quorum sex primo die apparuerunt.

2. Homines

1. Boni vivi, Maria Magdalena, reliquæ fœminæ, Petrus, Cleophas, Apostoli, Thomas, Paulus, 1. Cor. 15. &c. Quingenti fratres.

2. Mali vivi, Pharisæi qui vix terræ mandato Domino timent ne mortuus mordeat, cum mortuos Alexandros, Carolos, Julianos, &c. nemo unquam timuerit, & custodes se propria relatione prodentes. Prov. 12. Quod & Pilati literæ ad Tyberium testantur.

Christo

* * III. *Mortui redivivi, qui morienti Christo ad surgendum se præparârunt, & postea in civitate Sancta visi sunt. Matt. 28.*

3. *Christus ipse dum integro 40. dierum spatio se aliquoties videndum tangendumq; præbuit, comedit, & visibilis in cœlum ascendit.*

II. *Quod mortui omnes resurgent & caro ossaq; nostra germinabunt: Esa. 26. quoniam caput nostrum Christus sua membra attrahet. Et cum Resurrectio Christi Bernardo dicatur socialis simul totum corpus erigetur, ut sequamur perruptorem, Mich. 2. qui percussis hostibus nostris, Psal. 3 ademit morti potestatem, & vitam in lucem produxit. 1. Tim. 1. v. 10. Sunt equidem multi qui, ut Gregorij verba adscribam ex 19. Moral. considerantes quod spiritus à carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis in Elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, Resurrectionem fieri posse desperant, & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumq; ad vitam virideſcere posse diffidunt. Horum de numero fuerunt Saducæi dicentes non esse Resurrectionem, Act. 23. v. 8. Matt. 22. v. 23. & cum Phileto Hymenæus, 2. Tim. 2. v. 17. nec non Festus, Act. 26. v. 23. 24. aliiq;, quos imitatus Plinius Solem, inquit, occidere & oriri quia videmus credimus, mortuos autem nec Deum excitare posse arbitramur. Eutychus corpus nostrum in Resurrectionis gloria impalpabile, ventisq; & aëre subtilius fore docuit, non attendens quod Christus post Resurrectionem Luc. 24. Joh. 20. corpus suum palpandum exhibuit, & carnem & ossa se habere monstravit. Sed verè resurgent corpora nostra. Damascen. lib. 4. Si Resurrectio non est, nec Deus est, nec providentia, tunc casu omnia feruntur & aguntur. Sed justus Deus est retributor ergo erit Resurrectio. August. Resurrexit Christus, ut se resurrecturum non dubitet Christianus. Gregor. Redemtor noster susceptit mortem ne mori timeamus. Ostendit Resurrectionem, ut nos posse re-*

surgere consideramus. Ubi itaq; nec genus nec divitiæ quicquam proderunt, recordatio mortis & Resurrectionis Christi nos recreabit, ut ijsdem oculis quibus paterfamilias elapsa hyeme siliginem vel triticum, & mater de radicibus ac semine spem fovens hortum suum, nos sepulchra & ossa defunctorum aspiciamus, & veluti de dormientibus Esa. 26. Mat. 9. Joh 11. 1. Thes. 4. judicemus; ne blalphemè Niceph. lib. 11. cap. 53. de abitu Christianorum loquamur: quia securus moritur qui scit se morte renasci. De quo non addubitavit Job. cap. 19. v. 25. Nec Mater Maccabæa, 2. Macc. 7. & Potamia crudeliter afflicta proclamavit: Resurrectio Christi me sustentat. Hæc est Euthanasia & Athanasia dulcissima, quia Dominum potentem in prælio, Leonem de Juda fortissimum, Apoc. 5. neq; lapis, neq; sigillum, neq; custodes retinere potuerunt. Psal. 24. Hæc est viva vox Archipastoris. Joh. 14: Ego vivo & vos vivetis licèt moriamini, Apoc. 1. Eram mortuus & ecce vivus sum in secula, habeoq; clavem inferni. Hoc est jucundissimum strophiolum, quo in morte propriæ & amicorum abstergendæ sunt lachrymæ. Esa. 25. Dan. 12. v. 2. scriptum est, quod multi dormientium in pulvere expergiscentur, scilicet quia multi Resurrectione non indigebunt, videlicet vivi in cœlum translati Enoch, Elias, & cujus meminerunt scriptores Ecclesiastici, Chæremon in Ægypto. Porrò illi qui una cum Christo resurrexerunt, Matt. 28. & qui denig; in novissimo die non obdormient sed mutabuntur. 1. Cor. 15. v. 51. 1. Thes. 4. v. 16. Sed reliqui omnes resurgent: nam si Resurrectio mortuorũ nõ est, Christus quoq; non est suscitatus. 1. Cor. 15. v. 13. Joh. 5. v. 28.

Certitudo Resurrectionis patet ex

1. Testimonio & dictis scripturæ: Job. 19. v. 25. Esa. 26. v. 19. Esa. 66. v. 12. Ezech. 37. v. 12. Dan. 12. Ose. 6. Joh. 5. v. 28. 6. v. 40. 11. v. 25. Matt. 22. 1. Cor. 15.

2. Exemplis excitatorum: 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. 2. Reg. 13. Matt. 9. Luc. 7. Joh. 11. Act. 9. 20. Ezech. 37.

3. Ipsa natura, sic ut videntes flosculum dicamus: En spes altera vitæ. Si quis in Monachorum collegio vel urbe

*urbe maritima educatus rei ruſticæ planè ignarus videret agricolam ſeminando purum ſemen madidis ſulcis cõmittere, ipſum pro inſano haberet, ſimile rationis judicium eſt de ſepultis. Sed Joh. 12. v. 24. Chriſtus inquit: Amen amẽ, niſi granũ frumenti lapſũ in terrã fuerit mortuum, fructum non afferet. Sic conficitur vitrum de cineribus pellucidum, idemq; confractum & in fornacem projectum reparatur, multò magis cineres noſtri fulgebunt.

Chryſoſt. ſuper Matt. cap. 21. In omni re aut actu virtus agendi ſpes eſt futuri. Qui enim arat, arat ut metat. Qui pugnat, pugnat ut vincat. Et poſt pauca: Tolle ergo ſpem Reſurrectionis, & reſoluta eſt obſervantia omnis pietatis.

III. Quod pœnitentium peccatorum Chriſtus verè miſereatur, nec ullum adeò grande ſit peccatum, quod nos à Chriſto ſeparet modò ſeriò ad ipſum convertamur. Ezech. 33. Luc. 15. Chriſtus bonus paſtor amiſſum quærit, Ezech. 34. & ſub peccati pondere nutantes ad ſe vocat, Matt. 11. nec venientes repudiat, Joh. 6. ſine reſpectu perſonarum & ſexus, Act. 10. Gal. 3. 1. Pet. 3. gratiam ſuam peccatoribus offert, nec tranſgreſſionum, quod docet hiſtoria Magdalenæ, cui ipſe primò apparet, & Petri quem confirmare jubet Angelus, amplius recordatur. Eſa. 37. Deus enim longè aliter quàm homines, quorum cor injuriæ illatæ tenax eſt, Matt. 18. errata condonat, dum priſtini erroris memoriam deponit. Eſa. 38. v. 17. O quàm bonus & benignus Deus, quàm mitis & miſericors Dominus JEſus, qui ne minimam quidem vindictam ſtatuit in Petrum propter lapſum turpem, quo ipſe 1. 2. & 8. præceptum tranſgreſſus eſt: nec peccati tanti facit mentionem, quo Petrus cæteris fœdius corruit, ſummumq; quod in cœlo & terra eſt bonum abnegavit. Veruntamẽ Petrus non ex malitia ut Judas, ſed ex infirmitate deliquit. Adhæc celerrimè à peccato reſurrexit, vix enim dum negationis verba ex ore exciderant gallo cantante & Chriſto miſericordiæ oculos in-

ipsum conijciente egressus flevit amarè. Hujusmodi scelera quibus statim pœnitentiæ medicamento succurritur facilius sanantur, cum interim inveterata & putrida difficillimè curentur. Quia langvor prolixus gravat medicum, Eccl. 10. & ignis supra vestem prosiliens, nisi subitò discutiatur eam adurit. Quin & ipse Deus præ misericordia sua lapidem securitatis à peccatorum pectoribus revolvit, ut cum Publicano, Luc. 18. & Latrone, Luc. 23. quod vix ullus putasset, convertantur; & ceu pueri humeris impositi minori negocio per loca aspera transportentur.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut præ totius mundi thesauris ex toto corde & animâ diligamus Dominum JEsum, siquidem apud has fœminas tantùm valuit concepta in Christum Charitas, ut nihil asperum aut difficile putent, modò Christo etiam mortuo benefaciant, quo non utilitatis suæ fructum sed officij debitum respexerunt, quod defuncti corporis conspectu dolor augendus esset, nec nos vivum tantùm, sed etiam mortuum, hoc est, modicum se occultantem & calicem crucis nobis infundentem, Christum diligamus. Sitq; hæc Charitas, ut mãdata & Verbum ejus observemus. 1. Joh. 1. Joh. 14. & in ipsum credamus; & erogatione facultatum nostrarum amorem declaremus, Prov. 3. tam viri quàm fœminæ, quia unicuiq; salus animæ suæ curæ est. Sicut ergo Josephus vir politicus, & Nicodemus Rabbi Israëlis: sic nos liberaliter contribuentes ungamus Corpus Christi, id est, Ecclesiam & membra ejus, aliâs ingratis vel axungia deerit. Inprimis nocte dieq; meditando meminerimus JEsum Christum resurrexisse à mortuis. 2. Tim. 2. v. 8.

II. Ut matutino pietatis & orationis studio Christum quæramus, sic enim recentis doloris acerbitas & diluculò surgendi cura fœminis his somnum excussit, inveniemusq; quæsitum in Ecclesiæ conventu, Mat. 18. in Verbo, Joh. 14. & Sacramentis: quia non

tantum

tantùm sanat & ditat, sed etiam sanctificat surgere manè, Job. 8. Psal. 57. v. 9. ut surgamus diluculo, 1. Psal. 92. v. 3. Esa. 24. Patrum quidam dixit se in matutino orationis officio totius diei cursum prævidere: si enim se in eo diligenter gessisset, rectè deinde omnia illi diei opera cessisse, & è contra. Quid autem judicemus de illis qui non tantum somni dulcedine rapti conciones impiè negligunt, verùm etiam in templo sub concionibus somno obruti securè dormiunt, & pro hac modica requie in æternos cruciatus se demergunt? nisi quod arbores putridæ sint, de quibus gravissimè Anshelmus: O arbor putrida in ignem æternum projcienda, quid respondebis ubi exigetur ratio de tempore tibi concesso quod turpiter neglexisti? Manna quæ spiritualem dulcedinem orationis comitem designat media nocte cadere incipiebat. Num. 11. Et incalescente Sole liquefiebat, nec amplius inveniebatur aut colligebatur, nisi diluculo colligeretur. Unde Sap. 16. v. 27. 28. & 29. legimus: quod ab igne non consumebatur omninò ab exiguo Solis radio calefactum, liquefiebat. Quo notum esset Solem ad gratias tibi agendas præveniendum esse, atq; te sub lucis ortum salutandum. Quibus verbis matutinum tempus maximè oportunum esse ad precandi munus declaratur. Psal. 5. 63. 59. 119. 134.

III. Ut quoniam Angeli, 1. Pet. 1. delectantur audire Evangelium, ut qui conciones Christi attentè observarunt, & mulieribus amicè in mentem revocant sermonẽ ejus, Mat. 20. v. 19. Luc. 12. & 18. Joh. 2. v. 19. Matt. 26. v. 32. nos id sedulò præstemus. Quia non Angelis, sed nobis datus est Christus, Esa. 9. Ebr. 2. & propter justitiam nostram à mortuis resurrexit. Rom. 4. Angeli passim præsentes de docentium studio & discentium attentione perhibebunt testimonium. Et nobis infiniti & ineffabiles ex Passione & Resurrectione Christi thesauri promanant, scilicet: 1. Adoptio in Filios Dei & fratres Jesu Christi. Joh. 20. 2. Liberatio ex peccato Esa. 53. 3. Victoria adversus mortem, Diabolum & infernum. 4. Consolatio etiam in ipsa morte. 5. Defensio Ecclesiæ. 6. Resurrectio nostra & immortalitas.

litas. Nostrum ergo est exultare in Domino. Quia abstulit Christus malum quod attulit Adam, reddiditq; omne bonum quod Adam perdiderat.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod Angeli boni, quibus nota sunt nomina nostra, in die novissimo, ubi resurget caro nostra, revolvent lapides & monumenta montes & flumina à sepulchris nostris, Mat. 13. v. 40. & videbimus cum summo gaudio ossa nostra ab ijs colligi, si quoq; hîc illis turres, muri & pomaria superstructa fuerint. Resurgent enim corpora nostra & erunt Christo conformia. Ubi notandum, quod tribus statibus consideretur Humanitas Christi: 1. Status est exinanitionis à conceptione ad glorioſam usq; Resurrectionem. Phil. 2. v. 6. Ebr. 4. v. 15. 2. Status glorificationis in quem venit Christus post Resurrectionem dum humanæ naturæ infirmitates deposuit, tot vulneribus triduo ante percussus, contra omnem naturæ & rationis conditionem revixit, & in conditionem glorificatorum corporum translatus est. Huic gloriæ nos quoq; servatis donorum gradibus per Resurrectionem conformabimur. Phil. 3. v. 2. Col. 3. v. 3. 3. Status est Majestatis Christi Hominis in quẽ per glorioſam Ascensionem translatus, & ad dexteram æterni Patris collocatus est. Ad hanc majestatẽ Christi Hominis nulla alia unquam exaltatur creatura. Ebr. 1. v. 13. Maximè autem perspicua erit Resurrectionis nostræ gloria, si cum Creatione Adami & Resurrectione Christi piè conferatur: 1. Sicut enim Deus hominem creavit ex glebâ: sic nos ex cineribus & pulvere restaurabit. 2. Adamo Deus inspiravit spiritum viventem, & animæ corporibus nostris jungentur. 3. Primi parentes conditi erant ad imaginem Dei in plenaria justitia sanctitate & immortalitate, tales nos erimus in die Resurrectionis. 4. Adam mox ut vivere cepit, Paradisi delicias habuit præparatas: sic nobis de sepulchro prodeuntibus parata erit mansio. 5. Adfuit

arbor

arbor scientiæ & vitæ, nosq; cognoscemus omnia & erimus immortales. 6. Quod ad Christum attinet, ille oriente Sole surrexit in horto & glorificatus est: Sic apparente Sole justitiæ ossa nostra germinabunt & fulgebunt, dabiturq; nobis Vita sine carens. In hac vita continuè curis ac doloribus & metu mortis angimur, unde diu vivere nihil aliud est quàm diu torqueri. Sed pia mors est melioris vitæ origo, in qua nec nudi lana, vel lino vestiemur, siquidem Christus resurgens, in monumento reliquit lintea & sudarium, quod fuit super caput ejus seorsum involutum in unum locum. Joh. 20. v. 6. & 7.

II. Quod Angeli ubi discesserit anima à corpore nobis erunt visibiles. Dum hic vita trahitur occultam & invisibilem cum illis alimus amicitiam atq; conversationem, & ab ijs circumdati, Psal. 34. gestamur. Psal. 91. Sed conspecta eorum claritate etiam homines sancti obstupuerunt. Post mortē verò cōversatio & conspectus eorum non erit nobis terribilis, sed jucundissimus & lætabimur eum millibus Angelorum, Ebr. 12. & cum illis colloquemur. Atq; illis similes erimus, Matth. 22. quod hic textus docet: 1. In juvenili forma quia dolore & curis non macerantur nisi fortè propter prævaricationem nostram, hinc dicuntur Cherubin quasi pueri, nec nobis postea erit dolor, nec mors, nec morbi, Apoc. 21. sed veluti Sol jam tot annis micans formæ nitorem retinebimus. II. In albis stolis, sancti scilicet & purissimi, & candida veste ex vellere Agni immaculati contexta ornati. III. Sicut fulgur splendidi & lucentes ceu stellæ. Psal. 104. 2. Reg. 4. Bern. Meditat. de votis cap 16. Ubi similes erunt homines Angelis Dei, & fulgebunt justi, quod ostendebatur in facie Mosis, sicut Sol in Regno Patris eorum. IV. Subtiles nec pondere carnis crasso gravati, sicut aquilæ, Esa. 40. & Domino obvij, 1. Thes. 4. sicut hi Angeli in monumento apparent & disparent, Bernard. in Festo omnium Sanct. Serm. 4. Tanta itaq; futura levitas credenda est, & agilitas beatorum, ut possint si velint absq; mora & difficultate ipsam ipsi cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocita-

tem

tem. v. Abſq; cibo & potu, Matt. 22. Tob. 12: mutabitur enim vita naturalis in cœleſtem. vi. Erimus cum illis coram Deo. Mat. 18 v. 10.

III. Quod in futuro ſeculo Sabbathum non amplius præteribit, ſed erit perpetuum. Eſa. 66. Hic nullum adeò magnum & ſanctum eſt ſabbathum, quod à laboribus & doloribus ſit immune. Sabbathum adhæc in vita hac ocyus per ocium evolat, & finito ſabbatho mortales miſeri ad opera manuum ſuarum, & ſudorem revertuntur: ſed in futuro ſeculo ſempiterna quiete fruemur. Et quod in hac miſeriarum valle non contingit, quamvis primum gaudium Paſchale propter exitum ex Ægypto magnum fuerit, gaudium Mariæ in Paſchate duodenario, propter inventum in templo Chriſtum longè majus, & diſcipulorum propter Reſurrectionem Chriſti maximum, gaudium Paſchale in cœlis propter tranſitum ab omni malo ſine carebit. Bernard. Serm. 2. de Natali S. Victoris. Ibi homo inveniet locum tabernaculi admirabilis, ubi panem manducet Angelorum. Inveniet Paradiſum voluptatis plantatum à Domino. Inveniet hortum floridum & amæniſſimum. Inveniet refrigerij ſedem & dicet: O ſi audiat vocem meam miſera illa voluntas, ut ingrediens videat bona, & viſitet locum iſtum. Hîc nimirum inveniet requiem ampliorem, &c.

Hæc eſt requies animarũ.	*In viſione Veritatis.*	*Hoc reſpondet*	*Fidei.*
	In amore bonitatis.		*Caritati.*
	In ſecuritate æternitatis.		*Spei.*

Boët. de conſolat. lib 3. Metro. 10.

Huc omnes pariter venite capti,
Quas fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans libido mentes.
Hîc erit vobis requies laborum,
Hîc porticus placida manens quiete,
Hîc patens unum miſeris aſylum.

Honor æterni Sabbathi per lapſum Evæ amiſſus eſt, illum autẽ Sabbatho Redemtionis in ſepulchro Chriſtus nobis reſtituit. Con-

ditus

ditus erat homò ut esset templum in quo perpetuum festum Sabbathi celebraretur, & tota Trinitas tanquam in Sacrario habitans lucis & sapientiæ suæ radios spargeret. Profanavit autem hoc templum & sabbathum turbata quiete Satan, sed Filius Dei die sabbathi magni in sepulchro quiescens denuò hoc sabbathum sanguine suo sancivit, & sabbathum perpetuæ vitæ ac lætitiæ nobis reddidit.

Veruntamen ante gloriam æternam sabbathi crucifixus & mortuus in sepulchro quievit filius Dei, ita omnes Christiani ipsi conformes post crucem & mortem primùm sabbatho vitæ æternæ ornabuntur: premit enim Deus ut solatia præstet, & glorificationem præcedit humiliatio. Psal. 8.

Feria 2. Paschali.

DE DUOBUS DISCIPULIS EUNTIBUS EMAUNTA.

Evangelium Luc. 24. à v. 13 usq; ad v. 36.

Præfatio Supplex.

VT exemplo Christi possimus exordiri à Mose & Prophetis, & explicare vobis scripturam de Christi morte ac Resurrectione, vosq; non sitis stulti & tardi corde ad credendum, sed ut ardeant corda nostra in nobis & illuminẽtur ad Vitam æternam, rogabimus nobis à Deo Patre dari Spiritum Sanctum Doctorem & Ducem in nomine JEsu: Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Ose. 6. v. 2. Vivificabit nos post biduum, die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Quod non tantùm intelligendum est de Resurrectione Christi, Joh. 2. verùm etiam de consolatione & gaudio quod discipulis langventibus & mœrore confectis

post triduanos dolores ex Resurrectione Christi promanavit, & de Resurrectione corporum nostrorum, de qua eleganter Paul. 1. Thes. 4. v. 13. Nolim vos ignorantia versari, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ne doleatis quemadmodum cæteri qui spem non habent. Nam si credimus quod JEsus mortuus est & resurrexit: ita etiam Deus eos qui obdormierunt in Jesu adducet cum eo. Probatur autem illud ex hodierno Evangelio.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

CLeophas timens patibulum,
Quærit dolens latibulum.
Adest JEsus in via,
Causam doloris postulat.
Incredulos mox corripit,
Quod sponte Christum sic pati
Oportuit simul probat
Ex Mose, psalmis, vatibus.
Iter simulat prolixius,
Manere sed compellitur,
Frangendo panem noscitur,
Remeant ad urbem protinus.

TRIA EX TEXTU SALUTIS ADMINICULA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

1. Quod oportuerit Christum hæc pati & introire in gloriam suam: id enim licèt discipuli principio credere non voluerint, ipse tamen Christus vaticiniorum testimonijs ex Mose omnibus & Prophetis allegatis addita scripturarum interpretatione, evidenter demonstravit.

Primò quod Christum oportuerit pati docent insigniora dicta Sa-

ræ

Sacræ scripturæ, Gen. 3. serpens mordebit calcaneum ejus. Gen. 49. Lavabit in sanguine uvæ pallium suum. Legatur Psal 8. 16. 22. 68. 69. 110. Esa. 53. 63. Dan. 9. Zach. 9. 11. 12. 13. Joh. 2. Matth. 18. Idem variis præmonstratum fuit typis, per vestes Adami pelliceas: Abelis oblationem: Mactationem Isaici, Gen. 22: Agnum Paschalem: Rubram vaccam: Serpentem suspensum: Filum Rachab Jos. 2. & Thamar, & omnia veteris Testamenti sacrificia, quæ describuntur Levitico: oblatio ignita, Lev. 1. oblatio panis, cap. 2. oblatio pacificorum, cap. 3. pro peccato, cap. 4. oblatio prævaricationis, cap. 6. & 7. & gratiarum actionis. cap. 9. De hoc etiam testimonium edidit ipsa natura in Pelecano & interfectore Crocodili, atq; quod, referente Plinio, Dracones Elephantum sanguine avidè hausto disrumpantur.

Porrò quod Christus debuerit sic pati testes extant Prophetici & typici: de non frangendis ossibus ejus, Exod. 12. de potu fellis & sorte super vestem, Psal. 22. de proditione, Zach. 11. & vulnere lateris. De morte crucis manifesta extant dicta: Deut. 21. Psal. 59. & 110. Ezech. 9. & 17. Figuræ seu typi fuerunt Arbor vitæ, Lignum Isaci, postes sanguine conspersi & aneus serpens, Num. 21. Joh. 3.

Deniq; de Resurrectione Christi, per quam ingressus est in gloriam, nota sunt dicta, Gen. 3. & 22. Psal. 8. & 16. Job. 19. Psal. 63. 68. 110. Ose. 6. 13. Esa. 9. & 53. Mich. 2. Soph. 3; Expecta me in die resurrectionis.

Typi: Adam dormiens & post ædificatam de costa, Gen. 2. sponsam evigilans. Rubus Mosis Exod. 3. Baculus Aaronis Num. 17. Historia Josephi ad Christum allegoricè accommodata. Jonas, Matth. 12. Simson Jud. 14 & 16. David 1. Sam. 17. Sepulchrum Elisæi 2. Reg. 3. Daniel de leonibus ereptus cap. 6. Addi possunt naturalia de Phœnice seipsum renovante, & de catulis leonum qui, teste Bernone, mortui nati rugitu parentum tertio die excitantur. Est autem Christus Leo fortissimus, Gen. 49. de tribu Judæ. Apoc. 5.

Ex his fundamentis concludit Petrus Act. 2, v. 23. quod de-

finitio consilio & providentia Dei traditus sit Christus per manus injustorum cruci affigendus. Paul. 1. Cor. 15. v. 3. & 4. Quod mortuus, sepultus & suscitatus sit Christus secundùm scripturas.

II. Quod lubens adsit Christus loquentibus de Deo & rebus sacris cum Patre & Spiritu Sancto. Joh. 14. v. 23. Sic hoc loco adest discipulis, quod Matt. 18. v. 20. se facturum recepit ad finem usq; seculi. Mat. 28. v. 20. Psal. 27. 91. Esa. 43. v. 2. Sic in hac nobis adest Ecclesia: quoniam ipse peccatoribus anxijs, qui sensu iræ divinæ, quæ se in ipsum Christum laxis effudit habenis, percelluntur se proximum adjungit, trepidos & trementes confortat, adest humilibus & contritis corde, Esa. 57. seriò invocantibus, Psal. 145. nec eos derelinquit orphanos, Esa. 49. Joh. 14. vultq; rogatus nobiscum manere, & à nobis teneri etiam in umbra mortis, Psal. 23: quia hæc est nativa atq; propria Christi forma, hic verè paternus ejus animus, licèt interdum ludat Josephus cum fratribus suis, & bonus Pater se à sobole discessurum simulet. Gen. 25. Ego ero merces tua, Exod. 20. veniam ad te, Psal. 91. eruam te, Psal. 128. bene tibi erit. Esa. 3. Justi feliciter agent, Psal. 132. benedicam victui illorũ: ideoq; nec vita, nec mors Christum à nobis segregabit. Rom. 8. Qui fidelissimus, quamvis per Resurrectionem ingressus sit in amplissimam cœlestis vitæ gloriam, ubi satietas est deliciarum, Psal. 16. v. 11. jucunditates q; in seculum, & mille anni sicut dies una, Psal. 90 v. 4. peccatorum in mundo non oblivisciturs, sicut Princeps pincernarum Josephi incarcerati, Gen. 40. v. 23: Verùm optat eos secum esse, Joh. 17. & secum extolli ad gloriam. Joh. 21. Nec exhibitis Majestatis suæ signis, velut Act. 9 illos perterrefacit, nec de profugis, negantibus, incredulis vindictam postulat, sed in columna nubis, Exod. 14. ceu Pater bonus & Salvator providus sese ad captum eorum accommodat, ipsosq; ut in viam redeant amicè instituit.

III. Quod Sacra scriptura non sit litera mortua & sonus inanis, sed verbum Propheticum & Apostolicum sit gladius anceps utrinq; acutus, baculus imbecilium, Psal. 23. & potentia Dei abigens.

gens incredulitatem, Rom. 1. lucerna pedibus nostris, Psal. 119. & ignis ardens in cordibus nostris, qui agendo incendit omne patiens, ut sic per concionem Verbi Divini, Rom. 10. excitetur in nobis Fides, gaudium, consolatio & justitia. Hinc itaq; Apostoli non tantùm didicerunt Christum ardenti cordis affectione & seria precatione invitare, illum coram reliquis Apostolis confiteri: verùm etiam, de quo minimè dubitandum est, quod sic debuerit Christus pati:

1. Ut Passionis & mortis suæ sacrificio pro sceleribus nostris Patri satisfaceret.

2. Ut exemplo suo doceret nos per afflictiones intrare in Regnum Dei. Siquidem, teste Basilio, naturæ lex etiam apibus innata est, ut nunquam ab alveis discedant, nisi Rex ante illas præcesserit. Sic populus Davidem aperto capite & pedibus nudis sequitur. 2. Reg. 15.

3. Ut siquidem ipse prior pro nostra salute calicem passionis exhausit, nobis ad tollendum onus nostrum vires & animum surrogaret.

Orandus autem Deus est ut corda nostra frigida discusso sopore calefaciat, quod in singulis precamur exordijs & epilogis, aperiatq; nobis scripturam, cum naturalis homo nihil intelligat, 1. Cor. 2. ne semen sermonis divini sterile in agro cordis nostri pereat, Luc. 8. sed Leo de tribu Juda, Apoc. 5. v. 6. aperiat nobis librum & solvat sigilla ejus.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut exemplo horum discipulorum frequenter in templo, in domibus, mensa & lecto, sermones de Deo instituamus, Deut. 6. v. 7. & verbum ejus habitet in nobis πλουσίως, Col. 3. v. 16. cum omni sapientia, sitq; sermo cum gratiæ sale conditus. Col. 4. v. 6. Sic ponet Deus tabernaculum suum in medio nostri, Levit. 26. v. 11. & vinctus abigetur Satan, Matt. 4. & Ecclesia ædificabitur domestica.

Matt. 18. Nullus sermo corruptus ex ore nostro egrediatur, Eph. 4. v. 29. sed si quis est commodus ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus afferat. v. 27. Ne tristitia afficiamus Spiritum Sanctum Dei per quem obsignati sumus in diem Redemtionis: Spurco enim sermone veluti per fistulam invitatur Satan, & colloquia prava, dum verbis ociosis de quibus reddenda erit ratio, Matt. 12. præbetur scandalum, Mat. 18. corrumpunt bonos mores. 1. Cor. 15. v. 33. Hinc in vitis Patrum vir quidam religiosus in convivio colloquentibus de Deo & rebus honestis, sese adjungere vidit in juvenili forma Angelos sanctos, cum sub mensis impiorum de sceleribus suis gloriantium Diaboli instar porcorum grunnirent. Insuper diligamus correptionem, siquidem discipuli hi non agreferunt, se stultos à Christo appellari, utpote verè stulti qui indignum putabant Redemtorem mundi crucis supplicio affectum, & res inanes æternæ præferebant saluti. Matt. 7. v. 25. Luc. 12. Sic & Petrus, Matt. 16. v. 23. & Apostoli jam ascensuro Christo graviter reprehensi sunt. Confitcamur itaq; errores humiliter, Verbum recipientes cum mansvetudine, Jac. 1. ut sapientiores reddamur, Prov. 12. v. 1: quoniam meliora sunt verbera benevolentis, quàm oscula adulatoris iniqui, Prov. 27. Eccl. 7. & similia balsamo. Psal. 141. v. 5. Quicunq; autem disciplinam oderunt, Psal. 50. & arguentibus occinunt: nolite stillare, Mich. 2. postulantq; proponi sibi placentia, Esa. 30. illi non reguntur à spiritu bono, sed in æternum turpiter pereunt. Amos 5. v. 10. Denique optemus & operam demus, ut alij nobiscum convertantur, ut sic doctrina salutis agnatis, fratribus & amicis, uxori atq; soboli communicata latissimè propagetur. Hinc David in gratiam receptus, Psal. 51. v. 15. promittit se monstraturum prævaricateribus vias Domini, Petroq; injungitur à Christo, Luc. 22. v. 32. ut aliquando conversus confirmet fratres suos, & Paulus optat, Act. 26. v. 29. ut Rex Agrippa omnesq; simul auditores admodum tales sint, quales ipse est. Utinam omnes baptizati, & omnes qui me docentem audiunt, mecum ad agnitionem JEsu Christi, & per eum ad

vitam

vitam perveniant æternam, & unusquisq; credat cum tota domo sua. Joh. 4. v. 53.

II. Ut assiduè oremus Dominum Jesum manere nobiscum, quoniam advesperascit. Ille per Verbum suum nobiscum agit, nos cum ipso loquimur per orationem, qua ipsum tenuit Patriarcha Jacob, Gen. 32. Moses, Exod. 32. Jer. cap. 15. Cananæa. Mat. 15. Quia oratio, teste Bernardo, vincit invincibilem & ligat omnipotentem. Hinc orat Ecclesia Dei, Jer. 14. v. 8. & 9: Domine, tu es consolatio Israëlis & auxiliator noster in die afflictionis, quare futurus es, veluti peregrinus in terra, & tanquam viator qui declinat ad pernoctandum? Quare futurus es veluti vir attonitus? &c. Ne derelinquas nos.

Notetur hoc loco Vespera Triplex:

1. Vespera hujus mundi. Dies ergo totum hujus seculi tempus est, aurora initium mundi, meridies adventus Christi, vespera finis seculi qui modo in nos devenit. 1. Cor. 10.

Ad vespe-ram	1.	Lumen minuitur.
	2.	Umbræ crescunt.
	3.	Calor attenuatur.

Ita in hoc mundi vespere lux veritatis & divinæ cognitionis per Hæreticorũ tenebras diminuitur. Umbræ autem terrenorum bonorũ longiores factæ sunt, Jer. 7. quod in cordibus non fulgeat lux divina, qua splendente, velut umbræ in meridie ita omnia caduca videntur exigua. Calor etiam deficit, siquidem, prædicente Christo Mat. 24. abundabit iniquitas, & refrigescet passim charitas. Orandum itaq;: Mane nobiscum Domine Jesu, quia tempus malum est, Eph. 5. imminet exitiũ mundi, diverte apud nos ne derelinquas nos hoc seculo ultimo, quo Satan feroci tyrannide prosequitur Ecclesiam, & per membra sua conatur extinguere lumen Verbi tui. Mane nobiscum ad finem seculi, Mat. 28. ad vesperam qua distribuenda erit merces, Mat. 13. & 20. donando purum Evangelium & Sacramẽta donec revertaris. 1. Cor. 11.

II. Ve-

II. *Vespera corporalis & spiritualis gaudij; quia in ea nocte quærit sponsa dilectum suum. Cant. 4. Eadem ergo oratione, mane nobiscum, ingruentibus calamitatibus uti possumus. Bernard in Homil. Cum prosperamur in virtutum successibus in die sumus. Cum nos obnubilant tribulationum angustiæ incipit nobis advesperascere. Et quia ad te confugimus, qui solus laborem & dolorem consideras: Mane nobiscum quoniam advesperascit, jam veniunt aquæ usq; ad animam. Psal. 69.*

III. *Vespera vitæ nostræ, senectus, canicies, morbi. Psal. 71. v. 9. & v. 18. Ne abijcias me Domine tempore senectutis: quum defecerit fortitudo mea, ne derelinquas me, adest terminus vitæ, Job. 14. & tenebræ me circumdant mortis, Psal. 23. ducito me per mortis umbram, Luc. 2. ne obruat me terror mortis æternæ. Sic compellemus & compellamus Dominum, ut maneat nobiscum.*

III. *Ut siquidem hi discipuli Christo cœnam liberaliter gratis animis offerunt, etiam nos largi atq; benefici simus fontium nostrorum derivatores, Prov. 5. & hilares de opibus nostris datores, 1 Cor. 9: ita enim Dominus constituit, ut ij qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant, & qui spiritualia seminant, pro ijs hic carnalia metant, 1. Cor. 9 v. 11. & 14. illiq; qui bene præsunt, duplici afficiantur honore. 1. Tim. 5. v. 17. Heb. 13. v. 17. 1. Thess. 5. v. 12. Nec beneficia sua grati animi pretio vendit Deus, sed ita augere desiderat. Sic Deus in Exodo propter primogenitorum Ægypti mortem, omnia filiorum Israel primogenita perpetua lege requisivit: Si propter liberationem à jugo Ægyptiaco septem diebus panem azymum manducari, & singulis annis Pascha celebrari jussit: Si tandem primitias frugum propter terrena beneficia, quæ etiam brutis dantur animantibus, imò Idololatris & impijs, à filijs Israël exegit. Multò magis nos in spiritualibus gratitudinem declarare par est, pro quibus Unigenitus Dei in mortem traditus est, ut sic à tyrannide Diaboli & morte æterna liberaremur, pro quorum salute, ut loquitur Pet. Raven. non solum quod potuit Filius Dei, sed plus etiam*

etiam quàm potuit fecit, dum quod à divina natura alienum erat in natura peregrina assumta sustinuit. Ideo, juxta Gregor. tantò ab hominibus dignius honorandus est, quantò pro hominibus indigniora suscepit. Offerant ergo munera sua pij auditores pro salutari institutione, & ponderent quod Christus oblationes accipiat, Luc. 21. nec eodem res redit sive offerant, sive omittant, Eccl. 9; quia Deus oculos habet à quibus nihil absconditum.

III.

Finis & Trophæum Fidei Triplex.

I. Quod per & propter Resurrectionem Christi animæ nostræ ex tribulationibus & angustijs per beatũ obitum ducantur ad Emahus, auroram Solis justitiæ, & munitissimam arcem in cœlesti Zion. Prov. 18. Hinc ex animo gaudemus, velut illi qui noctu in tenebris ambulant vel navigant, ubi auroram vident apparere cui Solem vicinum esse norunt: quia ad eandem felicitatem in die novissimo resurgent corpora nostra, quod quidem difficile creditu, & impossibile videtur rationi humanæ.

Tria resurrectionem corporũ reddunt incredibilem.

1. Corruptio corporis & membrorum, non tantùm in ventre terræ & fundo profundo maris, verùm per ignem in cineres redactorum; adde sepulchrorum destructionem per aquarum inundationes, vel ædificia, nec pauci mortales ab hominibus, à piscibus & avibus devorantur.

II. Exemplorum raritas, quod multi quidem mortui antequam putrefacti corrumperentur, in vitam revocati sint, de redactis autem in cineres, exceptis ijs qui cum Christo resurrexerunt, nemo. Unde Sap. 2. v. 1. impij dixerunt: Non est cognitus, qui ab inferis pedem retulerit, & Hiob. 14. v. 7. ad 12. Arbori spes est, si recisa fuerit &c.

III. Mortis diuturna dominatio, siquidem & patres obdormiverunt, 2. Pet. 3. nec sanctissimis, excep-

*ptis Enoch & Elia, mors unquam pepercerit. Ebr. 9.

Confirmatio resurrectionis nostræ Triplex,

I. Meritum Passionis & Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, qui nos sanguine suo mundavit ab omnibus peccatis nostris, 1. Joh. 1. & morti ademit vires, 2. Tim. 1. ut sic sublata causa cessent quoq; effectus. Lege Rom. 8. v. 11. Rom. 10. v. 9. 1. Cor. 15. v. 13. ad 19. 1. Thess. 4. v. 14.

II. Quoniam Christi sumus fratres & sorores, propter personalem unionem, qua factus est caro de carne nostra, Eph. 5; propter fidem, Joh. 1. Rom. 8. Gal. 3; propter conglutinationem per Spiritum Sanctum, Rom. 8. v. 11. 1. Cor. 6. v. 17; propter Verbum & Sacramenta dignè percepta. Joh. 20.

III. A confœderatione, quoniam Christus nostrum caput est, Rex noster, Psal. 2. Dan. 12. Pater æternus, Esa. 9. & summus Sacerdos. Psal. 110. Quod ergo præcessit in capite sequetur in membris, erimusq; in Regno & templo ejus; cum eo si mortui fuerimus, cum eo etiam vivemus. 2. Tim 2. v. 11.

Triplex medicina ex hac confirmatione,

1. Adversus transgressionum nostrarum multitudinem, siquidem Christus resurrexit propter justitiam nostram. Rom. 4. 1. Pet 1.

2. Contra crucis & mortis acerbitatem. Job. 19. 1. Cor. 15.

3. In obitu agnatorum & amicorum, quos præmittimus non amittimus. Cypr. 2. Sam. 12. Joh. 5. Apoc. 7.

II. Quod post modicum luctum & triduanam tristitiam prolixa recreatione & summo perfruemur gaudio, mutato planctu in choream. Psal. 30. Jer. 31. Luc. 6. Et quo major hic mœror fuerit, eò major in Resurrectione futura sit gloria nostra, juxta verba Saræ

Saræ junioris, Tob. 3. v. 22. ubi post fletum infundetur exultatio siquidem & in hac lachrymarum valle degentibus non semper acerba, sed frequenter etiam jucunda eveniunt, & multoties magis prolixa. Sic ipse Tobias Anno ætatis 66. oculorum acie privatus, Anno 70. eam recuperavit, & ad annum 99 supervixit. Jobus quoq; ante & post calamitates permissione divina à Satana injectas bonis quamplurima à Domino suscepit. Sic discipuli triduano luctu propter mortem Christi anxiè afflicti, æternam ex Resurrectione ejus adepti sunt lætitiam. Et veluti mortuo Aarone, mortuus autem ipse est Anno 40. ab exitu per mare Rubrum, filij Israël promissam terram melle & lacte manantem feliciter occupaverunt, Num. 33. in qua Paradisus seu hortus Eden à Deo constitutus fuerat: Ita quo tempore cælestis Sacerdos Christus pro nobis mortuus est & resurrexit, nos etiam aperto jam Paradiso æternæ hæreditatis jus adepti sumus. Et morte summi hujus Sacerdotis freti ab exilio profugi revocamur, Num. 35. atq; jam deletis delictis ad civitatem cælestem remeamus: Ezech. 1. ut major sit nobis expectanda lætitia & voluptas, quàm populo sancto à captivitate Babylonis, Psal. 126. v. 1. ope Cyri post annos 70. redeunti, ubi de carcere mundi & sepulchri liberabimur.

III. Quod revertente Christo non tenebuntur oculi nostri, sed veluti servus Elisæi, 1. Reg. 6. cum summo gaudio Angelos: ita nos Christum videbimus qualis est, nec postea evanescet ut sit nobis invisibilis, sed cum ipso, quoniam totus noster est, 2. Cor. 2. introibimus in gloriam. Flectentur ipsi omnia genua, Rom. 14. & omnes linguæ confitebuntur, Phil. 2. dicentes: En Dominum venientem in nubibus. Christus vivit, vicit & regnat, &c.

Feria 3. Paschali.

DE PACE CHRISTI.

Evangelium Luc. 24. à v. 36. usq; adv. 48.

PRÆFATIO SUPPLEX.

QUoniam sic oportuit Christum pati, & resurgere die tertio, ut prædicaretur in nomine eius Pœnitentia ac Remissio peccatorum inrer omnes Gentes, à quibus nos per largissimam Dei gratiam non sumus excluſi, gratias agamus Deo, oremusq; dari nobis Spiritum Sanctum excitantem nos ad veram pœnitentiam, ut cum Christo surgamus à peccatis, & in novitate vitæ ambulemus, excitemurq; in die novissimo ad vitam & gloriam æternam. Faxit hoc Deus propter JEsum Christum. Pat. noſt. &c.

Exordium Propheticum.

Esa. 9. v. 3. Lætandum est in Christo, quemadmodum exultant milites, quando dividunt spolia: post dubium enim belli eventum, cujus alea anceps est, sic ut rectiùs glorietur discinctus quàm accinctus, 1. Reg. 20. jam parta victoria milites & subditi cum insigni gaudio Epinicia cantant, victorem concelebrant, & sibi gratulantur. Sic nos jam commisso prælio, superatis per Christum hostibus, victo Satana & absorpta morte spoliis felices sumus. Luc 11. Col. 2. Quia attulit nobis Christus è sepulchro pacem tot annis optatam, & in Testamento suo, Joh. 14. 15. 16. promissam. Adhæc corpus suum redivivum, & eandem salutis doctrinam quæ propagata fuit in Veteri Testamento, quam & ipse proposuerat, & miraculis confirmarat. Singula Textus habet.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

CLausa domo loquentibus
De Christo adest visibilis,

Pacem

Pacem precatur, territi
Spectrum videri existimant.
Manus, pedes, carnem ossaq;
Monstrat, ciboq; vescitur:
Sic ipse verè vivere,
Nec esse spectrum se probat.
Quin hæc futura dixerat,
Quod & Prophetæ scripserant,
Ut prædicaretur salus
Per Christum, ijsdem testibus.

TRIPLEX SPIRITUALE LUCRUM EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Jesus Christus verè eluctatus sit ex morte, quoniam id ipsum hoc loco demonstratur tribus argumentis, quibus nemo mortalium, nec ipse Satan potest contradicere. Hinc ipse 1. monstrat discipulis carnem & ossa sua, & vulnerum cicatrices, ut palpent & contrectent manibus suis, quo nihil certius. 11. Comedit in eorum præsentia de pisce asso & favo apiario, ut videant & oculis suis percipiant Dominum verè resurrexisse. Mat. 9. 111. Repetit eadem quæ antea dixerat, ut sic hauriant auribus suis, & manifesto convincantur colloquio, agnoscantq; ipsis sensibus testibus Christum vivere, allegatq; hunc in finem Sacram scripturam, quæ de Christo vetustissima & verissima est. Quare eadem est Fides nostra, quæ Mosis & Prophetarum fuit de Christo, quod scilicet ipsum oportuit pati & resurgere. Quo se Paulus refert, Act. 26. v. 22. quod Christus occisus sit ab initio, Apoc. 13. de quo omnes testantur Prophetæ, Act. 10. dari in nomine ejus remissionem peccatorum solo, Act. 4. ut esset salus ex Zion, Psal. 14. & nos credimus per Christum salvari sicut & illi. Act. 15. v. 11. Hæc est Prophetica, Apostolica &

Catholica fides Esa. 9. & 43. & 53. Rom. 4. 1. Joh. 1. 2. Cor. 1. Et solus JEsus Christus cum morte ac Resurrectione sua nucleus & medulla est totius Sacræ scripturæ, Joh. 5. solus in eo quærendus: quia nulla historia, nulla concio, caput nullum in scriptura extat, quod non de Christo agat, ipsumq; verbis aut certè figuris adumbret.

II. *Quod glorioſum ſit Corpus Filij Dei, quo per clauſam januam ad diſcipulos intravit, ſicut eodem die lapidem ſepulchri penetravit illæſo ſigillo, & infans illæſa virginitate matris in lucem prodijt. Auguſt. Athnaſ. Cyprian. Sic ergo Corpus Chriſti per ligna & lapides abſq; impedimento tranſit, nec opus eſt ei januam Joh. 20. aperiri, ſe diſcipulis conſpiciendum præbet, iterumq; ubi placet inviſibilis eſt, velut in Emahus. Sic de Angelis ſcripſit Auguſt. Non eſt in noſtra poteſtate Angelos videre, ſed in illorum poteſtate eſt nobis apparere. Et hæc proprietas erit corporum noſtrorum poſt Reſurrectionem. Sic etiam corpora cum Chriſto reſurgentium, Mat. 27. non omnibus ubiq; apparuerunt; ſed illis tantummodo quibus Deus oculos aperuit, reliquis etiam proxima & conjuncta manſerunt inviſibilia. Sic pro lubitu ſuo Chriſtus pedibus ambulat cum Cleopha, mox in ædibus matris Marci Evangeliſtæ, ceu veteribus placuit, diſcipulos viſitat, quorum cauſa in ejusmodi apparitionibus multa præſtitit, quæ non pertinent ad eſſentiales proprietates glorioſi corporis. Sic Chriſtus ignominioſæ Paſſionis ſuæ ſtigmata vel ſigna retinuit, non ut eſſent ſigna defectus & imbecillitatis, ſed honoris longè ſplendidiſſima. Quæ ſi retinuit ad certum tantummodo tempus, ſcilicet ad Aſcenſionis triumphum, ideo factum eſt, teſte Auguſtino, ut ſanaret vulnus incredulitatis in diſcipulorum cordibus, aliàs Thomas vix eſſet converſus. Si verò illa retinuit in corpore glorioſo usq; in æternum, Matt. 24. & nos in die noviſſimo videbimus hoc ſignum Filij hominis, tres præſertim ejus rei ponderari debent cauſæ: 1. quam Cyrillus memorat. Quod Cicatrices ſecum in cœlum allatas Angelis & Electis monſtrârit, ut habe-*

haberet æternam gloriosæ suæ victoriæ memoriam. Esa. 63. v. 1. 2. 3 Zach. 13. v. 6. 2. quam Ambros. annotavit. Ideo Dominum vulnerum suorum stigmata non abolere, sed cœlo inferre voluisse, ut pro nobis intercedens, 1. Joh. 2. Rom. 8. pretium nostræ liberationis Patri ostenderet, & sic causam nostram, humanitate paternis oculis objecta, ageret. 3. Ut hoc viso signo Beatorum cumuletur gloria & lætitia, damnandorum autem augeatur luctus & supplicia. Ubi agnoscent pij quàm pretiosè redemti sint, impij autè qui vulneribus Domini abusi sunt, quàm justè condemnentur, dicente judice Christo: Videte vulnera quæ inflixistis, agnoscite latus quod pupugistis, ecce hominem quem crucifixistis. Simili ratione comedit Christus bibitq; post Resurrectionem: 1. Ut se verè vivere ostenderet, quod hoc evidens vitæ signum sit. Mat. 9. Act. 10. v. 41. 2. Ut protraheret Apostolos ex incredulitatis pelago. 3. Ne videretur esse spectrum. Theophylactus ait Christum edisse non secundum naturam, sed secundum dispensationem, cibumq; in Corpus Christi gloriosum esse conversum. Smaragdus super Lucam inquit: Manducavit potestate non necessitate: Aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius candens, illa indigentia, iste potentia.

III. Quod nihil possit Dominum Jesum à nobis segregare, neq; murus, neq; carcer: nam Dominus est potentior omni lege corporum, & Corpus Christi, ait Cyrillus, omnia humana transcendit. Ipse nobis adest vel per mille januas, etiam ferro inclusis, & in fundo profundo maris expirantibus. Rom. 8. Demus itaq; juxta consilium Augustini, Deum aliquid posse, quod nos investigare non possumus. Jesus Christus maximè diligit mortales, & gaudet ipsis adesse: Prov. 8. sic ut Moses, Deut. 33. & David, Psal. 8. dè tanto amore meritò mirentur & ubi thesaurus ipso docente, Mat. 6. ibi Cor. Nos autem sumus thesaurus per sanguinem Christi redemtus, Eph. 1. Tit. 2. 1. Pet. 2. ipsius propria hæreditas, Psal. 2. à tenebris redemta. Col. 1. Hinc vix pede extra sepulchrum posito discipulis adest, cumq; tria habeat ovium genera, Ezech. 34 aberrantibus

tibus & imbecillioribus, ut à lapsu reducantur, inprimis adesse gaudet, & pro ijs ut conversæ salventur maximè est sollicitus. Sicut piæ matris viscera, Esa. 66. infantem diu lachrymantem ferre nequeunt, sed ipsa celeriter accurrit, ut lachrymas abstergat atq; dolorem leniat.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut in anxio mœrore constituti recordemur Domini JEsu, qui lachrymas nostras Resurrectionis suæ strophiolo abstergi curavit, certò statuentes quod dolentium & credentium ipse velit misereri. Esa. 43. Jer. 31. Ezech. 18. Nec perterrefaciant nos spectra, quæ esse in rerum natura & passim videri, copiosæ testantur historiæ de Appelle Fabro Sozom. lib. 6. cap. 28: de Genadio apud Theodoret. de Agnete mortua, Ambros. Serm. 90: de Mose Cretensi Histor. Tripart. lib. 12. cap. 19. Bonosq; & malos Spiritus per aëra volitasse testatur Codex sacer in locis quamplurimis. Sed multa cum hominibus spectra videantur Physica sunt & naturalia, ut hominem increpusculo decipiat visus, vel premantur præcordia crasso sanguine, vel putridæ in paludibus aquæ calore Solis accensæ ardeant. Quædam verò Satanæ sunt præstigiæ, cum se in varias formas, imò in Angelum lucis 1. Cor. 11. transmutare possit. Gen. 3. 1. Sam. 28. v. 14. Et quidem variè ejusmodi spectris, de montibus, de sylvis, de mari, de domibus, de sambuco, alijsq; ubi frequenter apparuerunt locis attributæ sunt appellationes. Sed quodcunq; ejusmodi videtur, aliud nihil est quàm ipse Diabolus, homini insidias struens, at nullo modo metuendus: quia nomen Domini nobis refugium est, Prov. 18. & in nomine Domini, Psal. 118. veluti apes deperdito aculeo, confunditur, & cum sit hostis noster ex Baptismo renunciatus, fides ipsi habenda non est, sed Verbo Dei fugandus, quod sine permissione divina nihil possit, Job. 1. Matth. 8. 2. Pet. 2. nec mortuorum formas pro lubitu induat, sic enim nullibi abesset.

Cæte-

Cæterum quod ad animas spectat, piorum animæ sunt in manu Dei, Sap. 3. in Paradiso, Luc. 23. in gremio Abrahami. Luc. 16. Apoc. 7. 14. Impiorum autem animæ cruciantur in Gehenna, nec inde prodire licèt, Luc. 16. aliàs Epulonis anima se in pontum projecisset. Corpus sepulchro conditũ quiescit, aut in reliquis Elementis putrescit, ad diem novissimum. Interim qualitas corporis defuncti, quod trunco simile portari debet frigidum & rigidum, nos docet spectris in forma defunctorum apparentibus non esse credendum, Deut. 18. Esa. 8: si enim jam exspirans ambulare non valet, minùs id præstabit jam dehumatum, terrâq; & lapidibus obrutum.

II. Ut si quando turbamur & expavescimus, propter delicta nostra, non simus πεπεσγμένοι, nec perturbemur, sed fide fortes contra desperationis voraginem semper hæc aurea observemus verba Christi: Quid turbati estis? & quare cogitationes illæ subeunt in corda vestra? Si accusat nos propter peccatum conscientia, arripiamus verba Christi: Pax vobis. Quid turbaris anima mea? Psal. 42. 43. Confiteri Domino qui remittit tibi iniquitates tuas. Psal. 103. Si mundus frendet, sit Christus scutum nostrum, qui nobis benedicit, Psal. 109. ut maledictio impiorum velut avis prætervolet, Prov. 26. nec tela eorum nos feriant; Psal. 91. Si Satan nos accusat, Apoc. 2. non ipsi sed Deo soli peccavimus, Psal. 51. qui nos dilexit, Joh. 3. & abundavit gratia ejus, Rom. 5. in sangvine Christi, 1. Joh. 1. & mors ipsa absorpta est in victoria. Ose. 13. Ideoq; cor nostrum sit tranquillum, Joh. 15. quia sicut mundi Princeps nil habet in Christo, Joh. 14: ita nec in nobis, neq; nos damnabit, Rom. 8: quia nobiscum est victor Leo de Juda, Apoc. 5. per cujus vulnera sanati sumus. Esa 53. Et quoniam ipse perterrefactis discipulis mõstravit manus saucias, pedesq; & latus, nos si hæc membra non fecerunt officium suum; si ambulavimus in via peccatorum, Psal. 1. v. 1. Psal. 50. v. 18; si manus nostræ fuerunt sangvine plenæ, Esa. 1. v. 15. Esa. 59. v. 3. nimis tenaces, rapientes vel occidentes; si ex corde egressæ sunt cogitationes malæ & facta turpia, Mat. 15. v. 19. Gen. 6.

v. 6. quæ confiteri erubescimus, admoveamus in vera fide manus & pedes Christi pro nobis vulneratos, & approperemus ad fontem misericordiæ ex latere Christi profluentem, cum August. dicentes: Tuta & firma requies infirmis & peccatoribus est in vulneribus Christi, securus ibi habito, &c. In Manuali cap. 21. & 23. 3. Ut juxta exemplum Christi summi Superintendentis pastores loquantur ex scripturæ fundamento, & ad scripturæ confugiant testimonia, prædicentq; scripta & sculpta; sic enim ipse Deus, Mat. 3. & 17. sic Angeli, Luc. 2. & h. l. Christus singula ex scripturæ fontibus deduxit. Utilissimum est ut audiant ipsius Dei vocem auditores, idq; ce-

dit

1. In Dei gloriam, qui locutus est per Spiritum Sanctum, & præsens est cum Angelis.

2. In contumeliam Satanæ, qui non intelligit cogitationes nostras.

3. Ad probandum sententiam nostram & defendendum profectum.

Simul applicent ad auditores & fideliter explicent scripturæ dicta, prædicentq; Pœnitentiam & Remissionem peccatorum, ut omnia flectantur ad gloriam Dei & auditorum salutem, docendo legem tempestivè & intempestivè, 2. Tim. 4. in Sinai, promendo vetus & novum, Matt. 13. & graviter reprehendendo; sic tamen ut absit privata ira vel odium, nec servus Domini sit studiosus rixarum. 2. Tim. 2. Inde placidè instituendo & proponendo Evangelium in Zion, Apoc. 15. ut sic præparetur via Domini, Esa. 40. per duplicem tubam, Num. 10. v. 2. per duas virgas, Zach. 11. v. 7. & duo cantica, Apoc. 15. v. 3. Mosis scilicet & Agni, canendo ♎ & b. Odit quidem mundus correptionem in porta, Amos. 5. & magni fiunt concionatores hypocritæ, sed impletur tandem illud quod Jeremias cum lachrymis annotavit Thren. 2. v. 14. Nam pessimi animarum proditores sunt illi pastores, qui abstinent à correptione propter lucrum, & consuunt pulvinaria axillis manuum pro pugillis hor-

dei &

dei & fragmentis panis: Ezech. 13. v. 18. 19. Illiq; qui non possunt damnare alios, quod eadem faciant, propter quæ alij essent condemnandi. Rom. 2. v. 1.

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex, ut sic agnita promissæ patriæ felicitate desiderio eius ardentiori rapiamur. Num. 13.

I. Quod apparente Christo ad judicandum vivos & mortuos, Pacem quam Princeps pacis, Esa. 9. sanguine suo reparavit, discipulisq;, & nobis omnibus optat, in vita æterna consecuturi simus perpetuam, probatam, confirmatam & certissimam. Rom. 1. 4. 5. 14. Gal. 5. Phil. 4. Qualis non est in mundo, quia hic cum quo certet mens pia semper habet: dum nos caro nostra ad libidines trahit, unde conscientiæ sentimus aculeos. Mundus nos odit & offendit, Satanas & membra ejus persequuntur, Regnum autem Dei pax est & gaudium florens in Spiritu Sancto. Psal. 72. Zach. 9. Rom. 14. Si itaq; lætantur subditi in regnis & ducatibus, quod hoc anno 1613. res ipsa testatur, dum Clementissimus Rex noster Christianus quartus, plurimis trophæis ab hoste fortissimâ dextra reportatis, oblatas pacis conditiones non aspernatus est, ubi positis armis & finito, quod summa in mortalium vitam effundit pericula atq; incommoda, bello funesto, pax aurea sancitur, ut sic tristia duri militis in tenebris occupet arma sit⁹. Licèt pax ejusmodi non sit perpetuò constans, neq; in Choro, neq; in Foro, neq; in Thoro, & sæpius per protervam hominum securitatem, Deus ad gladium denuò stringendum provocetur. Certè infinitum in nobis pax æterna excitabit gaudium, quod miser homo penes quem offensa fuit peccatum scilicet, mediante JEsu Christo cum Creatore suo redierit in gratiam, perpetua donatus jucunditate. De hac reconciliatione consulatur Catechismus: quoniam dissidij causa inter Deum & homines monstratur in Decalogo nos omnes propter transgressiones condemnante. Deut. 17.

Tractatus pacis, Mediator & modus reconciliationis in articulo symboli secundo. Fructus pacis describitur in articulo tertio, videlicet Spiritus Sanctus, collectio Ecclesiæ, Remissio peccatorum & Vita æterna. Invocandus porrò Deus est, ut conditiones pacis hujus firmæ sint & ratæ, & ipse nobis, si ex imbecillitate delinquamus, remittat debita nostra. Obsignatio tandem & symbola pacis sunt sancta Sacramenta, Baptismus & Cœna Dominica. Quod si jam in Annalib. Livij lib. 33. & 44. commendatur Regis Persei Pater, quia literas de pace cum Romanis restituta bis cotidie perlegerit, ne illius immemor vel inscius violaret conditiones: Multò magis nos decet cum Berhoënsibus, Act. 17. cotidie bis ad minimum scrutari Catechismum, Joh. 5. & de hac pace æterna nobis gratulari.

II. Quod corpora nostra in die novissimo cognatam carnem recipient, & animabus in pace perpetua jungentur, ut caro nostra tam bonorum in cœlo, quàm malorum præteritorum in hac fuit vita, reddatur particeps; nec ulla ullam retinebunt elementa.

Probatur Resurrectio corporum nostrorum

1. Ex Justitia Dei, quia justi ut plurimum hic infeliciter agunt, famemq; & injuriam patiuntur. Erit ergo Resurrectio, & justus Deus pijs retributor, animaq; & corpus quæ simul in hujus seculi desudaverũt peregrinatione, simul glorificabuntur in requie.

2. Ex ratione, teste Gregor. dum in elementis suis mundus mutatur, foliaq; cadunt & iterum erumpunt, Syr. 14. & ex parvis seminibus magna surgunt arbusta. August. Qui gramina seminum mortua & putrefacta vivificat, per quæ in hoc seculo vivas, multò magis te ipsum resuscitabit, ut in æternum vivas. Gregor. Nyssen. Qui de uno aliquo tritici grano in glebam conjecto spicam enasci viderit, hunc de cæteris non dubitare necesse est. Basilius ostendit nobis bombycem, angvillas, lumbricos & alia quæ ex cœno oriuntur animalia, aurumq; invisceribus terræ & vitrum. &c.

2. Quia

3. *Quia, teste Platone, omnis pars summa aviditate toti suo conjungi desiderat, ergo etiam anima in perfectione & Paradisi beatitudine constituta proprij corporis indumentum resumere desiderabit.*

Tres Errores de Resurrectione mortuorum.

I. *Saducæorum & Epicureorum, Sap. 2. Mat. 22. qui crediderunt annihilationem corporis & animæ simul, egregiè & solidè ex cap. Exod. 3. à Christo refutati.*

II. *Eutychianorum, de quo notetur D. Gregor. & Eutychi coram Tyberio Constantino Imperatore in Concilio Constantinopol. disputatio, & Eutychi morientis vera confessio. Dixerũt ergo veteres: credo carnis hujus, pellem manuum tenentes, Resurrectionem.*

III. Θνητοψυχηταrum, *qui statuentes animam rationalem esse ex traduce, eam mortalem, simul cum corpore docuerunt, in quo errore multi fuerunt teste August. Epist. 156. contra expressum Verbum Dei. Sap. 2. & 3. Eccle. 12. Matt. 10. Luc. 16. & 23. Act. 7. Apoc. 14.*

Idem autem corpus quod mortuum & terræ mandatum est resurget, 1. Cor. 15. v. 38. eritq; verum corpus habens carnem & ossa. Job. 19. Sed hæc omnia erunt spiritualia, nec infirmitatibus obnoxia, sed fortia, glorificata, instar Solis refulgentia.

Tria, hoc loco ponderentur.

Primò. *Quod reddemur naturæ non injuriæ: dies enim erit restitutionis. Act. 3. Non erit ægritudo, Apoc. 7. & 20. nec cicatrices in corporibus nostris. 1. Cor. 15. v. 42. Seminatur corruptioni obnoxium, resurget incorruptum: Seminatur ignominiosum, resurget glorioſum: Seminatur infirmum, suscitatur potens: Seminatur animale, suscitatur corpus spirituale, non quod mutatum sit in spiritum, sed spirituales habeat actiones, & insignia, quæ hic cernuntur in Christo, ornamenta.*

Ornamẽta sanctorum corporum Tria,

1. *Subtilitas, ut velut Solis radij illæso vitro penetrent & alio pertranseant: nec ullis repagulis, aut parietum molibus impediantur.*

2. *Agilitas cum admiranda claritate conjuncta, Matt. 13. ut summa velocitate quocunq; velint contendant.*

3. *Impassibilitas & immortalitas, quia nec morbis aut morte succumbent.*

Ergo & muti loquentur & caci videbunt, Esa. 35. ubi venerit Christus, non tantùm in carnem, sed etiam ad judicium. Nec erunt membra illic mutilata, 2. Mac. 7. v. 11. siquidem omnes capilli nostri numerati sunt, Matt. 10. aderitq; etiam quod hic defuit. August. de Civ. Dei. lib. 22. cap. 14.

Secundò. *Quod corpora glorificata cibo non indigebunt; similes quippe erimus Angelis, Matt. 22. de quorum numero quidam, Judic. 13. dixit Manohæ: Non vescor cibo. Et Raphael, Tob. 12. se cibo ait frui invisibili, respondit q; Senior, Apoc. 7. quod non sustinebunt famem neq; sitim. August. lib. 13. cap. 22. de Civit. Dei. Non potestas, sed egestas edendi & bibendi talibus corporibus auferetur, unde & spiritualia erunt, non quia corpora esse desistunt, sed quia spiritu vivificante subsistunt, quibus, teste Ambrosio, Dominus in æterno sabbatho jam bene pastis Verbo & Sacramentis, sublata omni maledictione non distribuet cibum & potum, sed gaudium & gratiam.*

Tertiò. *Quod evademus omnes in virum perfectum, in mensuram staturæ adulti Christi. Eph. 4. v. 13. Hinc August. de Civ. Dei. lib. 22. cap. 15. innuit, quod nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgent corpora mortalium, sed in ea ætate & robore, usq; ad quam Christum hic perveniſſe cognovimus, quod circa tricesimum annum juventus esse definiatur. Statuitq; omnes etiam senio confectos & nuper natos, in eadem ætate atq; perfectione resurrecturos, quod etiam D. Hieronymo placuit, qualis fuit Christus Anno 33.*

vel qua-

vel quales ipsi fuerunt, aut esse potuissent Anno ætatis 30. Sed cum Apoc. 20. v. 12. visi sint mortui magni & pusilli stare in conspectu Dei, harum rerum veritatem in futuro seculo experiemur.

III. Quod in futura vita videbimus manus & pedes, ossa & carnem Jesu Christi, quam ex nobis & pro nobis assumsit, & in consortio Trinitatis collocauit. Discipuli hoc loco non credunt præ gaudio, sed longè maximum illud erit revertente Christo: siquidem ipsum continuè videbimus. Illud piè meditando prægustare videor.

Dominica Quasimodogeniti.

DE INSTITUTIONE SACRI S. MINISTERII ET CONVERSIONE THOMÆ.

Evangelium Joh. 20. à v. 21. usq; ad v. 24.

PRÆFATIO SUPPLEX.

HOminis quidem sunt præparationes cordis, Prov. 16. sed à Jehova est responsio lingvæ. Aures adhæc nostræ crassæ sunt & spiritualiter surdæ, Esa. 6. ut ipsæ non audiant, nec cor intelligat; nisi Deus per ignem Spiritus Sancti illuminet pectora nostra. Cum autem Joel 2. invocantibus nomen Domini promittatur salus & auxilium, egoq; quidem præmeditatus adsum missus à Christo, vos verò ut audiatis & credatis, licèt non videamus, orabimus lingvam dirigi, aures aperiri, corda incendi à Spiritu Sancto & tolli à nobis incredulitatem propter Jesum Christum. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Psal. 22. prædictum est quod ubi Christus ceu cerva matutina in principio Novi Testamenti à populo Judaico canum more circumdata

data fuerit. v. 17. Ubi de morte victor resurrexit, narrare velit nomen Jehovæ fratribus suis, v. 23. & laudare Deum in medio congregationis. Tunc edent pauperes & saturabuntur, v. 7. & laudabunt Jehovam quærentes eum. Quod ita factum esse testimonio hujus Evangelij constat: Siquidem Christus victoriæ suæ fructum narravit Apostolis, & ipsi, præsertim famelicus Thomas, comederunt atq; Spiritu Sancto Donati à fame spirituali liberati sunt. Sic probavit Christus, Esa. 50. v. 4. sibi lingvam esse eruditam pro sitibundis.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

ABsente Thoma ad vesperam
Vidêre Christum Apostoli,
Missiq; sunt cum clavibus
Ligare nec non solvere.
Narrationi incredulus
Thomas habere noluit
Fidem, manu nî stigmata
Contrectet ipsa vulnerum.
Datur petitum, porrigit
Tangenda Christus Vulnera,
Monetq; verbo credere,
Vt vita detur per fidem.

TRIA SCITU MAXIME NECESSARIA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Ut credamus quod JEsus Christus sit Filius Dei per & propter quem pacem, hoc est Gen. 37. omne bonum quo pijs nihil jucundius, Phil. 4. quoniã ille pacis Princeps est, Esa. 9. cum Deo habeamus.

mus. Sic agnoscitur hic persona Christi & majestas ejus, quod duæ distinctæ sint in ipso naturæ, divina scilicet & humana: Divinã profitetur Thomas, dum Christum dicit Deum ex supernaturali præsentia & omniscientia. Humana ex apparitione perspicuè cognoscitur. Hæ distinctæ naturæ constituunt unum Christum, 1. Cor. 1. & sic in Christo sunt unitæ, tamq; imperscrutabiles habent unionis personalis proprietates, ut quando Thomas Christi Corpus contrectat, fateri cogatur se manibus contrectasse Dominum & Deum suum. Quod idem testatur Johannes 1. Joh. 1: Quod erat ab initio, quod vidimus, quod audivimus, quod manibus tetigimus Verbum vitæ annunciavimus vobis. Hinc rectè dicitur, quod Judæi Dominum gloriæ crucifixerint, Act. 3. 20. 1. Cor. 2. Ducem vitæ occiderint, & Deus sanguine suo Ecclesiam redemerit, Filius Dei me dilexerit, Gal. 2. & semetipsum pro me tradiderit. Vidimus ergo quanta sit unio Filij Dei cum carne, unde tanta majestas & gloria est ejus, per unionem personalem exaltationemq; ipsi juxta humanam naturam data, ut nemine referente sciat quidnam Thomas ex corde incredulo cum Apostolis sit collocutus. Sic aliâs legitur nosse hostium cogitata, Matt. 9. quid meditetur homo, Joh. 2. quod Nathanaël sit verus Israëlita, Joh. 1. quinam credant nec ne, Joh. 6. & ratione hujus unionis personalis ad dextram Dei, ipsi omnia sint possibilia ac præsentia. Eph. 4. Omnia adimplet, Eph. 1. & omnem habet potestatem. Psal. 8. Mat. 28. Nosq; Justificati fide, Rom. 5. v. 1. pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, aditumq; in gratiam hanc, verum προφυλάκτικον contra desperationem, mortem, judicium & infernum. Est equidem pax in societate humana optima rerum, quas homini novisse datum, quam poscimus omnes, qua bidens vomerq; vigent, &c. qua hactenus freti, minus autem rectè usi sumus. Sed discrimen maximum est inter pacem Christi & pacem politicam, quoniam illa pax Dei est, Phil. 4. v. 7. superans omnem intellectum: nec auro aut argento, sed sanguine Christi & Resurrectione ejus acquisita. Zach. 9. Conjecit enim

cit enim Deus in Christum peccata nostra, Esa. 53. pœnam q3 super eum ut nos haberemus pacem. Col. 1. v. 19. Quoniam in eo placuit patri, ut omnis plenitudo inhabitaret, & per eum reconciliaret omnia sibi, pacificatis per sanguinem crucis ejus tum quæ in terra, tum quæ in cœlis. Adhæc pax constantissima, 1. Tim. 2. cujus effectus sunt: 1. Facilis ad Deus accessus. Eph. 3. Gal. 4. 2. Liberum alloquium. Rom. 8. 3. Certa exauditionis fiducia. Cumq3 tempore pacis mundanæ sæpius homines in delicta ruant, ceu legitur de Rege David, 2. Sam. 7. & 9. de Sodomitis, Ezech. 16. pax Christi salutem animæ nostræ promovet, & sanguis ejus purgat conscientiam nostram. Psal. 51. 2. Cor. 6. Ebr. 9. Nihil in toto orbe est malâ conscientia molestius & insuavius, cum infelix anima peccati stimulis semper laceratur. Quid quæso homine illo infelicius, qui vigilans, dormiens, edens, bibens semper in peccato vivit, in peccato lectum adit, in peccato à somno excitatur, in peccato ad mensam accumbit, & Deum sibi semper infensum intelligit? Esa. 57. v. 20. 21. Non est pax impijs, quia cor eorum quasi mare fervens quiescere nequit.

Tria omnes homines perterrefaciunt,

1. Peccatum commissum gravi conscientiam pondere onerans & arrodens, Rom. 2. Syr. 13. ubi homo nusquam à metu liber nocte dieq3 suum gestat sub pectore testem. Quod videtur in Adam, Gen. 3. Cain, Gen. 4. Saul, 1. Sam. 30. Juda, Matt. 26. alijsq3 qui stimulante scelerum recordatione sibi ipsis vitam, qua nec vermiculis quid charius est, ademerunt.

2. Perpetua dubitatio de misericordia Dei & salute animæ, Jacob. 1. cum assiduo metu peccata manifestari, & sontem ad judicium protrahi. Nec non præsens pœna quod quisq3 fuerit faber fortunæ suæ, unde multi præ anxio dolore tabescunt. Luc. 21.

3. Tria futura, scilicet: 1. Hora mortis incerta de qua cogitans supplicij reus semper trepidat, timens tertiæ & quartæ

*& quartæ generationi, dum per quæ quis peccat per eadem punitur. Sap. 11. 2. Resurrectio ad judicium. Joh. 5. v. 29. 3. Pœna inferni æterna.

Contra ex pace qua Deo reconciliati sumus oritur conscientiæ tranquillitas, ut Spiritus Sanctus testimonium perhibeat spiritui nostro, quod simus Filij Dei. Rom. 8. Et nihil in tota vita jucundius contingere homini potest, quàm esse in eo statu, in quo si mors illum intercipiat, non trepidum, non reluctantem; sed expeditum, vigilem & prudentem servum illum inveniat, qui dissolvi gaudens, Phil. 1. cum Simeone optet in pace dimitti.

II. Quod Spiritus Sanctus tertia sit divinitatis persona, non tantùm à Patre, Joh. 15. verùm etiam à Filio procedens. Hinc dicitur Anima omnipotentis, Job. 33. & Spiritus oris Christi, 2. Thess. 2. & Spiritus Filij Dei, Rom. 4. Gal. 4. omnipotens & æternus cum Patre & Filio in unitate essentiæ Deus, quem Christus h. l. flando in eos dedit Apostolis, ut sic efficiantur digni Verbi ministri ad ædificandam Ecclesiam. Hinc Cyrill: Dominus afflando dat discipulis Spiritum Sanctum, ut ipsum esse discamus, qui ab initio nostram naturam creavit, & Spiritu Sancto signavit, & sic visibili medio, velut & in utroq; novi Testamenti Sacramento, invisibilem thesaurum distribuit. Nec tantùm hoc facto probavit divinitatem suam Christus, cujus in ipso est plenitudo corporaliter. Col. 2. v. 9. Nec tantùm primæ creationis memoriam refricat, Gen. 2. q̃ spiraverit Deus in faciem hominis spiraculum vitæ, v. 7. & animam viventem, Ezech. 37; ut sic videatur quid pro tanto beneficio debeamus Creatori, & quidnam Redemtori, qui donando Spiritum nos consortes fecit divinæ naturæ: 2. Pet. 1. v. 4. Verùm vim & naturam Spiritus Sancti expressit, qui neq; carnem, neq; ossa habet, & ubi vult spirat ventus non creatus, Joh. 3. atq; è cœlo sonitu tanquã ruentis flatus violenti replevit Apostolos. Act. 2. v. 2.

Triplex Spiritus
1. Sit in æstu dulce refrigerium, ubi pectora furoris divini igne incensa ardent & tragica, quod in facinorosis

Sancti operatio ex afflatu, quod

* apparet, siti torquentur. Sic enim anhelitu nostro rebus fervidis teporem inducimus, & calorem nimium fugamus.

2. Gelida corda lucis divinæ calore incendat, foveatq; quod est frigidum. Luc. 24 Act. 2. Sic enim rigidus frigore manus calido oris nostri spiramine recreamus.

3 Anxios tollat ab animabus cruciatus: Sic enim asperos pressi digiti dolores afflando mitigamus.

III. Quod quæcunq; quorumcunq; peccata remissa vel retenta fuerint in terris, id quoq; in cælo ratum erit. Ait ergo Chrysost: Quæ in terris, agunt sacerdotes, ea in cælo rata habet Deus, & servorum sententiam confirmat Dominus.

Magnum est beneficium misericordis Dei, quod Verbi ministris non potestatem carceris humani, non claves Gazophilatij Regij, nec pluviæ velut Eliæ, 1. Reg. 17. Syr. 48. Jac. 5. sed cælestis Hierosolymæ & Paradisi tradiderit, ut beatitudinis cælum aperiatur credentibus, barathrum autem Gehennæ incredulis.

Majus beneficium est quod potestatem hanc Deus, non Angelis, nec Archangelis datam esse voluit, ut per illorum absolutionem ex Satanæ mancipio hæres Dei fiat homo, sed per homines nobiscum agit, ut à notis & agnatis, & affinibus nostris absolvamur.

Maximum propter certitudinem, quoniam ubi quis absolutionem audit à Verbi ministro, idem est ac si præsentem videret Christum capiti suo manum imponere, & absolutionem annunciare. Adest enim tertius Christus mediatè agens per sacerdotes, sed ipse intus absolvens. Hinc qui cum anxio luctu accedunt, absoluti ab onere criminum cum gaudio revertuntur, & fieri potest, ut qui imparatus accedit, infuso in animam Spiritu gratiæ, his verbis convertatur. Quod pœnitentibus inde usq; ab initio scelera gravissima condonata sint docet historiæ: Adami, Lothi, Manassis, Publicani Petri, Pauli, Latronis, Mariæ Magdalenæ & fœminarū, Joh. 4. 9. quibus ab

bus ab ipso Deo annunciata est absolutio. Davidem absolvit Nathan. Theodosium Ambrosius. Insignem peccatorem Satana mancipatum Basilius. Retenta contra peccata leguntur: Act. 4. & 8. & 13. & 1. Cor. 5. &c. Nullum itaq; adeò magnum est delictum, quod ex animo pœnitentiam agentibus non remittatur, & quod verum est, non est nimis serum. Esa. 1. Ezech. 33. Mich. 7. Sed tanta misericordia solis pœnitentibus contingit, quibus absolutio instar diplomatis est, & obsignatur sigillo Cœnæ Dominicæ, & huic operi adest tota Trinitas, sanctiq; cum gaudio Angeli. Si gaudet hortulanus de ramis insitis & seminibus, agricola de frumento terræ commisso, pater anxius de filio acolasto in viam redeunte; quid non faciat cœlestis Zemach & bonus Deus? Oportet itaq; adesse contritionem & Fidem, nisi enim sulcos vertas frustra seminas, & si sementem in arenam projeceris oleum atq; operam perdes. Quiq; statim à confessione ad pristina scelera relabuntur similes ijs sunt, qui gravibus afflicti vulneribus, cum falso medicamine cutem obduci vident, falsa securitate decepti medicamenta respuunt: cum interim vulnus interius latè serpat, & tandem fiat immedicabile.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut Ecclesiæ Doctores fugiant hypocrisin, acuant concionem legis, arguant peccata nec porcis Margaritas projiciant, Matth. 7. ceu de improbis legitur Ezech. 13. & 33. Thren. 2. v. 14. Nec anxios & contritos sine consolatione dimittant, sed confortent manus remissis, Esa 35. & roborent genua debilia, prædicent captivis libertatem, Esa. 61. & vinctis apertionem carceris, consolenturq; omnes lugentes. Et ipsi vita sancta atq; irreprehensibili præluceant auditoribus, 2. Tim. 4. præbentes, ceu typi fidelium, exemplum piæ conversationis.

Auditores gaudeant admoniti seq; corrigant, nec cum nebulonibus illis Esa. 30. v. 10. dicant: loquimini nobis blvnda; ne reluctentur Spi-

tur Spiritu Sancto. Gen. 6. Act. 7. 1. Thes. 4. Nec oblatam gratiam divinam negligant, ne peccatorum pondere preßi, in desperationis barathrum præcipitentur. Nec simulantes pœnitentiam absolutione & Sacramentis impiè abutantur, quia Deus non irridetur. Gal. 6. v. 7. Fideles imprimis ministros Christi vicarios salutis nostræ causa missos duplici honore afficiamus, cautiores exemplo Ammonitarum, qui candidos Davidis legatos inhonestè exceperunt. 2. Sam. 10. & 12.

Ministerium maximè faciendum propter 3. causas: 1. Majestatem Institutoris Dei, qui in ministerio cum bonis cœlestibus ad nos descendit, & nos gradatim ad se in cœlum trahit: Dum Pater donatum nobis mittit Filium. Esa 9. & 61. Joh. 3. Filius mediator & magni consilij Angelus, Esa 9. Mal. 3. voluntatem Patris nobis revelat. Joh. 1. Matt. 11. Spiritus Sanctus nos illuminat, docet & dirigit, ut possimus Christum dicere Dominum. 1. Cor. 12. Missi sunt Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli, quorum linguas & calamos Spiritus Sanctus direxit, ut doctrinam salutis propagarent, & ipsorum scripta fundamentum essent Ecclesiæ. Eph. 2. Tandem Episcopi & Pastores legitimè vocati ad amussim Prophetica & Apostolicæ scripturæ nobis viã monstrant, docendoq; & absolvendo cœlos patefaciunt: quia Deus, 2. Cor. 5. monet vos per nos. Hinc ubi ex nobis grato animo auditis & recipitis Verbum Dei, testimonio Prophetico & Apostolico adhærentes, reddimini templa & domicilia Spiritus Sancti. Quo illuminante credimus in JEsum Christum & per fidem à Deo adoptamur. Joh. 1. Rom. 8. 2. Propter Divinũ Spiritus Sancti consilium, ut quæramus Dominum, Esa. 55. in tempore acceptabili, 2. Cor. 6. dum veniri potest. Quoniam Evangelium est Manna salutis nostræ, 1. Pet. 2. v. 2. Col. 3. v. 8; unde hæc Dominica veteribus dicta fuit: Quasimodogeniti & Dominica in albis. Alias Agar expulsa ex domo Abrahæ famem sustinet, puer à mammis abstract9 ægrè habet, & testudo amissa domo frigore necatur. 3. Propter Methodũ salutis rectè tenendam, Mat. 7. ne in illam quæ latissima ad

infernum

infernum ducit pedem transferamus, nec declinemus ad dexteram, vel sinistram, Esa. 30. v. 21. nec securi nimium fidamus, nec desperabundi nihil fidamus. Jer. 17. v. 9. Dum, teste Ambrosio, in adversis timidi & in prosperis tumidi sumus, & corde humano indurato, quod juxta Bernard. malleo Verbi divini frangi non potest, quod nec minis credit, nec promissis flectitur, nec beneficijs emollitur, nec plagas sentit, nec mortem timet, nec Dei Judicium reformidat, nec Christi vulneribus & sanguine commovetur; sed veluti saxum quoddam & chalybs, imò quasi Adamas inconcussum perstat, nihil durius est, quod ex historia Pharaonis apparet. Eoaemq; si reddatur timidum, nec oleum nec aqua mollior est, imò & mortem naturæ destructorem invocat. Unde hæc duo mala vel duo morbi & vulnera animæ mortem æternam producentia, multos in Gehennam demergunt. Christus autem in pharmacopola sancti Ministerij duplex ordinavit antidotum, scilicet retinere peccata ut terrefiant securi, & remittere peccata, ut erigantur desperabundi.

II. Ut simpliciter habeamus fidem Verbo & revelationibus divinis, nec rabiosè ac furenter ad causas secundas alligati in rebus divinis ratiocinemur, Verbum Dei de aliquo articulo in dubium rapientes; Sed in divinis negocijs opifici Deo cedamus & credamus simpliciter, ipsiq; modum ac potestatem agendi concedamus: quia non infra sed supra quàm nos intelligimus ipse facit. Hinc in Theologia præcedit fides & sequitur experientia, Joh. 4. cum in Philosophia fidem præcedat experientia. Incredulitas, quæ fidere cum nequeat cuncta videre cupit, cum prima tabula pugnat, fidem extinguit, orandiq; tollit fiduciam & sacramenta contemnit, sic totum impugnat Catechismum, & contagiosa ad plurima peccata præbet occasionem, qua laborans non vincit mundum, nõ habet vitam æternam, nec testimonium Dei. 1. Joh. 5. Sed Deum facit mendacem, seq; coram Deo abominabilem. Nos itaq; non tantùm manus contrectata & oculis obvia requirimus, sed verbo habeamus fidem: requirit enim Deus à nobis manum & oculos fidei, quæ, Ebr. 11. certa est fiducia

ducia sperandi, nec dubitandi de illis quæ non videmus. Fide scimus mundum creatum esse à Deo: Fides docet Deum esse omnipotentem, Jer. 32. Luc. 1. & longè plura posse quã ratio nostra intelligit. Eph. 3: Fide scimus Christum esse incarnatum passum & mortuum: Fide novimus Christum resurrexisse, Rom. 10. & sedere ad dexteram majestatis Dei, Luc. 22: Fide agnoscimus præsentiam Christi in Cœna. 2. Cor. 10: Fide tenemus corpora nostra esse excitanda, 1. Thess. 4. & jungenda animabus. Credentes vitam æternam capiemus per nomen JEsu, præter quod aliud datum non est. Act. 4.

III. Ut, si lapsi fuerimus, revertamur ad Archiepiscopum animarum nostrarum, qui quoscunq; recipit pœnitentes, & vel propter unius animam quid vis sustinet; dum pastor bonus ovem quærit amissam, & peccatoribus gratiam offert, eos vocat, Mat. 11. cum eis prandet, Luc. 14. 15. eorum medicus est, Matt. 9. 1. Tim. 1. & h. l. propter solius Thomæ salutem adest, se ad nutum ejus accomodat; nec impatiens ipsi vulnera monstrat. Nec ait: si credere non vis omitte, sed gerit se sicut illi qui pretiosam mercem vehementer adamant, & summo ejus amore capti, non modò justum, sed etiam abũdans pro ea pretium solvunt. Justum fuisset ut quod Dominus volebat Thomas vellet; Sed ô infinitam Servatoris nostri clementiam & lenitatem qua creator se creaturæ obsequentem exhibet! Voce pastoris moniti non erubescamus, nec differamus errorem palàm fateri, ne conqueratur de nobis Dominus quod lapsi noluerimus resurgere. Jer. 8. v. 4. Mat. 23. Nec lapsus in viam reducti iteremus, Luc. 11. Joh. 5. 2. Pet. 2. sed cum Thoma, de quo legatur Euseb. lib. 3. cap. 1. & Isidorus, constanter in vera fide usq; ad finem perseveremus.

III.

Triumphus & Finis Fidei Triplex.

I. Quod, teste Christo, qui credunt cum non videant beati sint, &, docente Johanne, credentes in nomine Jesu habeamus vitam

tam æternam, liberi ab omni malo. Joh. 3. 1. Pet. 1. v. 8. Jesum Christum cum non videritis diligitis, quem nunc non cernatis ei tamen credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioso. Maxima hæc consolatio. Sed ais: credentes in Christum hîc pessimè premi. Respondeo: Respiciendus est finis, 1. Pet. 1. v. 9. ut reportemus mercedem fidei salutem animarum in Vita æterna. Ubi perfectè erimus beati, liberi ab omnibus ærumnis. Nec timebimus nobis à futuro malo, sed habebimus omne bonum abundanter, certi quod tanto bono fruemur in æternum. August. Tomo 9. tractatu 124. super cap. Joh. 21. Duas vias sibi divinitus prædicatas & commendatas novit Ecclesia, quarum: 1. Est una in fide, altera in specie. 2. Una vita est in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis. 3. Una in labore, altera in requie. 4. Una in via, altera in patria. 5 Una in opere actionis, altera in mercede contemplationis. 6 Una declinat à malo & facit bonum, altera nullum habet à quo declinet malum, & magnum habet quo perfruatur bonum. 7 Una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat. 8. Una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi. 9. Una carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat. 10. Una est vincendi curâ sollicita, altera victoriæ pace secura. 11. Una in tentationibus adjuvatur, altera sine ulla tentatione in ipso adjutore lætatur. 12. Una subvenit indigenti, altera ibi est ubi non invenit indigentem. 13. Una aliena peccata ut sua sibi ignoscantur ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci. 14. Una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ cohæreat summo bono. 15. Una bona & mala discernit, altera quæ sola bona sunt cernit.

II. Quod in futuro seculo futura sit mutua cognitio, & suavissima colloquia, sicut h. l. inter Christum redivivum & Apostolos. Sic Adam agnovit Evam evigilans sibi adjunctam Gen. 2: Petrus non visos antea Mosen & Eliam Mat. 17: Maria Magdalena & Apostoli Christum post Resurrectionem; Stephanusq; Act. 7. stantem à

dextris Dei. Et nos conspecto Christo verè jubilantes humili & gratissima confessione dicemus: ô Domine noster, ô Deus noster, ô suavissime Domine Jesu, &c.

III. Quod in vita æterna Fidere nostrum mutabitur in Videre, ibi non opus erit fidere nisi quod videmus: videbimus autem quodcunq; piè hic credidimus, inprimis quàm pretiosè redemtissimus, & longè excellentiora, quàm hic unquam fide complexi sumus. Et gaudebimus viso Christo, sicut Jacob in Pnuel, Gen. 32. v. 30. finitâ lucta jam oriente Sole gavisus est. Et discipuli quod promiserat Dominus, Joh. 16. v. 22: Rursum videbo vos & cor vestrum gaudebit. Animæ Christum supra omnia diligenti & in illo solo spem omnem collocanti nulla dies felicior, nec quid jucundius est, quàm resurrexisse & vivere Christum, atq; devicta jam morte regnare in æternum: nec vivere tantùm sibi, sed etiam membris suis, quibus ad omnia sufficiat. Sic ubi convalescunt in hac fallaci & lubrica vita fautores nostri lætamur: Sic Jacob, Gen. 45. intelligens Josephum adhuc vivere & principatum Ægypti tenere novo Spiritu animatus inquit: Sufficit mihi si adhuc filius meus vivit, & tamen paulo post uterq; & Pater, & Filius, vitam posuit. Christus autem in æternum victurus omni fruitur potestate. Si ergo gavisi sunt discipuli viso Christo, qui paulò post conversatione visibili depositâ in cœlos ascendit, ipsis in mundo relictis & omni persecutionum generi expositis: verè Esa. 61. v. 10. gaudendo gaudebimus in Jehova, & exultabit anima nostra in Deo nostro, ubi videbimus Sacrosanctã Trinitatẽ, & Christũ in gloria Dei, & plagas istas, 1. Zach 13. v. 6 inter manus ejus, quibus percussus est in domo diligentiũ ipsum. Adhæc novum cœlũ cum jucunditate Paradisi, & sanctos præmissos consanguineos & amicos nostros. Esa. 66. Apoc. 7. Legitur parentes subita morte præ gaudio extinctos, ubi vidissent sobolem exantlatis gravioribus periculis contra spem superstitem & absoluta longa peregrinatione in patriam reversam. Sed hujus gaudij nulla collatio cum illo in novissimo conventu, quod erit verum, Joh. 16. perfectum, universale, æternumq; ab[s]q; omni tædio. Conclu-

Concludentur conciones de Resurrectione Christi insigni dicto Pauli 1. Cor. 15. v. 58: Fratres mei dilecti iccirco firmi sitis & immobiles, abundantes in opere Domini semper, cum sciatis, quod labor vester non sit inanis per Dominum.

Dominica Misericordias Domini.

DE BONO ET FIDO PASTORE.

Evangelium Joh. 10. à v. 11. usq; ad v. 17.

PRÆFATIO SUPPLEX.

SIquidem lata est à Christo sententia Joh. 12: Qui reijcit me nec accipit verba mea, habet qui judicet eum in extremo die, sermo enim quē locutus sum ille judicabit eum. Unde liquidò constat, quod Verbum Dei neglectum vel oscitāter auditum, Jac. 1. erit contra nos in testimonium coram æterno judice, cum aliâs auditum & observatum faciat nos esse fratres & sorores Christi, Matt. 12. faciat Deum in nobis habitare, Joh. 14. faciat nos non videre mortem æternam. Joh. 8. Rom. 1. Imploremus auxilium divinum, ut, ceu piæ oves, regente nos Spiritu Sancto possimus hodie audire, agnoscere & semper sequi vocem Archipastoris nostri, in cujus nomine dicemus: Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Ezech. 34. v. 23. prædixit Jehovah: Ego suscitabo super oves meas pastorem unum, servum meum David ille pascet eas, ipseq; erit eis in pastorem. Et Princeps in medio eorum, qui, quod ipse in hoc textu docet, oves suas oves pascuæ suæ homines, Ezech. 34. v. 31.

Congregat, ipse Præit, Monstrat viridaria, Pascit,
Diligit, Agnoscit, Redimit, Regit, atq; Medetur.

Excubat, Errantes quærit, Defendit & umbram
Confert, Castigat, tandemq; ad Cœlica transfert.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

JEsus est Pastor bonus
Vitamq; pro bidentibus
Ponens easdem colligit,
Agnoscit atq; protegit.
Sequantur hæc vestigia
Verbi ministri, nec lupis
Tradant oves, nec subdole
Sanctum Dei tractent opus.
Pastoris audiant oves
Vocem piæ atq; simplices.
Gentes vocantur. Unum erit
Ovile, Pastor unicus.

TRIPLEX PABULUM PRO OVIBUS CHRISTI EX HOC EVANGELIO.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod Jesus Christus verè sit Bonus ille Pastor, de quo prædictum fuit: Esa. 40. v. 11. Sicut pastor gregem suum pascet, brachio suo congregabit Agnos, & in sinu suo portabit. Ezech. 34. v. 11. Ecce ego ipse requiram oves meas & pascam eas, & cætera quæ sequuntur v. 12. 13. 15. 16. Zach. 13. v. 27. Percute pastorem & dispergentur oves. Mich. 5. v. 4. & Psalmo 23. in quo Vates sanctus tredecim beneficia pijs hominibus constituta enumerat, quorũ duodecim ad hanc vitam, postremum autem ad vitam æternam pertinet. Et inter cætera jucundissimum est, quod, cum moneamur Psal. 1. fugere viam peccatorũ, nec currere cum furibus, Psal. 50. v. 18. hic Pastor bonus ducat nos per semitas justitiæ propter nomẽ suum,*

Psal.

Psal. 23. v. 3: quia arctissima est salutis via, Matt. 7. facilè deflectitur, Esa. 30. & infinitus stultorum numerus est. Summa ergo misericordia est ope Dei docentis nos viam rectam, Psal. 25. ad salutis portum pervenire. Quod simili declaratur: si hostes occupata provincia & expugnatis civitatibus ferro atq; flammis omnia devastent, nec victis & afflictis aliquod reliquum sit refugium, nisi in edito loco in celso monte propugnaculum, ad quod unica tantùm semita, eademq; non omnibus, sed paucissimis bene nota profugos, ut celeri fuga saluti suæ consulant, rectâ ducat. Cæteri verò propter methodi ignorantiam partim per præruptos montes & præcipitia incautè currentes ex alto ruant & malè pereant, partim in cœnum & paludes incurrentes mergantur, partim verò per devia cursitantes in ipsos hostes incidant. Hæc totius vitæ humanæ conditio est: Quia omnes in mundi hujus exilio, inter medios hostes passim in insidijs positos ad statum perfectum, ubi liberi vitam tranquillam agamus, & in monte sanctitatis Jehovæ. Psal. 15. v. 1. habitemus, contendimus. Sed ad speratæ felicitatis montem quidam luxuriæ dediti, per carnis voluptates tendunt, Luc. 8. & sic cœno voluptatum immersi perpetuò hærent. Alij ad honores & sublimiorem dignitatem per mille pericula tendunt, Satanam Mat. 4. adorant & lapsu graviore ruunt. Alij inexplebili cupiditate divitijs inhiant, & auri sacra fame trahuntur passimq; in manus hostium incidunt, & capti ad miseram servitutem adiguntur. 1. Tim. 6. v. 9. Soli illi qui per semitas Justitiæ ambulant in montem salutis ascendunt, Psal. 121: quia semita justi, Esa. 26. recta est. Impij autem perpetuò lugebunt, Sap. 5. v. 6. 7. quod à via veritatis aberraverint, & deserta invia pervaserint, neglecta via Domini, quam hic bonus Pastor ovibus suis monstrat. Ille ergo Bonus pastor, Luc. 18. Unicus pastor, Ezech 34. Magnus Pastor, Ebr. 13. Summus pastor, 1. Pet. 5. Pastor animarum, 1. Pet. 2. à Deo missus & promissus, ovium suarum consanguineus, licèt reprobi id turpiter, Joh. 8. 9. 10. negarint Pharisæi, est Dominus noster Jesus Christus.

II. *Quod per & propter hunc pastorem habeamus vitam & abundantiam. Quia Pastor noster est: 1. Natura & essentia Deus ab æterno, Ebr. 13. Apoc. 1. in quo electi sumus, Eph. 1. Et Deus incarnatus purus homo. Eph. 5. Ebr. 2. 2. Sam. 7. O dignissimus & potentissimus Pastor! qui sedet in consortio Trinitatis, Psal. 110. cui subjecta omnia flectuntur genua. Psal. 8. Matt. 18. Phil. 2.*

2. *Merito & Redemtione, quia posuit animam percussus pro nobis, Esa. 53. Zach. 13. factus in similitudine Agni, 1. Pet. 1; & Agnus redemit oves, quem bonum fuit mori pro ovibus. O dulcissimus pastor! qui oves suas dilexit tanquam animam, Jer. 12. & pupillam oculi sui, Zach. 9. & plus quàm seipsum. Eph. 5. Quanto in periculo fuerimus docetur: Amos 3. v. 12. Sicut eruit pastor de ore leonis duo crura vel extremum auris. Zach. 3. v. 2. Sicut torris erutus de igne. Quantus autem fuerit amor Christi pastoris, qui ipsum ad mortem impulit, quo multò plura, quàm passus est perpeti paratus fuit, vel adhuc pro unico, si opus esset, mori, verbis exprimi non potest. Videamus pastorem oves suas piè diligentem, sed ille frequenter earum carnibus & lacte vescitur, earum vellere & coreis vestitur, illarum morte vitam suam sustentat, pereuntibus illis dolet quidem sed modicùm; nec quis unquam dixit se potius moriturum, quàm ovis ulla. Noster autem bonus pastor è cœlo missus se ipsum pro nobis in ara crucis immolavit, & Verbo atq; Sacramentis nos ad vitam immortalem pascit, neq; lacte, neq; velleribus nostris indiget; in hoc verò incumbit, ut non sibi sed nobis consulat, gratisq; dat vitam æternam. Si libet ponderemus amorem parentum, Psal. 103. Matt. 7. Luc. 15. Sed Adam & Noachus maledixerunt filijs suis: Jephte & Manasses satis impiè, stultè & crudeliter tradiderunt sobolem suam. Vel examinemus amorem matrum vehementiorem, cui David suum erga Jonathan amorem comparat. 2. Sam. 2. Sed Christi dilectio superat omnes storgas maternas. Esa. 49. v. 15. Syr. 4. v. 11. Inventæ adhæc matres sunt quæ infantes suos trucidarent vel submergerent, & illæ in Samaria, 2. Reg. 6. v. 28. 29. & illa in obsi-*

in obsidione Hierosolymitana non pro infantibus suis vitam suam exposuerunt, sed eos pro vita sua conservanda mactatos coxerunt. Vel consideremus, qui adhuc ardentior est, amorem sponsi erga sponsam, cui ille, Gen. 2. relicto patre & matre adhæret. Sed quantùm cœlestis sponsi amor, Ose. 2. communem virorum erga uxores amorem superet, ipse declarat, Jer. 3. v. 1. dum revertentem etiamsi fornicata sit suscipit. Denique in uno & eodem subjecto in una persona hoc pervolvamus. Maximo amoris vinculo caput & membra nostra copulata sunt. Membra se cuivis discrimini propter capitis salutem exponunt, caput quidem sensus & vires membris largitur, sed ictibus & vulneribus propter membra tuenda se non objcit. Christus autem Ecclesiæ suæ caput, Eph. 1. viribus suis non ad suum sed ad corporis & membrorum commodum utitur, propter membrorum suorum salutem omnibus divini furoris telis se exposuit, & laborum suorum merita magis nobis, quàm sibi distribuit.

3. Curâ & vigilantia, quia agnoscit & apertis semper intuetur nos oculis. Novit quod vas fragile simus, Psal. 103. & ignoscit erroribus nostris. Psal. 130. Annotati sumus in ipsius corde, manu & libro. Apoc. 1. Esa. 49. Psal. 139 Agnoscit omnem miseriam nostram, Exod. 3. numerat capillos, Matt. 10. gressus, Psal. 34. lachrymas nostras, Psal. 56. O quàm benignus pastor! qui non negligit thesaurum suum pretiosè redemtum, 1. Pet. 2. etiam in agone & hulceribus, Luc. 16. qui adest derelictis à patre & matre. Psal. 27. Job. 14. Nec ullo tempore ovium suarum curam remittit.

4. Cibo & sustentatione, quia dat nobis cibum naturæ, Psal. 56. Prov. 30. Matt. 6: cibum gratiæ, dum nos invitat in Sinai & Zion, Esa. 25. pascitque verbaliter & realiter, Chrysost. & cibum gloriæ. Psal. 16. v. 11. Psal. 17. v. 15. Esa. 49. Apoc. 7.

5. Collectione & congregatione, quoniam omnes aberravimus, Esa 53. 2. Pet 2. nec peccatis nostris deplorandis Jeremiæ lachrymæ sufficerent: ipse autem misertus de cœlo descendit, & in deserto hujus mundi, Luc 15. quærit oves amissas, gaudetque cum Angelis sui-

lis super pœnitentia nostra. Hinc August: Redeat ovis perdita non tamen in viribus suis, sed in humeris reportata pastoris, quæ se perdere potuit dum sponte vagaretur, se autem invenire non potuit. Nec omnino inveniretur nisi pastoris misericordia quæreretur.

6. Defensione & custodia, quia paravit ovibus suis caulam munitissimam, Mich. 2. v. 12. cujus fundamentum portæ inferorum, Matt. 16. non evertent: quia ipsemet Pastor murus est ignitus, Zach. 2. aliâs nemo salvaretur. O verè bonus pastor qui nos circumdat angelica cohorte! Psal. 34. qui nos in sinu gestat, Esa. 40. & nemo rapiet nos ex manu ejus. Joh. 10.

III. Quod etiam Gentes, licèt id Judæi tulerint ægerrimè, non sint exclusæ ab hoc sancto ovili, sed filij Japeti facti sint coheredes gratiæ, pascendi in fortitudine Jehovæ. Mich. 5. Quia apud Deum non est respectus personarum, Act. 10. licèt mysterium illud de Gentium vocatione creditu fuerit difficillimum. Jon. 1. Et hanc fuisse sententiam Christi docuit experientia. Licèt enim Matt. 15. dixerit Christus se non missum nisi ad oves perditas de domo Israel; attamen contemnentibus Judæis Christum & Evangelium ablegati sunt Apostoli in totum orbem, Matt. 28. ut prædicarent Christum pro omnibus missum & mortuum, Joh. 3. Gen. 22. qui verus lapis angularis unum fecit de duobus. Eph. 2. Quin & Paulus reprehensa Judæorum contumacia, Act. 13. v. 46. inquit: Ecce convertimur ad Gentes.

Hæc tria: 1. Quod Christus sit pastor ille promissus. 2. Quod sit Messias & Redemtor pro ovibus mortuus. 3. Quod etiam Gentes recipiat, necessariò credenda, nec separanda esse quis non videt? nisi qui se ipsum vitâ æterna indignum decernit.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut loco Christi subordinati Pastores Dei synergi, Gal. 4. Angeli & Legati, Esa. 52. 2. Cor. 5. Ministri Christi & dispensatores Dei

Dei, 1. Cor. 4. Lux mundi, Luc. 7. Sal terræ, Luc. 14. Curatores animarum, Ebr. 13. quorum officij haud leve pondus est: quoniam neglectorum auditorum sanguinem ab ijs Deus deposcet, Ezech. 33 fideliter pascant oves Christi. Joh. 21. Attendentes sibi ipsis & toti gregi, Act. 20. v. 28. non coactè nec affectantes lucrum; sed libenter & promto animo, 1. Pet. 5. v. 2. ceu decet typos fidelium, ut cum Paulo expectent coronam gloriæ. 2. Tim. 4. Bene docentes & bene viventes utraq; manu ædificent templum Domini, ne culpa redarguat ipsos. Nec impellendo cogant oves Domini, sed pedetentim procedant. Gen. 33. v. 13, 14. Nec canes sint muti, Esa. 56. sed vigiles & assiduè clamantes. Esa. 58. & 62. Nec sint mercenarij, qui soli mercedi inhiant, viso q; lupo fugam arripiunt, sed velut pueri & hæredes exemplo Jacobi, Gen. 31. & Davidis, 1. Sam. 17. se propter ovium salutem in quodvis discrimen conijciant. Imitenturq; Archipastorem Christum.

arripiunt.

Pastores exemplo Christi

1. Ponant vitam pro ovibus non quidem ut lytron, sed tempore pestis, contagij & belli non deserant oves. Nec fugiant ubi Tyranni & hostes Christi Ecclesiam infestant, si quos insurgant contra eos auditores, propter veritatem sustineant ad macellum trahi.

2. Agnoscant oves & sese ad captum auditorum accommodent, sicut mater prudens diversum cibum pro ratione ætatum; medicus diversa remedia pro discrimine morborum; præceptor diversas lectiones pro natura ingeniorum distribuit, ut sic nominatim ad studium pietatis provocentur.

3. Colligant oves ut augeatur Ecclesia, ipsiq; tandem cum ovibus colligantur ad dextram Christi.

II. Ut auditores debito honore, Ebr. 13. venerentur pastores à Deo missos, Eph. 4. ceu Christi vicarios; nec sanctum hoc officium extenuantes illos sceptice conductos servos & mercenarios, ceu vulgò solent, proclament. Servi quidem sumus, at nequaquam ad fodien-

dum & eruncandum conducti, sed à Deo ablegati ad propagandam nominis divini gloriam, & promovendam Ecclesiæ, hoc est, vestram & nostram salutem. Stipendium quoq; poscimus, quoniam haud alia ratione, quod ars longa sit & vita brevis, victum parare didicimus. Quare Apostolus Paulus, licèt ipse interdum opera manuum suarum manducarit, sex argumentis 1. Cor. 9. demonstrat, dignum esse operarium spiritualem mercede sua. Summum verè misericordis Dei beneficium est, quod in V. T. pro sustentatione sacerdotum ordinata fuerint sacrificia, Lev. 19. decimæ & oblationes. Item quod Joseph in Ægypto sacerdotum privilegia conservarit. Gen. 47. v. 22. Et quod adhuc ex spolijs Ægypti, ex reliquijs Papatus reliquum sit vnde verbi præcones victum & amictum habeant, quamvis in hisce reditibus magna sit diversitas. Quæquidem annui stipendij dissimilitudo officio nostro Ecclesiastico nil derogat, magis illos qui lautioribus funguntur conditionibus officij sui admonet, ut fugiant superbiam, agnoscant bona illa non esse hereditaria, gratias agant Deo qui de pulvere protractos pro modico juventutis quam plurimi satis leviter transegerunt, sudore ex mera gratia ad tantos honores, divitias, sylvas q; & campos possidendos evexit, nec illis abutantur, nec libros tineis consecrent, sed ignorantiam suam cotidie discant agnoscere & corrigere. Auditores verò mandatis divinis & humanis tenentur pastoribus mercedem solvere, & qui agriculturam exercent decimas erogare, quod qui fraudulenter agunt, certè non ibunt inficias se rodi à verme conscientiæ & destitui benedictione divina, juxta Prophet: Ose 2. Ag. 1. Mal. 3. Nec magistratui liberum est decimas subditis remittere, nisi quis dulce putet focum iræ divinæ super se & posteros excitare.

Quod tandem Mercenarios attinet, ne quis erret judicando, illi describuntur graphicè Ezech. 34. v. 2. 3. 4. quod paverint semetipsos neglecta ovium salute: Ezech. 13. v. 4: Quod sint vulpes in desertis. Jer. 23. v. 2: Quod disperserint oves Dei. Exech. 13. v. 18.: Quod consuerint pulvinaria pro pugillis hordei. Primò itaq; redimunt

munt lautiores vocationes, & de loco in locum migrant, parùm solliciti de ratione novissima, similes muribus, qui non nisi in horreis frumento repletis esse gaudent. Secundò fugiunt, teste Cyrillo, Solatium non ministrando, juxta August. Tacendo: quia oves non diligunt, sed lucrum. Fugisti quia tacuisti, Tacuisti quia timuisti. Luc. 10. Prætereundo vulneratum, & tempore periculoso tuta petendo, quod Aaron, Num. 16. Esaias, 2. Reg. 20. rectius expedierunt. Tertiò ipsis non est cura ovium sive damnentur, sive salventur, modò reditus suos exigant. Et justo Dei Judicio propter hominum ingratitudinem ejusmodi hypocritas passim invenias, siquidem amorem veritatis amplius non recipiunt, 2. Thess. 2. v. 10. sed canes cum lupis colludentes, & servos cum furibus ambulantes, & medicos putredinem adducentes diligunt. Orandus autem Deus est ut, datis fidelibus verbi ministris, mercenarios ignavũ pecus arceat à præsepib⁹.

III. Ut omnes & singuli, quos fecit Jehovah populum suum, & pecus pascuæ suæ, Psal. 100. v. 3. ex ovium natura agnoscamus immensum odium Satanæ instar lupi nos devorare cupientis. Adhæc miseriam & fragilitatem nostram; quia inermes, timidi & moribundi sumus, & facilimè in errorem transferimur, ut ab Ecclesia matre nostra aberremus. Psal. 119. Esa. 53. 1. Pet. 2. Inde audiamus, agnoscamus & sequamur vocem Archipastoris Christi in fide & vita, quod ille jubet expediamus humiliter, quod prohibet fugiamus salutariter, & præscriptam in Catechismo normam teneamus. Cumq; extra hunc Pastorem sit nulla salus, non patiamur nos ab ipso divelli, & in errores protrahi; sed probemus Spiritus. Eph. 4. 1. Joh. 4. Decipi in rebus caducis res levis est, litigare propter regna & opes vanum est; sed decipi in negocio salutis jactura est perpetua, August. Si non traheris, ora ut traharis. Si nondum vocatus es, ora ut voceris. Quod si fortè jam tractus es, illud Johannis in Apocal. tibi ante oculos pone Apoc. 3: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si Spiritum Sanctum accepisti, quo Dei templum & vas electum factus es, stringe illum amoris & timoris vinculis. Sint tibi

quatuor Anchoræ: 1. Peccatorum confessio. 2. Propositum non peccandi. 3. Assidua oratio. 4. Divinorum eloquiorum certitudo. Psal. 119. Postremò operam demus ut in nova vita simus oves mansuetæ, patientes, puræ, simplices & salis amantes, Psal. 117. oves bonæ: quoniam quicquid in ovibus vel minimum est utilitati hominum inservit, ut sic boni unusquisq; in suo statu feramus fructus dignos fidei, ceu docemur: Pastores, 1. Pet. 5. Auditores, Ebr. 13. Conjuges, 1. Pet. 3. Eph. 6. Pueri ibid. Servi & ancillæ, Col. 3. &c.

III.

Finis & Tripudium Fidei Triplex.

I. Quod simus oves Christi, quas ipse novit cum paterno affectu, 2. Tim. 2. & cognoscetur à nobis in novissimo die. Sicut novit eum Pater & dilexit, Matt. 3. 17. & glorificavit, Joh. 12. v. 28: ita in novissimo die nos exactissimè cognoscet. Quia annotati sumus in libro vitæ, qui est ipse Christus, & per foratæ sunt aures nostræ digito Spiritus Sancti, Deut. 15. v. 17. & signati sumus Thau viventis Dei super frontes, Ezech. 9. v. 4. Apoc. 7. v. 3. conspersiq; sangvine Agni immaculati. Exod. 12. Impijs autem quamvis ipsi & eorum scelera hic Deum latere non possunt, in die Judicij ubi de suis operibus hypocritæ gloriabuntur, Matt. 7. v. 23. respondebit: nunquam novi vos. Fieri potest in hoc orbe ut propter diuturnam absentiam etiam filij parentibus & fratres sororibus reddãtur ignoti; Sed Dominum Jesum in nubibus apparentem velut Agnus matrem suam cũ cœlesti jucunditate agnoscemus, & cũ pastore hoc manebimus in domo Domini. Atq; hæc est summa gloriæ nostræ. Quid glorietur sapiens de sua sapientia? Jer. 9. v. 23. quid jactet sese potens in potentia, & dives in divitijs. Videantur Salomon, Nebuchod. Crœsus, Dionysius, Polycrates. Quid Juvenis? Fortis? aspiciamus Simsonem, Alexandrum magnum. Nec tutum est confidere in principibus, Psal. 146. v. 4. qui revertuntur in terram & pereunt cogitationes illorum. Nec quis glorietur quod varia juventutis pericula-

cula & vitæ turbines evaserit; posset enim sicut navis, quæ immensa marium spacia emensa est, in ipso aditu portus, sic in extrema ætate pietatis ac justitiæ naufragium facere. Quod Salomoni Regi & Asæ ejus nepoti contigisse legimus, Sauliq; & Judæ. Dilmerus itaq; ultimus Vandalorum Rex Constantinopoli à Bellisario in triumpho ductus: Vanitas, inquit, vanitatum & omnia vanitas. Eccles. 1. Sed hæc vera & constans gloria est, gloriari in Domino, cui etiam David per filium regno spoliatus & exul supplices manus porrexit. Si namq; Dominus JEsus pastor noster est, nihil deerit nobis in æternum. Hinc quidam ex patribus: Dicat alius, regat me ager meus nihil mihi deerit: Dicat alius, regat me negotiatio mea & nihil mihi deerit: Dicat alius regant me amici & nihil mihi deerit. Ego autem cum Davide dicam: Dominus Pastor meus, & nihil mihi deerit in corpore & anima, in bello & in pace, in morte & vita.

II. Quod cum venerit filius Hominis in gloria sua, congregatis ante eum omnibus Gentibus, Matth. 25. & sicut pastor segregabit agnos & oves ab hædis & hircis; cum judicabit inter pecudem & pecudem, inter arietes & hircos, Ezech. 34. v. 17. v. 20. inter pecudem pingvem & macilentam, tunc nos statuet à dextris suis inter benedictos æterni Parentis. Tunc apparebit, quinam fuerint vigilantiores & digni epiliones in ovili Domini, quænam fuerint simplices, bonæ & gratæ oviculæ. Tunc gratias aget Cornelius Apostolo Petro, Act. 10. pro salutari institutione, vosq; animarum vestrarum pastoribus, quorum laboribus ad Christum deducti, ex vitæ hujus turbinibus ad optatum salutis portum perveniistis, nec hædis annumerati estis. Matt. 25. v. 32. 33.

III. Quod in vita cœlesti, in Regno Dei unus erit Pastor & ovile unum, in quo securè collocati non metuemus insultus luporum; nec unquam dispergemur; nec deerint nobis pascua & fontes vivi. Esa 49. v. 10. Apoc. 7. v. 16. Siq; gaudent homines tenuis fortunæ de salute ovium, ut ipsis inde victus & amictus suppetat; quia vos non vobis vellera fertis oves. Verè nos gaudebimus in-

Archipastore Christo, quod in ovili æterno non esuriemus, nec pellibus ovium, velut Adam in Paradiso, indigebimus; quia neq; nuditas, neq; frigus aliquam nobis pariet molestiam.

Dominica Iubilate.

DE CHRISTO MODICUM SE OCCULTANTE.

Evangelium Joh. 16. à v. 16. usq; ad v. 23.

PRÆFATIO SUPPLEX.

ZEbedæi uxor stultè petijt caduca, ut de filijs suis conciperet honorem & lætitiam temporalem, si ad dexteram & sinistram Christi elati in regno mundano florerent, nec est exaudita. Nos autem cautius orabimus dari nobis Spiritum Sanctum & semini nostro, ut hoc magistro intelligamus sermonem Christi de abitu ejus ad Patrem, & de calice crucis bibendo, ut sic per fidem detur nobis esse cum Christo, & sublatis ærumnis perfrui gaudio nunquam tollendo. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Psal. 71. v. 20. Ostendisti mihi Deus angustias multas & malas, reversus vivificasti me, & ex voraginibus terræ fecisti me ascendere. Et conversus consolatus es me. Non tantùm loquitur Regius vates de Christi passione, morte & resurrectione, sed & de sua & omnium piorum cruce & angustia; nec non de consolatione & liberatione. Cujus argumenti & hodiernum est Evangelium, in quo Christus concionatur de sua morte & resurrectione, idq; applicat ad discipulos & explicat de sorte Ecclesiæ in terris.

PERIOCHE ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

Christus

CHristus crucem & victoriam
Apostolis prænunciat,
Sed dicta non intelligunt,
Quod ipse vadat ad Patrem.
Exponit ergo de Crucis,
Quod lachrymis ipsi bibent
Planctuq; mixtum, poculo,
Pariens dolet ceu fœmina,
Infante nato jubilans,
Illiq; psallent in Deo,
Verso dolore in gaudium,
Quod nulla tollent secula.

TRIPLEX SUB ONERE CRUCIS REFOCILLATIO.

I.
Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod Dominus JEsus sit scrutator cordium, cui etiam minimæ cogitationes nostræ non sint ignotæ. Sap. 1. v. 6. Spiritus sapientiæ benignus est, neq; illum qui impiè loquitur culpa labiorum ipsius liberabit, cum Deus renum ejus testis sit, & verus cordis ejus inspector, auditorq; illorum quæ lingva illius proferuntur. v. 7. 8. Joh. 2. v. 25. & h. l. antequam interrogetur ad cogitata respondit. Non credunt hoc stulti in corde suo, Psal. 14. v. 1. ideoq; corrumpunt viam suam & faciunt opus abominabile. Syr. 23. v. 25. 26. Scortator homo secum cogitat, quis me videt? Tenebris circumseptus sum, parietibusq; occultus nec quisquam me videt. Quidnam metuam? peccata mea non curat Altissimus. Hic oculos hominum tantummodo metuit, nec intelligit oculos Domini lucè Solis infinitis partibus clariores esse, vias hominũ omnium inspicientes, atq; abditas mundi partes perlustrantes. Esa. 29. v. 15. Væ ijs qui profundi sunt*

sunt, ut à Jehova abscondant consilium, & sunt in tenebris opera eorum dicuntq́: quis videt nos? Nec intelligunt, Mat. 12. v. 36. quod quodcunq́ verbum ociosum locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die Judicij, & ex sermonibus suis condemnabuntur. Siquidem & cogitationum pœna erit luenda. Ponderandum hoc per totam vitam in verbis & factis, præsertim ubi confitemur delicta: quia Jer. 17. v. 10. Jehovah scrutatur cor, & probat renes, ut det unicuiq́ juxta viam suam, & juxta fructum operum suorum. Homo aspicit quæ sunt præ oculis, 1. Sam. 16. v. 6. sed Jehovah aspicit quæ sunt in corde, probatq́ corda & renes. Psal 7. v. 10. Utinam hoc crederent illi qui noctu scortantur, furantur, ajuntq́: Non videt Jehovah. Psal 94. v. 8. 9. 10.

II. Quod calamitas nostra sit res modica, levis & brevis: brevia autem omnia sunt tolerabilia. Gregem pusillum, Luc. 12. & populum pauperem, Zoph. 3. membra Ecclesiæ oportet subjecta esse cruci. Act. 14. v. 22. 2. Tim. 3. v. 12. Oportuit & Christum pati, Luc. 24. v. 26. & Christianos tollere jugum ejus. Matt. 11. v. 29. Sic uti præ dolore dicantur ὀδυναμένοι, Esa. 26. vix anhelitum ducentes, Esa. 37. sicut proles ad matricem ducta, ubi deest virtus pariendi. Luc. 2. Nisi enim illud vinum fundatur, Luc. 10. & sal hoc adhibeatur, Luc. 14. caro sumus rancida, putrida & malè olens. Signumq́ est irati parentis, si virgam cohibeat à malè meritis.

Nos sumus spiritualiter ægri, Deus est medicus noster. Esa. 63. Medici autem blandi nocent afflictis. Infundit ergo nobis amarum crucis calicem, quem ipse Christus pro nobis bibit, Matt. 20. Marc. 10. Luc. 22. Joh. 18. & omnes in Christo electi bibunt. Psal. 75. 60. 80. 116. Impij autem feces & phialas iræ epotant. Psal. 75. Esa. 51. Jer. 25. Apoc. 16.

In spirituali potione tres species

1. Quod se Christus pusillum seu modicum abscondat, Psal. 44. quasi exaudire & opem ferre non velit, cum sit promtissimus. Et sicut Sol hyemali tempore cum videtur longissimè à nobis abesse, nobis est proximus, & tam accedens, quàm recedens nobis est salutaris.

herbarũ amarissimarum * 2. Επιχαιρεκακία mundi & incolarum ejus, qui plerunq; feliciter agunt, nec afflictis condolent. Sed pariter concinunt Psal. 71. v. 11: Comprehendite, quia non est qui eruat.

3. Propria imbecillitas, quæ lachrymas & ejulatum extorquet; sic ut multi maledicant horæ nativitatis suæ. Job. 3. Jer. 20. Quod soli damnandi meritò facerent.

Oneramur cruce & calamitatibus propter

1. Peccatum originis. Psal. 51. 90. Jer. 30.

2 Delicta actualia, quibus crescentibus crescunt etiam pœnæ. Prov. 24. Jer. 7. Psal. 32. 62.

3. Rabiem Satanæ. Luc. 11. 12. Eph. 6. 1. Pet. 5. Apoc. 12. et hominum impiorum Malitiam.

Cum autem impiorum felicitas æterni doloris sit præambulum, crux nostra modicum est, nec in ea derelinquimur à Deo, qui, teste Augustino, tam bonus est, ut nunquam admitteret malum, nisi aliquid boni inde vellet elicere. Rom. 8 Psal. 30. v. 6. Momentum est furor Domini, vita in voluntate ejus, vesperi pernoctat fletus, & manè erit lætitia. August. Successus felix in delictis signum est æternæ damnationis. Esa. 54. v. 7: Momento parvo dereliqui te, at in miserationibus magnis congregabo te, v. 8. In momento iræ abscondi faciem meam ad momentum à te, at in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemtor tuus Jehovah. Quia non deseret in seculum Deus, nec affligit ex corde. Thren. 3. v. 31. 33. Mat. 11. v. 30: Jugum meum facile est, & onus meum leve. Rom. 8. v. 18: Minimè paria esse statuo, quæ præsenti tempore patimur futuræ gloriæ nobis revelandæ. 1. Cor. 10. v. 13: Fidelis Deus est, qui non sinit vos tentari ultra id quod potestis. 2. Cor. 4: Momentanea levitas oppressionis nostræ, v. 17. excellenter æternum pondus gloriæ conficit nobis, estq; ceu guttula ad mare, & plumula ad omne ponderosum collata. Sed spectandum est ad invisibilia aliàs Epulo hic Lazaro fuit felicior. Sed Lazari nuditas, fames & ulcera etiamsi duraverint annis 70. vel 80. Psal. 90. collata cum animæ gaudio in sinu Abrahami,

& cum cruciatibus Epulonis in Gehenna, verè modicum fuerunt. Quod ex duobus malis minimum cautè ac prudenter quis eligat, & prævia patientia oculos ad cœlum tollat.

III. Quod gravidus venter sit benedictio Domini. Psal. 128. 1. Tim. 2. v. 15: Mulier servatur liberos gignendo, si manserit in fide & charitate, & sanctificatione cum modestia. Nec immemor est Christus parturientium, cum illarum exemplum omnibus Christianis solatij loco proponat, illisq; infundat amorem erga sobolem, ut pariendo, educando, lactando, lavando, ad lusum & soporem invitando, quid vis sustineant, imò si sobolem materno sanguine ali oporteret pro lacte sanguinem præberent.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut colloquamur invicem rogandoq; & respondendo discamus sapientiam de abitu Christi ad Patrem, de cruce & morte nostra, earumq; causis & fructu, ut bene præparati obtineamus victoriam.

Causæ cur pij à Deo flagellẽtur, 9.

1. Ut occidatur corpus propter reliquias peccati, Rõ. 8 quia ante oculos Domini, nil nisi culpa sumus. Esa. 64. Quod dolet docet. Psal. 78. 119.

2. Ut agnoscamus delicta & agamus pœnitentiam. Cypr. lib. 4. Epist. 4: Dominus Corripit nos ut emendet, emendat ut servet, nec ulla re magis delectatur, quàm miseri peccatoris emendatione & salute, Nazianz. Ideoq; facit op⁹ alienum. Esa. 28. Vide Manassen, Davidem, Prodigum, Luc. 15.

3. Ut porrò abstineamus à peccatis: quia luxuriant animi rebus plerumq; secundis, nec facile est æqua commoda mente pati. Unica autem calamitas magis movet & docet, quàm centum conciones.

4. Ut sic testetur se nos paternè diligere. Prov 3:

5. Ut reddamur similes imagini filij Dei, Rom. 8. agnoscamusq; nos esse electos.

6. Ne superbiamus, quia melius est tentari, quàm inflari. Esa. 26.

7. Ut valedicamus mundo, Syr. 41. & appetamus cœlestia.

8. Ut discamus orare, quia ubi tentatio, ibi oratio.

9. Ut agnoscamus mirabile Dei consilium, Psal. 4. quia etiam peccata & lapsus pijs in bonum cedunt, ut cautiores & fortiores resurgant.

II. Ut crucis onus nobis impositum patienter feramus, & calicem salutarem bibentes, Psal. 116. fateamur bonum esse quod humiliati simus Psal. 119; nec murmuremus contra Deum, Thren. 3. quasi nobis peregrinum quid, 1. Pet. 4. vel indignum contingat. Neq; in frivolas erumpamus blasphemias, quod arte magica hoc vel illud factum sit: sed agnoscamus delicta & justum Dei Judicium. Nec paucis amissis reliqua Diabolo offeramus. Quid ô mortales attulimus in mundum? 1. Cor. 4. 1. Tim. 6. quid nobiscum auferemus? aut nunquid Satanæ implorabimus auxlium? Paternè nos Deus castigat, nec patimur soli, 1. Pet. 5. sed afflictiones communes sunt fratribus nostris. Si pueri degenerant, aspiciamus in hoc casu protoplastos, quorum duo filij uno die ceciderunt; alter quidem in mortem primã, alter verò in desperationis abyssum propter cruentam cædem. Jacobo fuit Dina & Ruben. Davidi, Ammon, Thamar, Absalon Nobæ, Cham, &c. Si pueri ægrotant vel moriuntur exempla in promtu sunt: 1. Sam. 12. Matt. 9. Luc. 7. Joh. 4. Si bona corporis & bona fortunæ decrescunt, oculos convertamus in historiam Jobi & Tobiæ. Si persecutio subeunda est, Paul. Act. 20. inquit: Carcer & tribulatio expectant me. Si mala retribuuntur pro bonis, erigamus nos exemplo Christi, qui fratrem & cohæredem agnoscit neminem, nisi eum qui crucis jugum bajulavit. Nec servi meliores sumus Domino nostro, Joh. 15. nec tentamur sine permissione divina. Mat 10.

Imò Christus nobiscum patitur, Matt. 25. Act. 9. & pro nobis passus est, relicto nobis exemplo, 1. Pet 2. & pro nobis apud Patrem æternum intercedit.

III. Ut condoleamus cruce pressis, nec trahat nos Diabolica, quæ ubiq; regnat, Παιχαιρεκακία; siquidem ipse Christus duris in cruce sarcasmis petitus est: Jobus & Tobias ab uxoribus contumelia affecti sunt: Saulitæ Davidi insultarunt. Psal. 3. 42. 137. Micheas adhæc cap. 7. v. 5. 6. prædixit, quod filius vituperabit patrem, filia insurget in matrem suam, & nurus in socrum, & inimici viri domestici ejus. Christus ipse Matt. 10. v. 35. idem repetivit. Nos autem si quis malè habet rapiamur commiseratione, fraterna charitate alij ad alios amandos propensi, & necessitatibus sanctorum communicantes, Rom. 12. v. 10. 13. Flentes cũ flentibus & inimicis quoq; nostris benefacientes. v. 15. 20. Ceu Apostolus de sua scribit Παιχαια 2. Cor. 11. v. 29: Quis affligitur quin ego affligar?

III.
Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod licèt Christus hic invisibilis se modicùm abscondat, per beatum tamen obitum anima nostra, & per felicem resurrectionem oculi hi nostri eum videbunt. Job. 19. Videre Christum est gaudere. Cyprian. Et tunc ubi voluerimus erimus, sed à Domino non recedemus. August. Veniemus á per Christum ad Patrem, & simul videbimus modicum præmissos parentes, sobolem & consangvineos nostros: nec dolor amplius parturientes invadet, quia numerus Electorum impletus erit.

II. Quod in vita æterna non interrogabimus amplius de ulla re, sed angelica & cælesti sapientia imbuti omnia cognoscemus in perpetua jucunditate. Non interrogabimus de causa abitus Christi; quia fructus ejus in nobis plenissimè apparebit. Nec dicemus: quis scire poterit futura contingentia, quo nam in statu post annum futuri simus, & quisnam prior morti sit objiciendus? Hæc mortales curant,

curant, sed in vita immortali status erit beatorum felicissimus & immutabilis. Hic de Deo loquimur non quantùm debemus, sed quantùm possumus, & singula ex Bibliorũ fonte haurimus, sed in cœlesti vita omnes erimus Θεοδίδακτοι, atq; contemplando Deum tres fidei nostræ articulos rectè intelligemus. Hic nobis scriptura pelagus est, teste Gregor. in quo natet Elephas, agnus autem ut in vado ambulet. Cælius Calcagninus sexaginta annorum studio didicit suam ignorantiam non ignorare, ipsi Apostoli non intelligunt doctrinã de morte & Resurrectione Christi. Matt. 16. confitetur Petrus Christum esse filium viventis Dei: Sed Matt. 20. errat de officio Christi, ad quod missus erat. Hic de utilitate crucis multi cum uxore Jobi stultè judicant, & non pauci resurrectionem in dubium rapiunt. Multaq; quæ sub cælo feruntur non percipimus. In vita futura simplex homo Christianus doctior erit Platone & Aristotele, melius cognoscet sydera quàm Ptolemæus, sapientior Galeno & Euclide, eloquentior Pericle & Demostene, & legum scientiâ superans Bartholum & Baldum: quia didicit in terris, quorum scientia perseverat in cœlis. Hieron. Atq; sicut Act. 5. admirati sunt Pharisæi de sapientia & eloquentia Apostolorum: sic admirabuntur Electi & gaudebunt super sapientia sua profundissima. Bernardus: Nunquid cœlestis habitatio animas, quas admittit indurat? aut memoriâ privat? aut spoliat pietate? Fratres latitudo cœli dilatat corda non arctat. Exhilarat mentes non alienat. Affectiones non contrahit sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria non obscuratur, in lumine Dei discitur quod nescitur, non quod scitur dediscitur. Augustinus de misericordia, lib. 1. cap. 1: Ex parte cognoscimus quamdiu in hoc sumus seculo; sed si ad illam lucem Patris luminum veniemus, nihil in creaturis erit quod nesciamus.

III. Quod mœror & luctus noster non tantùm tolletur, sed mutabitur in merum gaudium: quia erit comica Catastrophe, nec gaudium illud tolletur à nobis. Ibi, teste Cypr. l b. 4. cap. 6. majora accipiemus, quàm hîc aut operamur, aut patimur. Hanc vitam

oportet rerum varietate refferſam eſſe, ſicut temporum veris & hyemis, dierum & noctium, caloris & frigoris viciſſitudo neceſſaria eſt ad rerum fœcunditatem. Gaudium mundanum velut & ipſa hominis vita breviſſima eſt, & ceu fumus dilatatus evaneſcit, Jac. 4; Ceu ſomnium & viſio nocturna tranſit. Job. 20. Gaudentes paſſim eluduntur, ut finis nondum expleti gaudij ſit novi mœroris initium. Syr. 18. Et hæc omnia citata in oculis Domini. Manè domus & familia pacata eſt, veſperi novo tumultu & clamoribus ardet. Filius amplis ſumtibus ad doctrinam & honorem evectus moritur. Elocatur filia, moritur ex partu, abit dos, & ſic gaudium mœror abſorbet. Sed lætitiæ æternæ longè alia ratio eſt: quia ibi, teſte Bernardo, Summum eſt bonum, Summa felicitas, Summa jucunditas, Vera libertas, Perfecta charitas, Æterna ſecuritas & Secura æternitas.

Eſt ibi pax, pietas, bonitas, lux, gaudia, virtus,
Gloria, cantus, honor, dulcedo, vita perennis.

Si unquam gaviſa eſt mater ex partu eluctata, ubi vidit infantem bene formatum; nec certa eſt, vel ad horam de ſua, nec de fœtus ſui vita: Certè gaudebunt parentes in die Reſurrectionis & Judicij, ubi conſpicient ſobolem ſuam in gloria liberrimam à morte & omni malo. Hinc ergo pij homines non tantùm in cruce, ſed etiam in media morte gaudent. Sicut uxor caſta & pudica viro abſente & peregrè profecto, tota in redeuntis viri deſiderio ſuſpenſa, nullum diem feliciorem putat, quàm quo maritum redeuntem jucundè excipit. Cum è contra adultera, violata fide conjugij, audiens de reditu viri ſummo angatur metu, fugas & latebras in animo verſet. Et ſicut ſervus fidelis, cum ſervus nequam ad rationes vocatus trepidet, fretus conſcientiæ teſtimonio lubens adeſt: Sic pij avidè præſtolantur Domini adventum, impij verò ad ſolum ejus nomen expaveſcunt. Examinet ergo unusquisq; ſemetipſum & loquatur cum anima ſua, num ita paratus Dominum expectet, ut triumphum fidei conſequatur, & de luctu ad gloriam tranſeat. Experimur

hoc

hoc anni tempore varias in aëre mutationes, pluviam & grandinem, ventos & tonitru, calidam & frigidam temperiem per vices & mixtè decurrentem: expectamus autem brevi æstatem calidam & frigoris nesciam. Eadem ratio est vitæ christianæ, dum portamus scelerum pœnam, nec tamen à Deo deserimur, sed dabitur nobis perpetuum ver, & æstas nunquam præteritura. Apoc. 7. v. 16. Et pro cantu philomelæ angelicis hymnis recreabimur.

Dominica Cantate.

DE TRANSITU FILII DEI AD PATREM.

Evangelium Joh. 16. à v. 5. usq; ad v. 14.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm dona omnia perfecta dentur desuper à Patre lucis, Jac. 1. nos qui docendi & discendi causa hodie convenimus pro impetranda Spiritus Sancti gratia Deum invocabimus, ut concedat ipse nobis virilem animum arguendi mundum; vobis autem corda humilia & correptionem diligentia. Ut sic agnoscamus nos peccatores, auxilium quæramus apud Jesum Christum, gratias agamus Deo quod judicatus sit Princeps hujus mundi, & verbum Dei sit nobis potentia ad salutem. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Mich. 2. v. 13. Ascendet effractor, seu perruptor, ante eos, frangent & transibunt portam, & egredientur per eam, transibitq; Rex eorum ante eos. Quod Christus præcesserit, suaq; passione & morte & resurrectione præparaverit nobis aditum in regnum cœlorum, ipse docuit in hoc tectu, monstrando nobis viam, donandoq; ducem

viæ

viæ & præmonendo, ut fugiamus illa quæ profectionem spiritualem faciunt minus tutam.

PERIOCHE ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

CHristo parante transitum,
Apostolos torquet dolor,
Sed expedit, credentibus
Ut conferatur Spiritus,
Qui sanctus orbis incolas
Delicta propter arguet,
Quod absit in Christum fides,
Salusq; cum victoria.
Repetetq; Christi dogmata,
In veritatis tramitem
Ducet, futura prædicans
Docebit hoc quod audiet.

TRIPLEX LUCRUM SANCTUM EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Jesus Christus suo descensu & ascensu sit unica sola & verissima via in vitam æternam, Joh. 3. Joh. 14. v. 6. cujus merito, quòd totum nostrum est, Esa. 9. & 53. per fidem justificamur. In principio ad perfruendum vitâ æterna conditi eramus, sed per peccatum Diabolus viam salutis obturavit, nec quis unquam cælo potitus esset, nisi filius Dei illius portam aperuisset. Quod ut effectum daret tres saltus, ut veteres loquuntur, absolvit mirabiles, scilicet: 1. De cælo in virginis uterum, ut carne carnem liberans non perderet quos condidit. 2. Ad infernum, ut vinculis tenebrarum astringeret Satanam. 3. In cælos, ut sederet ad dexteram æterni Patris

tris. Sic per hunc Regẽ datur nobis liber ingressus & scala in cœlos. Gen. 28. Estq; hæc vetusta salutis via in Paradiso monstrata, Gen. 3. Act. 15. v. 11; nec quis alio modo salutem obtinuit aut salvabitur unquam. Christus duplici jure cœlum possidet, Bernhard. Primò quidem ab æterno genitus Patris æterni filius hæres omnium. Secundò autem per meritũ sangvinis, quo credentes facit cohæredes. Rom. 8. Et sicut Baptista docuit, ut qui duas habet tunicas, alteram illi distribuat cui nulla est: Sic Christus dat nobis sanguine suo acquisitam tunicam Justitiæ, ut sit nobis tunica salutis, pallium Justitiæ & ornamentum sacerdotale, nuptiale. Esa. 61. v. 10. Matth. 22. Vel si instituatur certamen pro obtinenda nobilitate, & Regis filius ortu nobilissimus, certando palmam reportet, nobilitatemq; qua ipse non indiget alteri conferat: Sic Nobilis noster Dominus Jesus, Lucæ 19. profectus in regionem longinquam, v. 12. ut acciperet regnum, sibi laborem nobis autem laboris præmium destinavit.

II. Quod princeps hujus mundi Satan judicatus sit, & catenis caliginis in carcerem detrusus, 2. Pet. 2. v. 4. servetur ad diem Judicij, quo cum impijs Matt. 12. Joh. 5. Rom. 14. 2. Cor. 5. & Angelis suis, Matt. 25. v. 41. abibit in ignem æternum. Cum itaq; per victoriam Christi contritum sit caput serpentis, ipse velut apicula jam amisso aculeo, Psal. 118. v. 12. & serpens detracto veneno, nulli Christianorum timendus est, nec unquam consulẽdus: Quoniam victus & spoliatus est. Psal. 68. v. 19. Psal. 110. v. 1. Luc. 11. Col. 2. v. 15. Rom. 16. Apoc. 12. Vivit Christus & nos vivemus, Joh. 14. & nulla est condemnatio ijs qui sunt in Christo JEsu, Rom. 8. v. 1. & secundum Spiritum ambulant.

III. Quod illa quæ JEsus docendo revelavit, & Spiritus Sanctus in Pentecoste effusus repetẽdo atq; declarando manifestavit, ducendoq; in omnem veritatem declaravit, sufficiant ad promovendam salutem nostram; nec indigeamus temeraria Conciliorum additione. Hinc Act. 20. v. 20. inquit Paulus: Nõ subterfugi quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei, v. 27. 2. Tim. 3. testatur v. 15.

quod etiam scriptura V.T. possit ipsum peritum reddere, quod ad salutem attinet per fidem, quæ est in Christo Jesu. 2. Cor. 4. v. 3: Si occultum est Evangelium nostrum, ijs obtectum est, quorum mentes Deus hujus seculi ut pereant excæcavit. Et de unico suo libro scribit Joh. cap. 20. quod quæcunq; in illo annotata sunt, illum in finem scripta sint, ut per fidem in Jesum Christum habeamus vitam æternam. Ergo in Verbo Dei omnia, quæ nobis ad veram Dei & voluntatis divinæ agnitionem, adeoq; ad salutis æternæ consecutionem & ad cultus Deo placentes necessaria sunt, sufficienter contineri nemo Christianus dubitet: quia in hac unica, certa, perfecta & perspicua fidei norma quæcunq; ad salutem scitu necessaria sunt in utroq; præsertim in novo Testamento dilucidè nobis ob oculos posita sunt. Sic ut quicunq; Verbum Dei αὐτόπιστον in rebus ad generis humani salutem pertinentibus imperfectionis, obscuritatis aut ambiguitatis arguere præsumserit, pro impio habendus sit.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut sedulò & seriò scrutemur, inquiramus & ponderemus causas atq; effectus mortis Christi & victoriæ eius: quia quicquid Christus egit atq; sustinuit, expedit nobis. Esa. 9. Luc. 2. Et utilitas abit9 Christi nostra est, siquidem non venit, Mat. 20. v. 28. ut sibi ministraretur, sed ut ministraret & daret animam suam redemtionis pretium pro multis. Pro nobis Christus conceptus, natus, proditus, ligatus, passus, mortuus est, resurrexitq;, Rom. 4. & ascendit. Nobis confert quod abijt Christus: Privativè, quia abstulit peccatum, 1. Joh. 1. destruxit Regnum Satanæ & mortis, Col. 2. Ebr. 2. abolevit iram Dei & maledictionem legis, Gal. 1. devoravit mortem, liberavit nos à pœnis inferni, & removit omnia obstacula orationis nostræ. Positivè, quia restituit justitiam & imaginem Dei, Rom. 5. reparavit vitam æternam, Joh. 5. 11. reconciliavit nos cum Deo, dedit nobis Spiritum consolatorem, nosq; defendit & pro nobis intercedit. 1. Joh. 2.

Sic &

Sic & crux nostra & obitus noster, si piè effectus meditemur, nobis non obsunt sed prosunt. Quod autem utilitatem non consideremus crucis nostræ in causa est Diabolus, qui improborum oculis voluptates mundanas obijcit, quarum amarissimos fructus subtiliter absco-dit, ut velut à fraudulentis oratoribus decepti homines mala pro bonis, & amara pro dulcibus amplectantur. Sicut filij Israël, Num. 11. ideo tenebantur desiderio Ægypti, quod ibi carnes & allia comedissent. Nec ijs in mentem veniebat odium Ægyptiorum, & opera luti ac lateris, & colligendæ per totam regionem paleæ, & indignæ præfectorum verbera, & crudele Pharaonis imperium, jugum & fornax ferrea, masculaq; prolis ab uberibus maternis avulsæ submersio. Nec respiciebant ad terram promissam. Re itaq; rectiùs ponderata dicemus: Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me. Psal. 119. Mors mihi lucrum. Phil. 1.

II. *Ut vita nostra sit assiduum,* Nunc vado. *Domine* Nunc *dimittis. Luc. 2. Dissolvi cupio. Phil. 1. Quia nescit homo tempus suum. Eccl. 9. v. 12. Exules peregrini & viatores sumus in hoc orbe lubrico, Gen. 47. Psal. 39. 1. Pet. 2. quibus hinc transeundum est.*

Mobilis hora fugit, properam vigil excipe mortem,
Nec mundo te nimis involve, &c.

Sursum spectandum est terrenis omnibus relictis, ne in via salutis vultum vertamus, Gen. 19. v. 26. Matt. 19. v. 22. imitati servum improbum, Luc. 17. & virgines stultas. Matt. 25. Sed revocante nos Domino, Psal. 90. v. 3. cum Paulo dicamus, Act. 21. v. 13: Paratus sum. Ne similes deprehendamur pueris, qui aliquid emendi, vel alicujus negocij conficiendi caussa in forum, vel in agrum à parentibus ut repentè revertantur ablegati, rerum novarum aspectu & lusu puerili sibi moram obijci patiuntur; sic ut negocij commissi & mandati paterni, suiq; commodi obliviscantur. Tria adverbia temporis: Olim, Nunc *& Tunc omnibus Christianis cotidie ruminanda, in sacro Codice præscripta sunt. Ut consideret homo: 1. Quis olim fuerit in peccatis scilicet conceptus, Psal. 51. & filius iræ. Eph. 2.*

II. Quid nunc singulis momentis expectandum, scilicet impetus Satanæ, Mortis violentia & Christi adventus. III. Quod tunc, Joh. 5. v. 29. prodibimus aut in resurrectionem vitæ, quod omnes speramus, aut, quod Deus avertat, in resurrectionem condemnationis.

III. Ut libenter admittamus correptionem & gaudeamus reprehendi, Psal. 141. Prov. 10. v. 8. probemusq; cum Theodosio Imperatore magis arguentem, quàm adulantem. Ambros. Idem ad Theodos. Epist. 29. Nihil in Sacerdote tã periculosum apud Deũ, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non liberè pronunciare. Odit quidem mundus correptionem, Psal. 50. & reluctati sunt homines Deo, Gen. 6. Act. 7. nec Judæi admiserunt reprehensionem Christi. Persecuti sunt veritatis præcones Prophetas & Patriarchas, Nohã, Lothũ, Mosen, Eliam; nec pepercerunt Baptistæ, Stephano, Apostolis; nec sors nostra melior erit, dum accommodato damus Spiritui Sancto manus & lingvam. Nazianz. Sed ab q. salutis æternæ dispendio, si quoq; contra Demadis consilium dum cælo fieri injuriam prohibemus, terra amittenda sit, omitti non potest, quin Mich. 3. v. 8 repleti robore spiritus Jehovæ & judicio, & fortitudine annunciemus hominibus prævaricationem & peccatum suum. Quia pro Christo legatione fungimur, 2. Cor. 5 suademusq; vobis, sicut Asa Rex Judæ, 3. Reg. 15. Regi Syriæ contra Baasam bellũ gessurus, ut rupto fœdere novo, q cum carne, cum mundo & mũdi hujus Principe stultè admodum pepigistis, unde mortis & judicij planè vivitis immemores, ad fœdus cum Deo in Baptismo initum returritis. Vana est vox improborum Esa 28. v. 15: Percussimus fœdus cum morte, & cum sepulchro pactum fecimus. Hoc munus nostrum & legationis nostræ cura est, nocte dieq; etiam ubi soli sumus, & vos nihil minus quàm Regnum Dei quæritis, tractanda. Et hoc officium Spiritus Sancti maximè necessarium est, cum homines passim inveniat reprobos, securos, insulsos nec consolationem admittentes, quo ad operationẽ propriã Esa. 28. v. 21. perveniat, ut malleum Moses in Sinai præmittat, & contritis deinde præcordijs solatium in Sinai propinet.

Sicut

Sicut ruinosæ domus destructio novæ extructionem, & penetrans purgatio potionem salubrem, & runcina atq; aratrum seminis sparsionem præcedunt. Quis medicum cum pharmacis ducat in domum sanorum & saltantium? Quid chirurgus ubi nemo sauciatus? Qui inter urticas, sentes, lappas & carduos seminat stultè operatur. Inutiles medici illi sunt, qui falsis pollicitationibus ægros decipiunt, nec radicem morbi evellunt. Et pessimi monstratores viarum habentur, qui aberrantes, præcipitio vicinos, vel improvidè in latrones incurrentes studiosè non retrahunt, vel magis ipsi interficiunt Bonus itaq; Deus nos arguendo in viam revocat, innatum malum ostendit & zizania eruncat. Cui si auditores sese frivolè opponunt, ipse ferreo utitur sceptro, Psal. 2. & damnatio eorum justa est. Rom. 2. Cautiores itaq; exemplis: Primi mundi, Sodomorum & Hierosolymitarum, Pharaonis, Achabi & Herodis, aliorumq; qui repudiata reprehensione malè perierunt, diligant corripientes, & honestè excusatos magnifaciant animarum pastores, quod suo officio, Ezech. 33. v. 8. piè fungantur. 2. Tim. 3. Aliâs in peccatis mortui acerbioribus supplicijs apud inferos punientur, Matt. 11. v. 24. quàm Sodomæ & Gomorrhæ inhabitatores. Et cum perditis errorem suum deplorantes illud Prophetæ repetent: Transijt Messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus. O nos miseros & infelices, qui tantam salutis occasionem ultro oblatam & nunquam redituram amisimus. Cum è contra illi, qui correptionem animo grato susceperunt, copiosa fruentur consolatione & benedictione: Sub onere peccati, quod Deus propitius illud remittat. In ærumnis, quod adsit ille qui & capillos numeravit. Psal. 91. Matt. 10. In mortis luctu, quod emigrent animæ in manum Dei. Sap. 3.

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod Spiritus Sanctus cũ Filio Dei & à Filio Dei, nostræ salutis causa missus sit nobis idonyo, & dux vitæ in vitam æternã sapientissimus

simus & optatissimus, à quo, cum aliâs sedeamus in umbra mortis, Luc. 1. nec videamus pacis semitam, Esa. 59. ducimur velut cæcus à vidente, ceu filius nondum proprijs viribus rectâ incedens ducitur manu parentis, sequiturq; non passibus æquis, & ceu aberrans reducitur. Si summa admiratione & perpetua commemoratione dignum est, quod Exod. 13. v. 21. Jehovah præcesserit populum Israëliticum interdiu in columna nubis, ut deduceret eos per viam, noctu verò in columna ignis, ut ambularent diu ac noctu. Nec ablata est illa columna ante populum, sed profectus est Angelus Domini ductor ante eos Exod. 14. v. 19. per mare Rubrum; cujus ad minimum latitudo, quamvis exactè sciri non possit, eo in loco ubi factus est transitus quindecim miliarium fuisse passim traditur, atq; inde varijs ambagibus pro arbitrio Dei per desertum profecti sunt & castrametati in campestribus Moab citra Jarden, Jereho. Num. 22. v. 1. Quod iter fuisse creditur 190. miliarium. Si pro insigni miraculo habendum est, quod Angelus Domini in forma rutilantis stellæ dux itineris adjunctus sit Magis, quo viam monstrante iter 23½ miliarium feliciter absolverunt, puerog; JEsu in Bethlehem invento, Persica dona aurum, thus & myrrham obtulerunt. Si tanquam evidens misericordiæ divinæ argumentum annotatum est, quod Angelus Raphaël jussu Dei Tobiam juniorem duxerit ab urbe Niniviterarum, ad urbem Rages in Media sitam, atq; reduxerit incolumem per 376. miliaria. Quis non agnoscit hoc esse longè maximum, quod Spiritus Sanctus, quem comitem sibi Rex David unicè optat, Psal. 51. v. 14. Psal. 143. v. 8. v. 10. nos ducat in salutis semitam? Sic non solùm secunda sed etiam tertia Trinitatis persona salutis nostræ causa mittitur, illa ut damnandos redimat, Spiritus autem ut declaret quid Pater donaverit, & Filius acquisiverit, & sic utraq; divini amoris mamma nobis porrigitur. Nec ducimur ex carcere mundano in Palæstinam bello & armis occupandam, sed in Regnum Dei. Nec invento Christo per aliam viam in deplorandâ hujus vitæ patriam revertimur, sed perpetuò erimus coram Deo.

Adhæc

Adhæc longè majus est ex hac miseriarum valle in civitatem Dei, quàm ex Assyria in Mediam duci. Majus est à Dracone Stygio, quàm à pisce liberari. Præstantius est animæ oculos, quàm corporis aperiri, & nobilius est animarum cum Deo connubium, quàm Tobiæ cum Sara. Nec tantùm Angelus, sed Angelorum Dominus Spiritus Sanctus dux & author nobis est. Psal. 32.

II. *Quod obitus noster nihil aliud sit, quàm felix abitus ad Deum Patrem, coram quo mansiones nostræ à Christo paratæ sunt. Joh. 14. Nec mors nostra interitus est, neq; sicut Diogenes ab Adriano interrogatus respondit, incerta peregrinatio, somnus æternus & pavor divitum. Unde Imperator Adrianus discessuram animam ægrè allocutus est:*

Animula vagula blandula,
Hospes comesq; corporis,
Quænam abibis in loca,
Pallida rigida nudula,
Nec ut soles dabis jocos.

Sed mors piorum profectio est jucunda & certa. Nec dormiunt animæ quin & corpora reviviscent. Et gaudent obeuntes illi, qui sunt divites in Deo. Mors est finis laborum, inquit Bernard. victoriæ consummatio, aditusq; & janua ad vitam æternam. August. Mors piorum est profectio ad civitatem Dei, in qua inscripti sumus & cives decreti, ad quam nobis fiducia latum præbet ingressum. Nazianz. Mors natalis est vitæ æternæ. Cyprian. Profectio est quam putas mortem. Transitus est ad Patrem, deportatio in manum Dei, Sap. 3. in sinum Abrahæ, Luc. 16. in Paradisum. Luc. 23. Et funus fanus est, Phil. 1. & mors reparatio vitæ. Plutarchus author est, quod Alexander Gentium quondam terror decem Gymnosophistas, hoc est, Philosophos Indos captivos habuerit, quorum sapientiam ut exploraret rogavit unum ex his: Utrum plures essent vivi an mortui? Respondit plures esse vivos: quia, inquit, nulli mortui sunt. Statuebat nimirum animæ immortalitatem. Nazian.

zianzen. de matre 2. Mac. 7. scribit, quod cum vidisset septem filios suos crudeliter trucidatos, Deo intimè gratias egerit, & inter alia dixerit: Thesaurum meum Deo tradidi, nec extincti, sed Deo oblati estis. Non periistis sed alhô migrastis. Veteres ex sacris Bibliis trium curruũ meminerunt: 1. Est currus Pharaonis, quo Tyranni crudeles & impij quiq; vehuntur, tandemq; cum equis in mari Rubro pereunt, Exod. 14. v. 28. Exod. 15. v. 1: quia mors impiorum pessima, quorum natura mala & vita pejor, Psal. 34. & in Gehenna à morte arrodentur. Psal. 94. 2. est currus Ezechielis cap. 1. cujus rotæ sunt quatuor Evangelistæ, equi Angeli, auriga Spiritus Sancti. Hoc Evangelij curru Christus vehitur, secq; sequentes & manu fidei apprehendentes introducit in amissam cœli patriam. 3. Est Currus Eliæ quo flammis circumdatus in cœlum evectus est. Idem præparatus omnibus Christianis Christo animam decedentem commendantibus, qui propera fide instructi in media morte dicunt: Vadimus ad Patrem, vadimus ad te Domine Jesu, suscipe spiritum nostrum. Nec de piè præmissis blasphemè dicendum est, Niceph. lib. 11. cap. 43. quod mortui sint, sed quod emigrarint, & in Deo vivant. Dicendumq; cum Prophetis, quod collecti sint ad patres suos: Cum Davide, 1. Sam. 12. quod præmissi sint, & nos veniemus ad ipsos: Cum Christo, Matt. 9. Joh. 11. quod dormiant. Act. 7. 1. Thess. 4. Si Socrates Critoni suadenti, ut si vitam ipse suam negligeret, certè liberis, parvulis & amicis ab ipso pendentibus se servaret incolumem, liberi, respondit, Deo qui mihi eos dedit curæ erunt, amicos hinc discedens inveniam vobis aut similes, aut etiam meliores, nec vestra consuetudine diu carebo: quandoquidem vos brevi eodem estis commigraturi. Quantò magis ex vera fide hoc pronunciabit templum Spiritus Sancti, homo credens in JEsum Christum?

III. Quod in vita æterna dulcissima sint colloquia inter personas Trinitatis Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, qui etiam Christi Spiritus est: siquidem omnia quæ pater habet ipsius sunt, & si quis audiet certò quis loquetur. Sic inter Deum & Angelos

gelos, quia mittuntur à Deo mandatis divinis instructi. Psal. 91. Dan. 9. Luc. 1. Ebr. 1. Nec non inter Angelos & Electos jucundissima erunt colloquia, dicentq; & audient de egressu Christi, Matt. 17. & admirando opere redemtionis; cujus enarratione nunquam satiabuntur, sed juges Deo cantabunt gratias. Ibi non erit mel in ore fel in corde, Jer. 9. nec candida de nigris & de candentibus atra quis proferet; sed in charitate & concordia colloquemur candidâ & syncera. Fortè narrabunt Adam, Noha & reliqui sancti viri quid ipsis in hoc mundo contigerit. Angeli quot ignitos Satanæ globos à nobis averterint, & victoriam unam post alteram obtinuerint. Enarrabit Angelus, Dan. 10. v. 13. quanta vi ipsi 21. diebus in Babylone restiterit Satan. Et nos cum Augustino dicemus: Sæpius perüssem Domine Deus, nisi me gubernasses. Affuit enim Tentator, non defuit locus, non defuit tempus, sed ut non consentirem tu me tenuisti. Tunc quæcunq; habebit Dominus Jesus ut dicat nobis omnia poterimus portare, nec ipse unquam abibit à nobis.

Dominica Vocem Iucunditatis.

DE INVOCATIONE.

Evangelium Joh. 16. à v. 23. usq; ad v. 31.

PRÆFATIO SUPPLEX.

QUandoquidem donati sumus libera potestate, sanctoq; privilegio & licentiâ rogandi, & certa promissione, quod quæcunq; rogaverimus in nomine JEsu impetrabimus, supplicationem nostram Deo humiliter offeremus, orabimusq; donari nobis à Deo Patre Spiritum Sanctum, ut hoc magistro idonei simus docere & discere artem bene orandi, ad impetrandum gaudium perfectum. Ne sit Verbum Dei obscurum nobis proverbium. Utemur autem præscripta nobis à Christo oratione: Pat. noster. &c.

Exordium Propheticum.

Exod. 25. v. 17. 22. Levit. 16. v. 2. Num. 7. v. 89. in propitiatorio & throno gratiæ in Chaphoreth seu aureo operculo depingitur Christus JEsus, qui inter Cherubin super arcam testimonij, hoc est, inter Vetus & Novum Testamentum apparuit, & inter orandum aspiciendus nobis est: quia servare perfectè potest, Ebr. 7. v. 25. eos qui per ipsum accedunt ad Deum. Semper vivens adhoc ut interpellet pro nobis, & in nomine ejus, sicut ipsemet in hodierno docet Evangelio, exaudimur.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

A Men Patrem quicquid dare
JEsu Rogas in nomine,
Est testis ipse Filius
Dabit, repulsam nec feres.
Orabis ergo ut gaudio
Fruare perfectissimo,
Quoniam pater nos diligit,
Christo dicatos per fidem.
A patre Christus exijt,
Mortalibusq; apparuit,
Mundo relicto cœlicam
Reversus est ad gloriam.

TRIA ELUCTANDI EX OMNI MALO REMEDIA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod in talis habeamus Patrem amantissimum & Philanthropon, ad quem nos Christus cum puerili fiducia, & Paulus cum Spiritu adoptionis accedere jubet, ut dicamus: Pater noster, Mat. 6. v. 9. Abba*

v. 9. Abba Pater. Rom. 8. v. 15. Qui pater Christi est, Psal. 2. Mat. 3. 17. Joh. 15. & pater noster propter Christum. Joh. 1. Gal. 4. August. Multos filios Dei fecit unicus Filius Dei, emit sibi fratres suo sanguine, probavit reprobatus, redemit venditus, vivificavit occisus. Quodq. Pater ille noster cœlestis nos diligat, Joh. 3. 16. neq; filijs suis det lapidem aut serpentem pro pane vel piscibus, Matt. 7. v 9 10. sed gaudeat ubi de improbitate nostra in viam redimus, Luc. 15. v. 22. 23: quia miseretur timentium ipsum sicut pater filiorum, Psal. 103. v. 13. Pater & Fictor noster cum nos lutum simus. Esa. 64. v. 8. Pater noster à seculo, Esa. 63. v. 16. qui nos colligit etiam à patre & matre derelictos, Psal. 27. v. 10. ne simus orphani. Joh. 14. v. 18. Nec misericordia ejus recedet à nobis, nec fœdus pacis ejus nutabit, Esa. 54. v. 10. nec quis ab hoc amore divino paterno nos segregabit. Rõ. 8. Huic corpus & animam patri, & emigrantes ex hoc seculo sobolem tutò committere possumus: quia pater est immortalis & ditissimus, & promissionum suarum memor. Promtior est ad dandum, quàm nos ad orandum & accipiendum. Hinc oratio nostra stat pede tetragono, quod Patrem habeamus Omnipotentem, Misericordem, Veracem & Sapientem.

II. Quod JEsus Christus sit noster mediator & intercessor apud Deum, 1. Joh. 2. v. 1. Advocatus, Justus & Sacerdos. Rom 8. 1. Tim. 2. Ebr. 5. 7. Consanguineus noster, Job. 19. qui pro carne sua intercedit. Eph. 5. Ambros: Ipse est os nostrum per quod Patrem alloquimur, oculus per quem Patrem videmus, dextra per quam Patrem nos offerimus. Nos qui putredo cinis & vermes sumus, & peccatores indignissimi propter solum filium Dei exaudimur, & per eum solum accessum habemus ad thronum gratiæ. Rom. 3. Ebr. 4. Siq. Deus justè nos odit propter primi parentis crimen, quo ille donis suis, sicut & nos in illo tanquam ramus in stipite spoliati sumus: Nos pro isto mero homine Deum et hominẽ offerimus, pro ejus inobedientia aliâm gravissimam obedientiam, pro ejus superbia, qua stultus homo ad divinitatis gloriam aspiravit, aliã contra humilitatem,

qua summus & verus Deus, sese ad vilem hominis formam abjecit. Si Abrahami intercessionem, Gen. 18. non aspernatus est Deus: Si Moses sævientis Dei iram precibus suis avertit, & quasi cruentum gladiũ ex manibus Dei eripuit: Exod. 32. Si Deus propterparentũ pietatẽ beneficia filijs etiam immeritis in multas generationes exhibet, Exod. 20 sicut Ammon & Moab propter recordationem justi Lothi, Deut. 1. 2. pepercit, & David, 2. Reg. 5. dilecti Jonathæ filio Mephiboseth patris bona reddidit. Quid non faceret Deus propter intercessionem Christi. Luc. 22. v. 32. Luc. 23. v. 34. Joh. 17. Nec nos oculos in cœlum tollere debemus, nisi hunc advocatum Deo gratissimum nobiscum afferamus, literas supplices nostras sanguine Christi conspergamus, id est, Christum diligamus credentes, quod exiverit à Deo, & ipsius merito nitamur: quia ipse solus, nec aliud nomen, Act. 4. expansis brachijs mediator est inter Deum & homines. August: Christus orat in nobis tanquam caput. Pro nobis ut sacerdos. Oratur à nobis ut verus Deus. Nec nova hæc est doctrina, hæc ars bene orandi: Sed typis V. T. adumbrata & exemplis decarata fuit. Sic enim Adam & Eva fiduciam collocarunt in promisso semine, Gẽ. 3: Sic Moses contra Amalech, Exod. 17. Deum invocavit positis in formam crucis manibus, virgamq; Dei in manu sua habuit, per quam crux Christi designatur, ut intelligamus omnes nostras actiones crucifixi Domini Jesu meritis fulciendas. Quorsum enim orationi virga adhibetur, nisi ut meritum illius virgæ, quæ de radice Jesse egressa est, Esa 9. innuatur, ut in calce orationum subjungamus: per Dominum nostrum Jesum Christum. Sic Jacob benedixit filijs Josephi per Christum crucifigendum, Gen. 48. v. 14. extensis manibus in formam Crucis. In Josepho hoc dupliciter adumbratum fuit, quia constitutus ipse fuit super omnem terram Ægypti, nec quis nisi per Josephum cum Pharaone quicquam egit. Gen. 41. v. 41. Nec fratres ad humanius colloquium admisit, antequam fratrem natu minorem Benjamin adducerent. Gen. 42. v. Sic Num. 21. v. 6. erecto æneo serpente morsibus noxiorum serpentum infecti servabãtur, non

non propter rem visam, sed propter Christum omnium servatorem. Sap. 16. v. 7. Huc referatur Arca & Thronus gloriæ. Sic invocatur auxilium divinum, Esa. 8. propter Immanuelem, Dan. 9. propter Dominum. Sicut Themistocles, quod Thucydides literarum monumentis tradidit, Admetæ Molossorum Regis gratiam pro consilio Reginæ oblato in ulnis filio ejus parvulo, obtinuit. Sunt autem in Christo reconditi omnes thesauri, Col. 2. apud illum copiosa est remissio, Psal. 130. & abundanter habet quod distribuat: Sapientiam. Exod. 34. Luc. 24. Jac. 1. Panem. Exod. 16. Marc. 7. Joh. 6. Carnes. Num. 11. Pisces. Luc. 5. Joh. 21. Monetam. Matt. 16. & vitam prolixam. Psal. 31. & 91. Beatum obitum, Luc. 2. & salutem æternam. Joh. 3.

III. Quod quæcunq; rogaverimus in nomine Jesu dabuntur nobis. De qua certæ exauditionis promissione non tantùm innumeris Sacræ scripturæ dictis confirmati sumus, Psal. 50. 145. Esa. 65. Joël. 2. quod omnes promissiones in Christo sint Amen & Ita, 2. Corin. 1. v. 20. ad Dei gloriam: Verùm etiam plurimis exemplis veritas cõprobata est, ad quorum considerationem nos Ecclesiasticus ablegat. cap. 2. v. 11: Respicite in priscæ retro secula, quis Deum invocavit, qui ab eo spretus fuerit. Moses oratione sua divisit mare Rubrum: Josua Solem retinuit. Elias oravit & cælum retinuit, iterumq; ipso orante dedit pluviam: Et illi homines erant ijsdem quibus & nos obnoxij. Jac. 5. v. 17. Insuper nobiscum orant omnes sancti, omnia passim Ecclesiæ membra. Matt. 6. Luc. 11. Et Christus intercessor, & Spiritus Sanctus advocatus, Rom. 8. v. 26. pro nobis postulat suspirijs inenarrabilibus, uterq; in gloria & majestate Patri similis. Et Deus mandavit, Psal. 27. v. 8: quærite faciem meam. Quid ergo dubitamus? Unica Christianorum oratio, vera fide ablegata ad Deum, potentior est, quàm omnes Diaboli & Tyranni. Sic devicti sunt Pharao, Exod. 14. Sanherib, 2. Reg. 19. Haaman, Esth. 7. Herodes, Arrius, Julianus: quia Dominus propter gemitum pauperum exsurgit, Psal. 12. & ipse pro nobis, quis contra nos? Rom. 8.

Voti compos fuit, si quis à Deo petijt felix conjugium, ut Isaac. Tobias: prolem, ut Hanna, Sara, Elisabeth: valetudinem, ut Moses, Num. 12. v. 13. Ezechias, Esa. 38 v. 2 3. multiq; in diebus Christi incarnati exauditi convaluerũt, velut ex morte retracti. Ex periculis per orationem eluctati sunt Susanna, Daniel, tres viri, Jonas, Petrus, Act. 12. &c. Victoriam impetrarunt Moses, Exod. 17. Josua, Marcus Antoninus verus, teste Tertull. contra Marcomannos. Quoties postulavimus auxilium Spiritus Sancti ad docendum & audiendum Evangelium, non defuit eventus optatus, & multi, quod nos quoq; indubitanter expectamus, per orationem consecuti sunt in morte palmam. Quoniam oratio velut legatio quædam est, quæ à terris ad cœlum transmissa cuncta mala nostra cœlesti medico denunciat, ut quam piè petentibus pollicitus est, Psal, 50. periclitantibus opem ferat. Tantumq; abest ut fastidiat preces nostras Deus, ut perseveranter postulasse, Luc. 11. beneficij & obsequij loco ducat. Nec, ceu Johannes 11. Lusitaniæ Rex importuno postulatori, respondeat: Nunquam me nisi modò Regem esse pœnituit: quia te propter importunitatem in certamen provocarem.

Oratio quæ fit in nomine Christi est,

I. Malleus quo cœlum pulsatur, Luc. 11. & clavis manum Dei reserans, Bernard. & præstantissimum ornamentum templi divini in pectoribus nostris. Chrysost.

II. Fidus Tabellarius, Syr. 35. & canalis per quem cor anxium reficitur. August. Idem super Psal. 65. Orationis pura magna est virt⁹, & velut fidelis nuncius mãdatum peragit, & penetrat, quo caro non pervenit. Et campanula sonitu nubes penetrans.

III. Ventus quævis mala à nobis repellens, Basil. & vinculum, Chrysost. quod vincit omnipotentem. Bernard. Nos enim ambimus & tenemus Deum precatione. Et hæc vis ipsi grata est. Tertull. Gen. 32. Exod. 32. Cum populus vitulum fabricasset iratus Dominus ait ad Mosen: dimitte me, &c. Quid quæso potentius aut glorioſi-

us quàm

*as quàm omnipotentem tenere & quodammodo ligare, & furorem iræ illius vi orationis reprimere? Magnes tandem Dei ad nos trahens commiserationem.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut juxta mandatum Christi, juxta consilium Josaphat & Davidis, Psal. 50. petamus, appareatq; oratio nostra ceu dulce odoramentum, Apoc. 7. coram Domino. Quia, cum homo Christianus Psal. 1. v. 3. arbori fructiferæ secus rivos aquarum plantatæ conferatur, vita Christiana est sicut arbor inversa, quæ in cœlo radices habens, è cœlo pendet, & in terra germinat. Ideoq; ut radices irrigentur, maxima piorum cura esse debet, ut oratione in cœlum ablegata cœlestis gratiæ succum trahant, & virtutum germina in terra proferant: levando oculos ad montes unde venit auxilium, Psal. 121. v. 1. ad Deum qui habitat in cœlis. Psal. 123. v. 1. Quod Enos, Gen. 4. v. 26. primùm cœpisse legitur, dum ipse pater invocantium, velut Abraham pater credentium, orationis antea apud multos parùm usitatæ inventor inducitur.

Hoc loco pro oratione piè proferenda Ter tria observentur.

I. Ut omnes & singuli oremus, quia omnes divina protectione maximè indigemus: Senes & juvenes, Reges & subditi, Psal. 148. Servi & ancillæ, Psal. 123. v. 2. Lactentes & infantes, Psal 8. Mat. 21. Uterq; sexus viri & fœminæ. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Quicunq; & quæcunq; nomen Domini invocaverit salvabitur. Joël. 2. Ne ergo obrepat oscitantia, vel negligentia, quod Satan, ne flagelletur à nobis, totis viribus quærit, obtinuitq; orationem prohiberi Dan. 13. & in concilio Tolesano. Psal. 15. & 53. Dominum non invocarunt. Esa. 43. Nō invocasti me Jac. Jer. 2: Oblitꝰ est populꝰ meus mei diebus multis. Orēt domini & parētes cum sobole ac familia, ut benedictione Domini fruantur; nec patiantur se per ebrietatem, avaritiam aut somni dulce-

dulcedinem impediri: quia omnis in toto orbe necessitas ex precum intermissione originem trahit. Jac. 4. v. 2.3.

2. Ut ubiq; locorum, domi foris q;, in urbe & agro, terra mariq; nomen Domini invocemus, Matt. 6. in camera, inprimis in domo oratoria in templis. Et ubicunq; sumus aut moveamur, singula objecta loco praceptoris nos ad orandum instigent, ut quia semper aliquo occupati sumus orando pravitas abigatur. Abraham, Isaac, Jacob sub dio Deum invocarunt: Gen. 18. 25. 32. Jonas in balena: tres viri in fornace: Daniel in spelunca leonum: Christus in deserto, Luc. 3. in monte, in horto, in ara crucis: Mat. 17. 26. 27. Petrus & Johannes in templo: Act. 3. Apostoli in suo hospitio. Act. 12. &c. August. Quid supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris? Interiora tua munda prapara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare in te ora, & ita age semper ut Dei templum sis: ibi enim Deus exaudit ubi habitat.

3. Ut omni tempore semper oremus. Luc. 18. Hieron: Sicut militem sine armis exire ad bellum non convenit; ita homini Christiano procedere quolibet sine oratione non expedit. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat. Quia, Chrysost. quemadmodum prædones & facinorosi conspicientes milites gladium in caput suum vibrare resiliunt: sic maligni spiritus ubi vident nos precationibus esse munitos. August: Nec die vaces, nec nocte, sed cum somnus ab oculis tuis ceciderit, tunc sensus tuus in oratione vigilet, & anima tua de Domino Jesu meditetur. Cyrill. Hieros. Frequenter ora ut Deus te dignum efficiat, neq; interdiu, neq; noctu sis otiosus; sed cum somnus ab oculis recesserit, tunc mens vacet orationi. Chrysost: Dic mihi qua fronte Solem intueberis, nisi prius adoraveris illum, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis immittit? Quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraveris eum, qui tantùm bonorum largitur & suppeditat? Qua spe trades teipsum nocturno tempori, qualibus cum insomnijs putas tibi rem fore, nisi te ipsum præmuniveris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris?

ris? Christus orat ad vesperam, Matt. 14. die, Luc. 9. noctu. Matt. 26. Oratione dies inchoandus & concludendus est. David Psal. 88. testatur se Deum manè invocasse, Psal. 6: se noctu lectum lachrymis natare fecisse, Psal. 55. v. 18: se vespere & manè, & meridie locutum ac tumultuatum fuisse. Jerem. Thren. 2. consurge, inquit, in nocte in principio vigiliarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante Dominum. Psal. 134: Benedicite Jehovæ in noctibus. In cujus rei typum Manna circa mediam noctem è cœlo mittebatur, quod Sap. 16. v. 27. 28. 29. ab igne non poterat exterminari, sed statim ab exiguo radio Solis calefactum liquefiebat, quod sic orando oporteat nos prævenire Solem, & ad orientem lucem adorare: quia matutinum tempus ad precandi munus maximè oportunum est. Idq; ab hominibus religiosis post Apostolorum tempora studiosè observatum esse cum Justino Tertullianus annotavit, quod ex sobrio corde sobriæ profluant cogitationes. Et teste Plin. lib. 7. cap. 2. si

Sputa venenatum tangunt jejunaDraconem,
Mox velut ardenti concidit ustus aqua,
At jejuni hominis lingat si fortè salivam,
Ilia mox veluti fulmine rupta crepant.

Sic sobriæ precationes Diabolos infestant. 1. Pet. 4: Estote sobrij, &c. 4. Qui vult esse verus orans debet esse verus pœnitens, nam præfracti oratores, inquit August. sunt Dei illusores non adoratores. Qui vult orare in nomine JEsu recedat ab omni impietate, 2. Tim. 2. quia impœnitentes Deus non exaudit. Joh. 9. 1. Joh. 3. Si cor nostrum non condemnat nos fiduciam habemus orandi. Idem docetur Esa. 1, 3. 59. Psal. 66. 96. Prov. 15. 21. 28. Itaq; accessuri ad fontem vitæ serpentum more venenum deponamus, August. ad Julian. Comit. ne globus hæreat in vulnere sanando. Nec supplicationem stercore fœdatam impuris manibus tradamus; Sed, Ebr. 10. accedamus cum bono corde & certa persuasione fidei, liberi à conscientia mala. Et conjuges placidè vivant, 1. Pet. 3. ne per discordiam intercidat oratio. Tertull. de Castitate: Oratio de conscientia procedit.

dit. Si conscientia erubescit, erubescat oratio. Ambros. ad Phil. cap. 6. In carne orat qui polluta mente precatur, iterum peccaturus.

5. Orandum est in fide. 1. Tim. 2. Tollantur puræ manus absq; dubitatione. Jac. 1. v. 6. Postulet cum fide, nihil disceptans: nam qui disceptat similis est fluctui maris, qui ventis agitur & jactatur. Qui non credit Deo, facit eum mendacem, 1. Joh. 5. nec sine fide quicquam Deo placebit. Ebr. 11. 2. Cor. 1.

6. Humiliter proferenda est oratio, ut agnoscamus indignitatem nostram, flexis genibus. Phil. 2. Psal. 96. Ambros. de Cain & Abel. cap. 9. Cave ne in oratione te extollas: Oratio enim humiliantis se penetrat nubes. Josua, cap. 7. David, 2. Sam. 12. Josaphat, 2. Paral. 20. v. 18. Christus Matt. 26. in faciem coram Jehova prociderunt. Adhæc complicatis & sublatis manibus, Exod. 17. Thrē. 3. v. 41. levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos: Ut sic quasi ligatis manibus moneamnr de nostra infirmitate, & simul de exauditionis certitudine.

7. Constanter agendum, nec quid Deo præscribendum est. Thren. 3. Mat. 7. Luc. 11. Qui excutere vult ignem è silice, non contentus semel percussisse iterum atq; iterum percutit, qui Dominum precatur etiamsi ilico ad votum non exauditur, perseveret tamen. Bernard: Unum ex his indubitanter sperandum est nobis, quia dabit Deus quod petimus, aut quod noverit nobis esse utilius. Nam ipse miseretur super ignorantias nostras, & nunquam infructuosa est oratio nostra. Basil: Quando non exaudiris, aut non rectè petijsti, aut non conducibilia tibi, aut non perseverasti. Idem: Ipse Dominus melius novit quid nobis conducat, quã nos ipsi. Nec statim dat, ut ad assiduitatem nos instituat, & discamus, quid sit donum Dei, custodiamusq; datum cum timore: nam quicquid multo labore acquiritur, studiosè custoditur. Si quando differt Deus nos ardentiùs clamemus, Luc. 18. nec ceu Papa Julius audito nuncio de victoria Venetorum librum projiciamus. Sed si ægroti oramus sanitati restitui, pauperes sublevari, arido tempore pluvia donari, nec subito exaudimur pa-

8. Nec

tienter agnoscamus promeritas per ingratitudinem pœnas, & quia differt Deus ardentiùs oremus.

8. Nec linguâ tantùm oremus ex consuetudine, interim alia in corde volutantes. Esa. 29. v. 13. Amos. 5. Auser à me tumultum carminum tuorum. Psal. 145. Propinquus Dominus invocantibus eum in veritate. Gregor. Ut Abraham sacrificium offerens volucres non evasit, quos studiosè abigebat: Sic nos cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus importunæ se cogitationes miscent, quas studiosè abigere oportet. Nec prolixitatem orationis, nec altum clamorem, sed gemitum cordis Deus respicit. Exod. 14. v. 15. Quid clamas ad me? 1. Sam. 1. Hinc Paulus 1. Cor. 14. ait: Orabo spiritu, orabo & mente. In Spiritu orare, juxta explicationem Ambrosij, est mundâ conscientia & fide integra preces ad Deum dirigere; ut homo Dei contemplatione quasi extra se raptus, sui, & rerum omnium oblitus oret. Isidor: Non conciliat Deum multiplex orationis sermo, sed purissima syncerag; cordis intentio. Quid prodest strepitus labiorum, si cor est mutum. Sicut enim vox sine modulatione est veluti vox porcorum: sic oratio sine deuotione est quasi mugitus boum. Si deest ille qui poscit, quomodo aderit ille qui poscitur? Bernard. in Epist. Licèt omni hora & omni loco oculi Domini nos speculentur, maximè tamen in oratione: licèt enim semper videamur, sed tunc præsentamus nos, & ostendimus quasi à facie ad faciem cum Deo colloquentes. Ambros. Illam orationem Deus non exaudit, cui ille qui orat non attendit. August. Sicut orantis affectus est, sic erit exaudientis effectus. Plerumq; orantes aliunde cogitamus, quasi obliti ante q̃ stam⁹, Chrysost. de fide Annæ: In conspectu Dei orat qui orat undequaq; colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercij, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa. Bernard. in Meditat. cap. 8. Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor ut meas preces exaudiat, quas ego qui fundo non audio nec intendo. Chrysost: Tu non audis orationem tuam, & Deum vis audire preces tuas? Flecte, in-

Curvasti quidem genua, sed mens tua foris vagabatur. Corpus tuum intus in Ecclesia, sed animus tuus foris. Os quidem loquebatur, sed mens usuras cogitabat. Bernard. in serm. Millia millium ministrabant ei, &c. Quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula. August: Sileant animæ meæ omnia sileat anima mea ipsa sibi. Si hoc incredibile judicas, age fac de te ipso veritatis hujus conjecturam. Si impudicus amor, furta, rapinæ adeò vehementer incendere animum tuum potuerunt, ut non tam amare, quàm insanire visus sis, quod ex historia Davidis utiq; constat. Si tantùm potest spiritus malus, quid mirum si Spiritus Sanctus hominem extra se rapiat & coram Deo invocantem sistat.

9. *Aliquid petamus quod Deo dignum & nobis sit utile. Ne oremus contra voluntatem Dei in perniciem nostram, 1. Joh. 3. sicut erravit conjunx Zebedæi, & discipuli Domini. Luc. 9. Nec oremus bona utriusq; vitæ absq; discrimine, sed corporalia cum conditione, quatenus non pugnāt cum Dei gloria & salute nostra; Spiritualia verò in firma fide absq; conditione: quia illis carere non possumus. Sed ne erremus orationem Dominicam Christus summus magister præscripsit, qua nulla magis spiritualis est oratio, nec vera magis apud Patrem precatio. August: Si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, hæreditas, dignitas, &c. illa invocas quæ vis ut veniāt, sed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus est si dat quod vis, quid si malè vis, nonne erit tibi magis non dando misericors? Euge medicum tuum pone Deum. Idem August: Non petit aliquid, qui fugitivos honores, aut perituras divitias, cætera terrena & interitura bona petit, quæ non vera & expressa bona, sed bonorum umbras & simulacra esse Plato quoq; testatus est. Certè spiritualibus rebus collata nihil sunt. Sap. 7. Vera ergo & solida, & sempiterna bona quæ Deo digna sunt, petere debemus. Nec exigua munuscula à magnis principibus petenda sunt: donum enim non tam exiguitati postulantis, quam dantis magnificentiæ respondere debet. Cum ergo Alexander*

cuidam

cuidam ab eo donum petenti civitatem dedisset, & ille munus hoc conditioni suæ minus convenire dixisset. Ego, inquit, non quod te accipere dignum sit, sed quod me dare deceat attendo.

II. Fruct. Fidei. Ut Dominum Jesum diligamus, quia propter nostram salutem exivit à Patre, nec incredulitate & vitæ impuritate iram ejus super nos excitemus. Joh. 14. Quoniam mundum, hoc est, visibilem conversationem non homines deseruit, ut inquit Augustin.

III. Fruct. Fidei. Ut semper parati simus relinquere mundum & transire ad Deum. Cor nostrum inardescat, omnis creatura vilescat & creator dulcescat. Peregrinantur & redire nolunt impij, inquit Augustin, nos autem majores sumus & ad majora nati, quàm ut mundi simus mancipia, Seneca, Bernard. Quid Spiritui nostro cum terrenis? Cur non spiritualia desiderat? spiritualia quærit? spiritualia sapit? O spiritus qui de sursum estis, quid vobis cum infimis? In mundo, sed non de mundo, nec mundani sumus. Oremus autem, quia viatores sumus orandi libertate donati, velut Salomon, 1. Reg. 3. v. 5. & Eliseus, 2. Reg. 2. v. 9. felicem abitum & obitum, ut cum Christo gaudentes dicere queamus: Relinquo mundum & vado ad Patrem. Et hoc sanè pulcherrimum est. Aurum & argentum deserunt homines, nec cum possessoribus migrare volunt. Basil. Inde turpissimum quando aliquis in agone conqueritur se derelinqui à mundo, à pecunijs, ab amicis & opibus sudore partis: ignarus quorsum vadat. Signum enim est eum qui ita decedit, seruum fuisse Ventris, Mundi & Mammonæ, captum & deceptum à mundo. Sed quicunq; se immaculatum servat à mundo, Jacob. 1. ille gaudet de mundo dimitti, speratq; & potitur vitâ in Christo.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod obitus noster sit felix transitus, quo derelicto mundo ingredimur in domum Dei, Joh. 14. liberamurq; ab omni malo, tam

animæ quàm corporis, tam eo quod commisimus, quàm quod sustinemus. Bernard. Mors fidelium est transitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brabium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem. August. contra Judæos cap. 21: Hîc falsitas, ibi veritas: Hîc perturbatio, illic fida possessio: Hic pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio: Hîc periculosa elatio, illic secura exaltatio: Hîc timetur ne qui erat amicus efficiatur subitò inimicus, illic semper manet amicus, quia nullus admittitur inimicus: Hîc quicquid est bonum times ne pereat, illic quicquid acceperis ab illo servaberis qui fecit ut non amplius transeas, nec quod accepisti amittas: Hîc mors, ibi vita.

II. *Quod in futura vita sublatis proverbijs, ænygmatibus & speculo Deum apertè audiemus, & invisibilia, quæ hîc credimus, videbimus; nec quid vel in Apocalypsi nobis occultum erit. 2. Cor. 4. Ibi omnes erimus docti à Deo. Esa. 54. August. Non sufficit humana lingua laudare, quod sensus mortalium non valet comprehendere. Veniemus illuc fratres, & illic videbimus, quod oculus hîc nõ vidit: Ibi audiemus, quod auris hîc non audivit: Ibi intelligemus, quod cor humanum comprehendere hîc non valuit. Videntes scientesq; exultabimus inenarrabili gaudio. Joh. 6. v. 45. Est scriptum in Prophetis & erunt omnes docti à Deo, &c.*

III. *Quod in vita cœlesti gaudium futurum sit perfectissimũ, cum hîc omnia subitò mutentur. Psal. 30. Syr. 10. 1. Cor 10. Siquidem multa homini subitò contingunt, ut quis cum Aarone erret, Exod. 32. cum Davide fiat exul & profugus, 2. Sam. 16. cum Nebuchodon. desipiat, Dan. 4. vel cum Jobe, Tobia & alijs ad paupertatem & ægritudinem redigatur. Si quis in semetipso lætus atq; fortis est, tamen habet quod metuat pro uxore, liberis, magistratu, pastoribus, subditis, parochianis, &c. Sic orant Moses, Samuel, Paulus pro auditoribus suis, Exod. 32. Num. 16. 1. Sam. 12. Isaac pro Rebecca: Jacob pro Rahel; Monica pro Augustino. Jer. 29. fit oratio pro Babylone,*

lonè. 2. Reg. 20. Da pacẽ Domine. In mundo perfectũ nihil eſt. Exempla humanæ infirmitatis paſſim obvia ſunt: Julius Cæſar qui primus Romanis Imperatoribus nomen dedit, poſt quinq; tantùm menſes quibus imperio in pace potitus eſt 23. vulneribus confoſſus miſerabiliter corruit. Pompejus Magnus abſciſſo capite miſerandum hoſtibus ſpectaculum præbuit. Hannibal Romanorum terror & victor hauſto veneno ipſe mortem ſibi conſcivit. Alexander Magnus quoq; veneno, ſed non ſponte ſuſcepto immatura morte ſublatus memoratur. Facundiſſimo M. T. Ciceroni Eloquentia vitam ademit. Et ne ſacra præteream. Salomon Idola Gentium in ſenectute coluit. Achitophel laqueo ſibi vitam eripuit. Quis ergo non videt hîc infirmitatis abyſſum, caſusq; & ruinas miſerabiles? Gaudium autem animæ cælos ingredientis perfectum eſt: Quia corpore ſoluta in ſanctam civitatem Apoc. 21. transmigrat, & manſiones Dei, Joh. 14. inhabitat. Unde ſub & ſupra ſe cælorum orbem Solemq;, Lunam & ſydera ſpectat: Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum ſenatum, contemplatur: 24. ſeniores, Apoc. 7. & turbam innumerabilem, ſanctorum victrices palmas in manibus gerentium miratur: Angelorum myriades & tot ſpirituum agmina ſalutat. Dan. 7. Inde tres perſonas divinæ eſſentiæ, quod eſt ſummum bonum intuetur. Si modò videremus ejusmodi animam, certè diceremus cum matre Auguſtini: O evolemus in cælos! Ibi volubilis & inquieta deſideriorum rota conquieſcet. Pſal. 27. Nec exiguum erit gaudium, cum felix anima oculos ad ima deflectens damnatorum pœnas, clamorem, fletus, ſtridorem, &c. cernet, quæ divinæ miſerationis gratia evaſit; inter quos videbit multos ætatis, conditionis, fortunarum & ſtudiorum ſuorum comites, cum quibus familiariter vixit, cum quibus pariter deliquit, cum quibus etiam perire potuit, gaudebit quod actâ pœnitentia in viam redierit. Auguſt. contra Jud. cap. 21. Quale gaudium erit, ubi nullus timor erit. Quale gaudium erit cum te videris eſſe ſocium Angelorum, participem Regni cælorum, regnare cum Rege, nihil concupiſcendo omnia poſſidere, ſine avaritia divitem, ſine pecu-

nia.

nia administrantem, sine successore judicantem, sine metu Barbarorum regnantem, sine morte æternâ vita viventem, &c.

Die Festo Ascensionis Christi.

DE TRIUMPHO CHRISTI ASCENDENTIS IN COELUM.

Evangelium Marc. 16. à v. 14. usq; ad finem.

PRÆFATIO SUPPLEX.

HOdie tractanda venit salutaris & lœtissima historia de Ascensione Christi, qui cum sit ad dextram Patris intercessor noster, in ipsius nomine rogabimus dari nobis Spiritum Sanctum, ejusq; divinâ gratia dirigi lingvam, aperiri os & aures, incendi corda & animas, ut hic labor noster tã dicẽdo, quàm audiẽdo bene succedat in gloriũ Dei, animarũq; nostrarũ salutem. Ut ubi positamnobis à Deo metã attigerimus perruptorem Christũ possimus sequi, & mansionibus ab ipso paratis in æternum frui. Pat. nost. &c.

Exordium Propheticum.

Vaticinia de Ascensione Christi legantur: Psal. 47. v. 6. Ascendit Deus cum jubilo. Psal. 68. v. 19. Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, &c. Psal. 110. v. 1. Dixit Jehova Domino meo sede ad dextram meam. Ubi David in Spiritu prævidit Christum devictis hostibus ascendere, & collocare humanam naturam ad dextram æterni Patris, quod impletum esse textus docet.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

A Postolos ut arguit
Mox Christus illos instruit
Ut prædicent & abluant,
Salvantur ornati fide.

Ne

Ne sermo currat tardius
Datur potestas Dæmones
Morbos, colubros pellere,
Loquiq; lingvis plurimis.
Christi caro cum jubilo
Ascendit in cœlos, Dei
Patris sedetq; ad dexteram,
Regnatq; Homo regnat Deus.

TRIA MUNERA DIVINA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod ministerium docendi Evangelium cum Sacramento Baptismi ex institutione Christi, quem Deus Pater gloriæ excitatum à mortuis collocavit ad dextram suam in cœlis, Eph. 1. v. 20. 21. 22. longè supra omne imperium & potestatem, & potentiam, & omne nomen quod nominatur, non tantùm in seculo hoc, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedes ejus, eumq; constituit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, sit donum misericordis Dei ascensione & merito Christi acquisitum: quia ascendit in sublime & dona dedit hominibus, Psal. 68. v. 19. Eph. 4. v. 11. missiq; alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem, inquam, corporis Christi. Ubi observandum: Primò, quod inde ab initio illustrioribus miraculis confirmata sit veritas doctrinæ cœlestis. Qualia fecit Moses in Ægypto: Elias in Carmelo: 1. Reg. 18. Exhibuit Daniel inter leones: Tres viri in Camino ignis. Et Apostoli conciones suas miraculis subsequentibus confirmarunt, quoniam in nomine Christi ejecerunt Dæmonia ab obsessis, Act. 5. v. 15. 16. Act. 16. v. 18. Act. 19. v. 12. & per virtutem Dei admotos invalidos umbra sanavit Apostolorū & sudaria, & semicinctia.*

Linguis varijs locuti sunt, Act. 2. & nullum illis quocunq; venerũt, idioma ignotum fuit. Serpentes sustulerunt. Act. 28. v. 5. Toxicum illis non obfuit, quod Euseb. lib. 3. c. 30. de justo qui cognomine Barsabas scriptum reliquit. Et Ægrotos curarunt quamplurimos. Act. 4. 5. 9. 19. 20. 28. v. 8. Hisce igitur conspectis negare non potuerunt homines Apostolos esse singularia Spiritus Sancti organa, cum quibus Deus. Joh. 3. Et hoc modo fidem facientibus miraculis doctrina de Christo crucifixo Gentibus antea ignota, rationi abscondita & cum sensibus humanis pugnans passim recepta est: sic ut Deus revelatus in carne non tantùm prædicatus sit Gentibus; verùm etiam creditus in mundo. Quin & successor atq; cooperarij Apostolorum miraculis clari fuerunt. Paulus, Actorum 9. Stephanus, Actor. 7. Polycarpus, Arsacius, Nicomed. Tatthæus ad Abgarum Edessenorum Regem ablegatus, Euseb. lib. 1. cap. ult. multiq; alij in primitiva Ecclesia. Nec minus adhuc Diaboli abiguntur à spiritualiter obsessis, ut rumpantur laquei ipsorum. 2. Tim. 2. Præcipuæ passim florent in usu linguæ & ægri juxta consilium, Jac. 5. publicis intercessionibus salutem impetrant, conservatúrq; Ecclesiæ pusillus, Luc. 12. & pauper grex, Zoph. 3. ut dominetur Dominus in medijs hostibus. Psal. 110.

Secundò, quod Dominus Jesus cujus majestas est infinita, Apoc. 19. nõ tantúm in Judæã ac Galilæam sicut Mat. 10 sed in totum orbẽ, Zach. 9. miserit Evangelij præcones. Quare nec ullus populus excluſus est, sed omnibus debet revelari consilium Dei. Col. 3. Quoniam omnes coram judicio apparebunt. Joh. 6. Rom. 14. 2. Cor. 5. Ideo neq; abscondita voluntate vult aliquos condemnari Deus, Ezech. 33. sed apparuit gratia ejus omnibus hominibus. Tit. 2. Recõciliatio est Christus pro totius mundi delictis, 2. Cor. 5. & omnibus offert gratiam suam, Matt. 11. & omnibus annunciat quod instet judicium. Act. 17. v. 30. Cyrill: Ordinavit doctores & divinorum mysteriorum ministros, quos ut luminaria ad illustrationem Judæorum non solummodo regionis misit, sed universum orbem illuminare jussit.

Tertiò

Tertiò, quod singulis & omnibus quicunq; credunt & baptizati sunt gratia divina atq; salutis janua pateat: qui autem non crediderit, condemnabitur. Quibus verbis quatuor genera hominum depinguntur, scilicet eorum qui credunt & baptizantur, qui credunt nec baptismum percipiunt, qui non credunt licèt baptisati, qui neq; credunt nec baptismum admittunt. Præterea in his verbis monstrantur duo diversi cœtus, quibus duo diversa hospitia præparata sint, Matt. 7. & exprimitur summa felicitas atq; ignominia summa. Et hæc erit norma novissimi judicij, ut veniant credentes. Mat. 25. Eant illi qui non credunt & jam judicati sunt. Joh. 3. Ex his unusquisq; probet se ipsum, & consilium conferat cum anima sua. Ego itaq; spem firmam alo de me & auditoribus meis, nos salvandis annumerandos: Quia baptizati sumus & credimus, quod Jesus sit Christus Redemtor noster ad dextram Patris. Feramus euge fructum fidei & obtinebimus vitam æternam.

II. Quod Jesus Christus Dei ac Mariæ filius ex morte eluctatus ascenderit in cœlos, deposuerit visibilem in terris conversationem, non amplius pauper, esuriens & afflictus, fueritq; ascensio Christi felix clausula itinerarij ipsius. Bernard. Interim tamen quia corpus divinitati fœdere æterno, atq; indissolubili unitum est in cœlo & terra verè præsens. Sic homini datum est ex gratia, quod Deus habuit ab æterno ex natura. Cyrill. Filio hominis subjecta sunt omnia, Psal. 8. Datum est sedere à dextris Dei. Psal. 110. Traditum est regnum æternum. Dan. 7. Attributum nomen in quo flectũtur omnia genua. Phil. 2. Et Agnus occisus accepit potestatem & gloriam. Apoc. 5. v. 12. Cyprian: Ascendit Christus in cœlos, non ubi verbum Deus ante non fuerat; sed ubi Verbum caro factum antea non sedebat. Athanas: Homo est cui dicitur sede à dextris meis. Gregor: Illa natura cui dictum est, terra es & in terram ibis, hodie in cœlum ibat. August: In qua forma crucifixus est ipsa est exaltata. Scio ad cœlum ascendisse Carnem merito Deitatis. Verè statuendum est quod Jesus Christus in momento conceptionis posuerit humanã

naturam supor omnes cælos, quia juxta Irenæum, omnia tunc Christo à Patre tradita sunt, cum Verbum per quod Pater omnia fecit caro factum est. Sed quievit λόγος in Christo fuitq; Deus occultus, Esa. 45. interdum miraculis majestatem suam patefaciens, usq; ad diem Ascensionis, qua in gloriam ingressus est. Idq; facilè absolvere potuit: siquidem Deus non ascendit neq; descendit. Visibiliter autem Christus ascendere voluit, ut ederet testimoniũ victoriæ ac triumphi, nec videretur evanuisse ceu spectrum: sed confirmaret fidem Apostolorum, ne ulterius visibilem expectarent conversationem. Adhæc ut agnoscerent quale sit Christi Regnum.

Christus ascendendo
1. Captus, Psal. 68. & ductis in triumpho hostibus, Col. 2. v. 15. avertit captivitatem populi sui. Psal. 14.
2. Acquisivit nobis Spiritum Sanctũ. Joh. 16. Act. 2.
3. Implevit omnia, Eph. 4. v. 10. Deus qui propinquus adest non longè absens. Jer. 23. Psal. 139. Adestq;
1. Ecclesiæ suæ. Matt. 18. & 28. Apoc. 1. & 2. Act. 9.
2. In cœna Dominica: quia ipse dixit nec distrahuntur naturæ.
3. Nobiscum in periculis. Psal. 91. Sic visus est Stephano, & Apostolis passim dispersis. August: Ideo Christus resurrexit, ut nobis exemplum Resurrectionis ostenderet. Et verè ascendit ut nos desuper protegeret. Nonitaq; timendum nos fore Orphanos, Psal. 27. Joh. 14. sed nocte dieq;, Psal. 23. terra mariq; nobiscum est Ascensor cæli, auxiliator noster, Deut. 33. v. 26.

Dextra Dei

III. Quod Deus & Homo Christus sedeat ad dextram Patris in Regno, majestate & gloria, & caro ejus assumta sit in consortium Trinitatis, Deo σύνθρονος. Dextra enim Dei significat omnipotentiam & honorem divinum. Exod. 15. Psal. 18. 77. 118. Esa. 48. v. 13. Cyrill: Nihil aliud intelligitur quando de Deo sedere & sedes, & solium

lium dicitur, nisi principatus & potestas regia, quâ super omnes creaturas habet filius Dei, gubernatoris officium exsequendo. Et sic quæ nostro more corporaliter de Deo scribuntur, convenienter de eo intelligenda sunt. Sic Caro Christi, teste Hilario, honorem habet inseparabilem ab honore Dei: quia longè aliter Christus in cœlo est, quàm Angeli, qui equidem faciem Dei contemplantur, Matt. 18. sed nulli eorum dictum est, Ebr. 1. Sede à dextris meis. Psal. 110. Nec adorandi sunt. Apoc. 19. & 22. Et longè aliter, quàm Enoch, Elias & Electi, qui ex plenitudine Christi, Joh. 1. salvati sunt: nec omnipotentes & ubiq; præsentes. Christum autem secundum carnem Pater jussit adorari à cunctis Angelis inquiunt Chrysost. & Theodor. Est q; enter præsenter hic & ubiq; potenter. Nec deficit, ait Augustinus, qui nos reficit, sed, juxta Chrysost. pastor propria carne pascit oves suas.

Christus sedendo ad dextram Dei

1. *Distribuit dona cœlestia, & dirigit datis operarijs fidelibus, Eph. 4. atq; defendit Ecclesiam.*

2. *Interpellat pro nobis apud Patrem merito sanguinis sui. 1. Joh. 2. v. 1. Ebr. 5. & 7. Qui in conspersione sanguinis de agno paschali præfiguratus fuit, Exod. 12. v. 22. & recens ante conspectum Patris præstantiora loquitur, quàm sanguis Abelis. Ebr. 12. v. 24. Bernard: Quid timeam cum sciam carnem & sanguinem meum sedere à dextris Dei? Ille Joseph & frater noster, quod valeat infinita apud Patrem authoritate bene nobis prospicit, Sacerdos noster. De quo August: Quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo, quid & pro quibus. Idem autem ipse unus verus q; Mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo. Unum cum illo manens, cui offerebatur. Unum in se fecit, pro quibus offerebatur. Et unus ipse fuit qui offerebat, & quod offerebatur.*

3. *Reversurus est ut nos adducat, Matt. 25. Act. 1.*

*v. 11. 1. Thess. 4. & judicet seculum per ignem. Sic quidem in nube, sic cum corpore; sed majori cum gloria. Chrysost. & Ambros. super Luc. cap. 10.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. *Ut Evangelium & legatos Christi amplectamur majorig, afficiamus honore, quàm præsides, judices & scribas, passim homines deglubentes, quos cum*

xpoungit Ungentes pungat, pungentes rusticus ungit.

Sicut enim jucundi pedes servorum Dei qui pacem annunciant, Esa. 52. Matt. 10. Luc. 10. & cum officio suo internam Spiritus Sancti operationem conjunctam habent, ministri per quos creditis ut cuig, Dominus dedit. 1. Cor. 3. v. 5. Reprehensig, deponamus cordis duritiem, & ambulemus juxta pactum cum Deo in baptismo initũ. Rom. 6. v. 4. Non satis est bene cepisse, Apoc. 2. & ore credere, Esa. 29. & habere speciem piæ conversationis, Tit. 2. ut quis dicat: Domine, Domine. Matt. 7. Sed Fides quæ respicit opera & meritum Jesu Christi per dilectionem sit efficax, Gal. 5. Jac. 2; aliâs non credentes judicati sunt ceu ignis sine fumo & arbor sine fructus nec possidebunt regnum Dei operantes iniquitatem. Pellentur foras injusti, impudici, avari, & arbores non ferentes fructum prosternet Deus etiam in medio Paradisi. Apoc. 20.

II. *Ut recordemur nos esse Galilæos, exules & transmigratores, qui de regione umbræ mortis in regionem tendimus lucis & æternitatis. Et cum tanto studio multa in hanc vitam crastina die, fortè finiendam congeramus, multò magis necessaria præparemus ad eam quæ nullo unquam tempore finienda est, de æternitate potius quàm de momento solliciti; ne mundi suavitas nos decipiat, nec caro trahat spiritum. Quamvis enim homo ex spiritu & carne compositus sit, & spiritus sua natura ad spiritualia & invisibilia bona feraturi caro tamen cui conjunctus est illum ab ingenita dignitate degenera-*

generare compellit. Sic accensi vel junci flamma pro conditione sua natura ad superna tendit, sed materia cui inhæret pondus eã ad ima trahit & deijcit. Unde multi homines nihil ad se pertinere arbitrãtur, nisi quod ad solius corporis commodum spectat. Ideoq; rogant Apostoli: Nunquid restitues regnum Israël? idq; excusso jugo Romano in pristinam amplitudinem restitues? & Act. 16. v. 19. Domini ancillæ quod expulso spiritu Pythonis abijsset spes quæstus sui contra Paulum sæviunt. Velut & Demetrius faber argentarius, Act. 19. v. 24. & plurimi homines curas ac cogitationes suas ad terram deijciunt, ceu talpæ sola terra aluntur; neq; aliud, quàm terram quærunt, & de terrenis felicitatem suam metiuntur. Sed cum simus Christiani, an non fides nostra profitetur nos hic non habere civitatem manentem, sed futuram inquirere? An non in via ipsa quamdiu vivimus positi sumus? Ipsum vivere est iter facere, & quicquid agimus semper termino appropinquamus. Itinere absoluto domum reversi gaudemus: Trahendi ad Judicium trepidant. Quid ergo itineris vitæ, per quod incedimus & finem ad quem tendimus obliviscimur? Agite, ubi thesaurus noster Christus est, ibi sit cor nostrum. Matt. 6. Si resurreximus cum Christo quæramus superna, Col. 3. v. 1. ubi Christus est ad dextram Dei sedens. Si autem noluerimus agnosere nos hic esse Galilæos, certè agnoscemus in vitæ exitu, ubi nolentibus volentibus per mortem in alteram vitam transeundum erit, per iter extraneum, ut cum Chrysost. loquar, quod nunquam ambulavimus, in regionem longinquam, quam viventium nemo vidit, ad judicem tremendum, ubi si nobis bene cesserit in æternum sumus regnaturi, si malè in æternum arsuri.

III. Ut velut servus Eliæ siquidem duplicem Domini sui spiritum postulaverat, ipsiq; si videret eũ à se tolli promissus erat, 2. Reg. 2. lateri Eliæ indivisus comes adhæsit, abeuntemq; & oculis, & voce secutus pallij cadentis, & spiritus quem petierat hæres factus est: Sic nos qui Spiritus Christi in cælum ascendentis participes esse volumus eum semper sequamur; nec ab eo unquam divellamur. Et

quando

quando gressibus corporis eum sequi non licet, cogitatione & affectu illum ubique sequamur: cum nascitur, circumciditur, in templo offertur, cum moritur, resurgit & victor in cœlum ascendit, totam Christi historiam recolendo, illumq; in omnibus itineribus cogitatione & amore comitando, affectu scilicet, juxta admonitionem Bernardi, donec id fiat effectu, & oremus, Cant. 1: Trahe me post te. August: Ibi spera, ibi ama, inde quære virtutem, ibi expecta mercedem, & omnis tua expectatio sit de sursùm, sicut peregre profecti patriæ dulcedine trahuntur, nec fortuna adversa fracti, nec blandiore allecti illius memoriam deponunt. Imò si quis apud Indos agens hic patrimonium, parentes & amicos haberet, hic etiam esset præcipua ejus cura & cogitatio. Sic nos cùm Anaxagora juvene Philosopho oculos & digitum in aëra intendentes dicamus: Mihi verò illa patria curæ est. Nec inviti moriamur, illorum more qui cruce onerati quidem optant dissolvi, ubi autem ipsos Deus bonus vult dimittere reluctantur, & manere diutius optant. Quam ob rem, quod Cyprian. in sermone de Immortalitate scriptum reliquit, homo aliàs pius singularem hanc è cœlo vocem audivit: Exire non vultis, pati timetis, quid faciam vobis?

III.

Finis & Victoria Fidei Triplex.

I. Quod Christus noster Poretz, Mich. 2. ascensu suo viam perruperit, januam Paradisi aperuerit, Luc. 23. & mansiones nobis præparaverit. Joh. 14. Scimus ergo cuinam commendare debeamus peregrè profecturi non tantùm rem domesticam & mortui vicini uxorem sobolemq; sed emigrantes hinc animas nostras, depositum & thesaurum nostrum præstantissimum, scilicet Jesu Christo qui ascendit in cœlos, Chrysost. non loco incluſus, nec captus cœlo, Act. 4. sed locis cunctis altior. Quale autem sit illud cœlum, & quà versus plagam sit locus ille nemini mortalium revelatum est. Esa. 64. 1. Cor. 2. Nec est fragilitatis nostræ scrutari, sed curiosissimum & super

per

pervacaneum quærere. Augustin. Nec temerè fingendum aut definiendum nobis. Eò autem Christus ascendit cum corpore, ubi quod ad naturam divinam fuit ab æterno. Cœlum quod videmus extensio aquarum est & nondum 6000. annos duravit, ergo alia est sublimitas, & lux inaccessa in quam Christus evectus est. Redienſq; assumet corpora nostra, ut simus cum ipso & videamus gloriam, quam habuit antequam mundus fieret: Joh. 17. v. 5. quia ipse siquidem exaltatus est, nos attrahet. Joh. 12. v. 32. Si Regum & Principum tanta est authoritas & potentia, ut suo in regnum aut urbem ingressu libertatem redeundi ad patriã domum profugis conferant, pro quorum delictis ipsi non satisfecerunt; quid non præstet Jesus Christus qui nos sanguine suo redemit? Hinc Leo Papa: Quoniam Christi ascensio nostra est provectio, & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis, dignis dilectissimi exultemus gaudijs, & pia gratiarum actione lætemur: Hodie enim non solùm Paradisi possessores firmati sumus; sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus amplius adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per Diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primæ habitaculi felicitate dejecit, hos sibi incorporatos Dei filius ad dextrã Patris collocavit, & secum in cœlestibus considere fecit. Bernard: Sequamur Domine te per te ad te. Sequamur Te quia via es, Joh. 14. Per Te quia vita, ad Te quia veritas ad quã tendimus es, & cujus visione beati erimus. Augustin: Proficiscamur ô anima ad civitatem, in qua adscripti sumus, & cives decreti, ad quam nobis fiducia latum præbet ingressum.

II. Quod in futura vita aberit omnis incredulitas cum corde saxeo, nec Diaboli, neq; serpentes in nos facient impetum, quin omnes linguæ confitebuntur Deo, Rom. 14. v. 11. Apoc. 7. 9. ex omnibus Gentibus & tribubus, & populis, & idiomatibus. Nec obtrudetur nobis venenum, neq; mors, neq; morbi dominabuntur amplius: 2. Tim. 1. quia primum præterijt, & destructo domicilij hujus terreni tabernaculo ædificationem ex Deo habebimus æternam in

cœlis. 2. Cor. 5. Hic quidem, 1. Cor. 11. v. 30. inter nos sunt multi debiles & invalidi, & obdormiunt multi. Etenim si nos ipsos dijudicaremus non puniremur à Domino; sed quum punimur à Domino, erudimur ne cum mundo cõdemnemur. Verùm in vita cœlesti nullam experiemur fragilitatem. Hîe nostra est Bethania, hoc est, domus afflictionis, mœroris & luctus: Ubi Salvator noster Lazarum suscitavit jam quartum diem in monumento agentem, Joh. 11. v. 17. & 43. atq; ipse in vicinia, in oliveto θρόμβος αἵματος, guttas concreti sanguinis agonizans sudavit. Luc 22. Propter Ascensionis Christi meritum per beatam emigrationem ab omni afflictione à cruenta mortis lucta, & per felicem resurrectionem à putredine in æternum liberabimur. Hæc tria autem dum inter Bethaniam & Hierosolymam versamur nobis adhærent.

III. Quod videbimus consanguineum nostrum, qui carnem suam non oderit, Eph. 5. in consortio Trinitatis. Quem Augustinus hic quidem in carne videre optavit, sed nos cum pio Eremita differimus ad diem novissimum, atq; sic, ut idem August. scripsit, ubi caro nostra regnat, ibi nos regnare credimus. Ubi caro nostra glorificatur, ibi nos glorioſos esse agnoscimus: Ubi sanguis noster dominatur, ibi nos dominari sentimus. Et si peccata excludunt, naturæ communio non repellit. De hoc triumpho ipse filius Dei loquitur coram Senioribus plebis & Principibus sacerdotum Luc. 22. v. 69. Ex hoc tẽpore erit filius hominis sedens à dextra virtutis Dei. O quanto cum tripudio Electi in vita illa beata coram Christo genua flectent, & nos in Redemtore nostro exultabimus. Quantum gaudium erit sacratissimam Christi humanitatem sideribus cunctis atq; Sole ipso splẽdidiorem ad dexteram Patris sedentem, & rosea in ejus corpore vulnerum stigmata contemplari, quæ, ceu ipse respondet quærentibus Zach. 13. v. 6 ipsi inflicta sunt in domo diligentium ipsum. Per quæ nobis Dei gratia, delictorum venia, Spiritus Sanctus & jus hæreditatis æternæ donatum est, per quæ nobis aditus ad tantam felicitatem patefactus est. Quanto gaudio felix anima isthæc amplectetur.

tur, exoſculabitur & adorabit. Hinc ait Auguſt. in Meditat: Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſum Gehennæ ignem longo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria videre poſſemus, & ſanctorum ejus numero ſociari, nonne dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur? O veſana tarditas atq; ſocordia hominum, quæ hæc tanta mercede propoſita non excitatur! non ad eam pervenire deſiderat! non ejus amore contabeſcit! nec omnia, quæ in mundo pretioſa putantur propter eam contemnit! O ſtulta mortalium avaritia, quæ res futiles & interituras tanto ſtudio & ardore, terra mariq; conquirit, & hæc bona æterna per ſaxa per ignem meritò quærenda interim negligit!

Dominica Exaudi.

DE SPIRITU VERITATIS ET PERSECUTIONE APOSTOLORUM.

Evangelium Joh. 15. in fine, & in 16. in initio.

PRÆFATIO SUPPLEX.

VIam Johannes præparavit adventuro Chriſto, ne corda inveniret imparata. Chriſtus Spiritui Sancto templum adornavit in pectoribus Apoſtolorum ſancta inſtitutione, egoq; quanto poſſum ſtudio dum inſtat feſtum Pentecoſtes in cordibus veſtris præparabo viam Spiritui Sancto ut ſit arrhabo ſalutis noſtræ. Orandus autem Deus eſt ut emittat advocatum Spiritum Sanctum, & incendat pectora luce ſapientiæ divinæ per & propter JEſum Chriſtum. Pat. noſt. &c.

Exordium Propheticum.

Gen. 3. prædictum eſt de inimicitijs inter Semen mulieris Chriſtum & ſerpentem Diabolum, easq; ſemper fuiſſe & adhuc continuari

ari testantur omnes historiæ; quia Satanas omni tempore immani odio & crudeli furore Christum, ejusq; Ecclesiam persecutus est. Contrivit autem Christi caput Satanæ, oppositoq; Satanæ & impiorum tyrannidi Spiritus Sancti auxlio nos jubet esse constanti animo, ceu docetur in hoc textu.

PERIOCHE ET DISPOSITIO METRICA.

Quando Advocatus venerit
A Patre quem suis Deo
Mittet Deum gnatus Dei
Verax docebit omnia.
Et hoc magistro Apostoli
Testes erunt, quod filius
Christus Dei sit unicus
Cujus decorem viderint.
Sed persequentur improbi
Ignotus est quibus Deus
Hos dira ceu Catharmata,
Prædixit hoc quem nil latet.

TRIPLEX LIGNUM SANCTUM EX HOC TEXTU DULCORANS FONTEM MARA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod tres distinctæ sint in essentia divina personæ, Pater Filius & Spiritus Sanctus, qui, cum sit verus cum Patre & Filio Deus, per Filium à Patre mittitur. Nō autē creatus est neq; genitus, sed, quod contra errores Græcorum tenendum est, ab utroq; & Patre & Filio procedit, Gal. 4. 2. Thess. 2. Joh. 20. Spiritusq; dicitur veritatis: ratione essentiæ, Exod. 12. Num. 23. Psal. 31. ratione officij; quia exit ab eo ducitq; nos ad ipsum qui est veritas, Joh. 14. & ratione diffe-

differentiæ: quia Satan in veritate non perstitit. Joh. 8. v. 44. Adhæc omnes homines sunt mendaces. Rom. 3. Fieri potest: 1. Ut homo de rebus testimonium edat, quarum circumstantias nõ exactè cognovit. 2. Ut perceptarum obliviscatur, & sic insciùs delinquat. 3. Ut hodie verax cras ad mendacia corruptus declinet. Atq; testatur de Christo Spiritus S. quod solus sit Messias, Deus incarnatus, venturus Judex. Ineffabilem autem Spiritus S. processionem Joh. in Apoc. c. ult. v. 1. sub mira imagine Angelo monstrante contemplatus est; quia ostendit ipsi purum fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam Crystallum, procedere ex Throno Dei & Agni, cujus aquis arbor Vitæ salutares fructus proferens irrigabatur. Aqua autem sordes abluit, terram fœcundat, Solis ardorem temperat, sitim sedat, quæ omnia appositissimè Spiritui S. conveniunt: Is enim peccatorum nostrorum sordes lavat, fructus æternæ vitæ in nobis profert, cupiditatis ardorem temperat, & sitim gaudiorum terrenorum cœlestium exhibitione restinguit, in mœrore solatium, in labore refugium. &c.

II. Quod Spiritus Sanctus sit Paracletus vel Advocatus noster, qui causam nostram agit & defendit: utpote juris peritissimus, ut cujus digito lex scripta est. Et causa nostra imò cogitationes dicta factaq; ipsi sunt notissima. Psal. 139. Sap. 1. Atq; spem nobis fecit & quidem in Baptismo certissimam, quod omnis credens salvabitur. Et fidem servabit: quia Deus est.

Spiritus Sancti Advocatus noster partes nostras tuetur

1. Coram judicio mundano, ut persecutionem intrepidè sustineamus, nec homines aut eorum iram pertimescamus. Quod videtur in Elia, Daniele, tribus viris, & septem fratribus. 2. Mac. 7. In Baptista, Apostolis, Act. 5. & Stephano Act. 7. In Polycarpo, Ignatio, Babila. In muliere Edessena, Blandina, Dorothea. Lege Euseb. Tantos cruciatus absq; Spiritus Sancti gratia nemo perferret, ipse autem animum & vires, & verba suppeditat, ne deficiens homo Christum abneget, & cupiens retinere vitam eam amittat. Matt. 10. v. 39. Luc. 9. v. 24.

in triplici judicio.

2. Coram judicio conscientiæ & in privatis tentationibus, ubi per exaggerationem delictorum instigat nos Satan ad desperationem, monstrat nobis Spiritus Sanctus insignes scripturæ sententias, Esa. 1. Ezech. 33. Joh. 3. & exempla Manassis, Magdalenæ, latronis, &c. Sic in angustijs & tribulationibus, ubi cogit Satan ad media illicita, revocat nobis spiritus advocatus in mentem dicta: Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 4. v. 17. 2. Tim. 3. v. 12. & exempla Jobi, Tobiæ, Lazari. Sic in ipso agone & lucta mortis ut piè & confidenter emigremus, erigit nos dictis, Joh. 8. v. 51. Luc. 23. v. 43. Apoc. 14. v. 13. & historijs Simeonis, Christi, Stephani, &c. Quod solenni cantico ab ipso petimus.

3. Coram judicio & tribunali Dei, ubi ipsius præsidio maximè indigebimus propter reddendam rationem. Matth. 12. & 25. Joh. 5. 2. Cor. 5. Ubi nec proderit fuga, Psal. 139. nec aurum, Zophon. 1. vel consangvineus, Psal. 49. excepto Christo.

Spiritus Sancti consilium autem à politicis longè diversum est, scilicet ut ingenuè confiteamur delicta, agnoscamus imbecillitatem, quod solvendo non simus. Joh. 9. Nec negemus nos iram Dei esse promeritos. Appellemus autem ad Evangelium à lege, à Mose ad Christum, à justitia ad misericordiam. Confugiamus ad Agnũ Dei, Joh. 1. ad Crucem Christi, Col. 2. ad Thronum gratiæ. Ebr. 4. Sic ergo David orat Psal. 6: Domine ne in furore tuo arguas me. Psal. 25. Recordare Domine misericordiæ tuæ, quæ fuit ab æterno. Psal. 142: Domine ne intres in judicium cum servo tuo. Sic Bernard. memoria novissimi judicij perterrefactus recollectis viribus dixisse legitur: Confiteor me indignum esse vita æterna, nec id esse in meis viribus ut eam requiram. Gaudeo autem & credo, quod meus Redemtor Dominus Jesus sit hæres cæli duplici jure, scilicet ex natura ab æterno, & merito mortis suæ. Atq; ego per dignitatem morientis Christi me potiri credo vita æterna. Sicut enim debitum duplici modo persolvitur:

1. Ut de-

1. Ut debitor de proprijs facultatibus creditori satisfaciat. 2. Ut alias pro ipso respondeat & persolvat: Sic duplex ad vitam æternam via est: I. Per obedientiam legi præstandam & opera nostra, quod legi est impossibile. II. Per meritum Jesu Christi quod fide apprehendimus. Sic Anshelmus ait: Ah quali & quanto ero in periculo ac mœrore, ubi coram Deo judice ab una parte astabit mihi peccatum, accusans, ab altera Dei justitia, post me Satan velut lictor, ante me promerita transgressionum pœna, infra patens guttur inferni, supra iratus judex, intra me stimulus conscientiæ, extra mundus malignus. Sed quo me vertam? ubi inveniam auxilium? Apud Angelum magni consilij Jesum Christum. O Domine Jesu doleo, ingemisco, non eo inficias me dignum Gehenna; sed tu suscipe me in sinum amplissimæ misericordiæ tuæ, proptar nomen sanctum tuum, &c. Nisi hoc consilium Spiritus Sancti arripiamus, nemo salvabitur unquam.

III. Quod cum Regnum Dei in hoc mundo sit invisibile, 2. Cor. 4. v. 18. Verbum Dei scriptum & vocale sit testimonium infallibile, per filiũ Dei revelatũ, & per Spiritum Sanctum illustratum. Psal. 19. 119. Esa. 8. Joh. 1. 3. 5. Act. 9. 10. 20. 1. Cor. 6. 1. Tim. 6. 1. Joh. 4. Et quicunq; huic testimonio crediderint, illi dulcedinem futuri seculi & æternæ beatitudinis percipiant. Quamvis autem Deum nemo viderit, Esa. 64. 1. Cor. 2. ex verbi tamen testimonio cum Jobo, cap. 19. certissimi sumus quod in carne nostra Deum videbimus. Sed quale hoc sit testimonium Biblia docent, Catechismus ob oculos ponit: siquidem in symbolo monstratur quid testandum & credendum sit de Deo: in Decalogo, quid Deus à nobis requirat. Deinceps quomodo orandum, & fides sit confirmanda. Totusq; Testimonij istius scopus est, ut Christum per Verbi ministros Spiritus Sanctus declaret. Joh. 16. Nam hoc testimonium Dei est, quod testificatus est de filio suo, 1. Joh. 5. v. 9. 10. 11. quod vitam aternam dederit nobis Deus in filio suo.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut

I. *Ut verbi ministri sint digni & honesti testes. Licèt enim de indignis annotaverit August. tantùm valere sacramenta per hominem contemtibilem, quàm per Apostolum data, quod non sint illorum sed Christi, nec imparia sint propter impares ministres. Cavendum tamen est ne detur scandalum: quia magis vitam & opera Doctorum, quàm sermonem vulgus observat. Sint ergo, juxta admonitionem Pauli 2. Cor. 6. v. 3. nullam ulla in re præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium: quandoquidem impio dixit Deus Psal. 50. v. 16: Quid tibi ut enarres statuta mea, & assumas pactum meum in os tuum? Testentur ore & calamo, vitâ honesta & imprehensibili, constantiâ, qua Deus celebratur morte. Joh. 21. Ita se præbeant exemplar gregis, Act. 20. & typos fidelium quibus virtute præluceant, utraq; manu ædificantts templum Domini.*

In testibus ingenuis Tria requirũtur; ut

1. Sint bene instituti, quod enim parum didicit nemo docere potest, sculpta loquantur, falsa refutent. Propterea Apostoli cũ Christo fuerunt ultra tres annos, & sæpius ab eo reprehensi sunt. Mat. 20. Marc. 16. Luc. 9.

II. Loquantur velut ex uno ore, ne sibi testimoniorum dissimilitudine contradicant. Quem in finem symbolum ab Apostolis, ut esset velut amussis doctrinæ, Psal. 19. conscriptum est.

III. Sint honestæ famæ & conversationis, nec seipsos malevivendo condemnent. Quare nec Apostoli à Domino vocati, & ablegati post Ascensionem ejus se inhonesto aliquo crimine conspurcasse leguntur.

Levit. 7. legitur Sacerdotibus de victimis attributas fuisse tres partes, scilicet pectusculum, v. 34. & armum seu dextrum humerum, & maxillam cum lingua, quæ res allegoricè monent,

1. In corde pastoris recondendam doctrinam & sapientiam, Tit. 3. Syr. 19. & patientiam, & constantiam.

II. Ut ipsi ferant jugum quod alijs imponunt ne cum Pharisæis, Matt. 23. dicant quidem, sed ipsi non

non faciant. Matt. 5. v. 19: Quisquis fecerit & docuerit ille Magnus vocabitur in regno cœlorum.

III. Ut bene utantur linguis suis. Jac. 3. v. 3. 4. & 5.

II. Ut indubitanter amplectamur testimonium verbi divini, Esa. 8. Rom. 10. cum fides, sine qua nemo salvatur, sit ex auditu. Quia Christus ipse docuit, & Spiritus Sanctus in Pentecoste idiomata dedit atq; sapientiam, antea locutus per os Prophetarum, Luc. 2. & Apostoli viderunt gloriam Christi. 2. Pet 1. Nec veritati fabulas præferamus, sed oremus ut confirmet Deus quod operatus est in nobis, Psal. 68. atq; obsignet testimonium Spiritus Sancti in cordibus nostris, sic ut si vel Angelus aliud nobis annunciet, ipse habeatur pro maledicto. Gal. 1. Præsertim quia id Apostoli à Domino acceperunt, 1. Cor. 11. v. 23. à quo mirabiliter ducti sunt, sic ut Johannes Evangelista, teste Hieronymo, Romæ ex oleo ferventi illæsus, Petrus ex carcere Herodis, Act. 12. Paulus ex spelunca leonum, 2. Tim. 4. protractus sit. Andreas Petrusq; in patibulo crucis aliquot diebus concionati sint. Per quosdam etiam resectâ lingua locutus sit Spiritus Sanctus.

III. Ut, quia prædictum est à Domino, præparemus nos ad persecutiones patienter ferendas. Esa. 11. v. 8. comparatur Ecclesia lactenti puero super foramen aspidis. Dan. 6. Viro sancto inter leones. Apoc. 12. v. 13. Mulieri quam Draco magnus persequitur. Quocunq; Christus pedem flectit, calcat caput Draconis, & mordetur in calcaneo, Gen. 3. à tyrannis & hypocritis Satanæ membris. Apostoli propter majestatem mittentis, & propter latissimum nuncium, maximè quod sine Evangelio salvari nemo possit, se insigni honore afficiendos speraſſent. Constat nullos unquam homines hominibus magis salutares extitisse quàm Apostolos, qui illos ab horrendis tenebris ad lucem, à cultu lapidum & lignorum ad cultum veri Dei, à morte denique sempiterna ad vitam æternam, summo studio traducere nitebantur. Eo autem mundi insania processit ut tanquam phreneſis morbo laborans, cujus omne rationis

lumen extinctum est, in nullum genus hominum atrocius desæviat, quàm in salutares medicos. Unde ejusmodi à Diabolo fascinati homines, referente Niceph. lib. 10. cap. 9. præ insatiabili furore sanguinem calidum de epate Cyrilli occisi lãbendo vorarunt. Quod Christus prædixit: quia præcognitio ad omnia hujus vitæ incommoda perferenda maximum solatium & remedium est, dum qui bellum contra se apparari sciunt, oportunè se fossis & vallis, & victualibus, & omni genere armorum atq; militum muniunt; ne imparatos repentino impetu hostis aggrediatur. Sen. Epistola 99. Composito animo nihil accidet, quia novit quod nihil firmum sit infirmo. Lege eundem lib. 1. de vitæ Tranquillitate. Prædixit præceptor nec defuit eventus, quia homines ex singulis statibus persecuti sunt Dominum Jesum, Sacerdotes & Judices, Act. 4. v. 27. acclamante vulgo, ut crucifigatur: Sic Apostolos, donec omnes unico excepto trucidarentur. Audiamus Hieron. ad Eustoch: Numera, inquit, omnes Electos ab Abele justo usq; ad ultimum, qui in fine mundi nasciturus est, & omnes invenies adversa perpessos. Solus Salomon in delicijs fuit, & ideo fortasse corruit. Legatur Euseb. lib. 2. cap. 23. lib. 3. cap. 32. lib. 8. cap 8. & 9. & Histor. tripart. lib. 3. cap. 3. quomodo ministri Christi ducti sint ad macellum, Psal. 44. ceu pecudes ad jugulandum destinatæ. Levit. 3. Quare nec tantùm pastoribus ordinandis manus imponitur, sed olim & Biblia & Crux in manus tradita fuit. Veruntamen quò plures Christiani occisi sunt, Act. 5. v. 35. eò plures aucto credentium numero Christum confessi sunt. Et sanguis ille agrum Ecclesiæ reddidit fertilissimum. Sic Justinus per constantiam martyrum excitatus se Christo addicavit. Euseb. lib. 2. cap. 9. commemorat, quod is qui Jacobum Johannis fratrem jussu Herodis gladio feriendum ad tribunal duxit, patientiâ ac fortitudine læti martyris se quoq; Christianum ultro confessus sit, & simul cervicem gladio subjecerit. Paulus, quod Jacob Gen. 49. v. 27. in testamento suo prædixisse videtur, manè prædam vorans Ecclesiam Christi persecutus est, Stephanumq; ceu lupus dilaniavit; sed vesperi conversus doctri-

nam

nam Evangelij, justitiam fidei & salutis viam Gentibus distribuit, & propter nomen JEsu passim pressus persecutiones acerbissimas passus est. 2. Cor. 4. Atq; suo nos monet exemplo, 2. Cor. 6. v. 4. & 5. ut in omnibus nos approbemus sicut Dei ministri in tolerantia multa, in oppressionibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus. v. 6. 7. 8. Arripiamus q; consilium Pusices, Sozom. lib. 2. cap. 11. quod ille Regis Persarum minister Ananiæ dedit ad supplicium rapiendo & jam timidè trepidanti, modicoq; momento claudamus oculos & fortes simus, mox lumen Dei magnum, & excellens pondus gloriæ visuri. Rom. 8. Non autem patiamur ceu operatores iniquitatis: Quoniam nihil ita nos exhilarat, dixit Nazianz. quàm bona conscientia, & vacare culpa magnum est solatium. Gloria Philosopho, sed Christi discipulo Crux.

III.
Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod Spiritus Sanctus per fidem propter meritum Christi hic cum Deo transigat causam nostram. Nec in novissimo die peccata nostra jam in profundum maris abjecta, Mich. 7. v. 19. nos in conspectu Dei accusabunt: Rom. 8. v. 33. 34. quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat nos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Apoc. 12. v. 10. & 11. Sed ipsi vicerunt eum per sanguinem Agni, & propter sermonem testimonij sui, & animæ suæ prodigi fuerunt usq; ad mortem, propterea lætamini cœli & qui habitatis in ijs. Si quis dispensator perfidus dispersis bonis Domini sui ad reddendum rationem, vel homo flagitiosus ob crimen capitale vocaretur in Judicium, uterq; metu anxio pavens fugam si posset eriperet, vel certè tremens appareret. At si quis agnatus vel amicus interim expleto defectu rationes ejus componeret, aut reum quocunq; modo à supplicio liberaret, summa hæc esset felicitas & gaudium inenarrabile. Nos ergo longè sumus felicissimi:

Cum enim debitores essemus decem talentorum, Matt. 18. nec Domino respondere possemus de uno ad mille, Job. 9. nostraq; delicta superarent numerum arenæ maris, Orat. Manaß. unde condemnatio nostra fuisset justißima, Filius Dei amicus & consangvineus noster abundantißimè ex proprio motu pro nobis satisfecit & ab inferno nos redemit, idq; Paracletus seu Advocatus noster Spiritus Sanctus annunciat & confirmat. Hinc cum vero gaudio absq; omni metu apparebimus coram Judicio Dei, cui sit laus & gloria in seculorum secula, Amen.

II. *Quod, cum hic gestemus imaginem Adami, cui inscriptum est Actor. 14: Oportet per multam tribulationem ingredi in Regnum Dei, & 2. Tim. 3: Quotquot volunt piè vivere in Christo JEsu persecutionem patientur; in futura vita gestabimus imaginem Christi cum inscriptione Apoc. 7. v. 14: Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna, & dealbaverunt stolas suas per sangvinem Agni, ideo sunt ante thronum Dei, &c. Apoc. 21. v. 4. Esa. 25. v. 8. 4. Esdræ. 2. v. 42. 43. ad finem capitis. Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi Angelum, & dixi: Qui sunt hi Domine? Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumserunt, & confessi sunt nomen Dei. Modò coronantur & accipiunt palmas. Et dixi Angelo: ille juvenis quis est qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi: Ille est Filius Dei, quem in seculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.*

III. *Quod, cum in mundo denegetur nobis locus, Politeuma nostrum sit in cœlis, ubi nulla nos persecutio extrudet. Et pro eo quod hic illegitimè excommunicati pro maledictis habeamur, in futura*

utura vita Benedictis æterni Patris annumerabimur. Matt. 25. O quanto cum gaudio ab Angelis protrahemur ex sepulchris, & collocabimur ad dextram Christi! O quàm jucundissima vox: Venite Benedicti. Bernard. Hoc triumpho prægustato, ceu Theodor. refert lib. 3. cap. 7. Marcus Episcopus Arethusanus, in Syria post multa tormenta melle illitus in corbe suspensus, ut à fucis & vespis occideretur, gaudens dixit: Ego sublimis sum, vos autem humi jacentes despicio. Ego in monte Zion, Psal. 15. Esa. 25. Apoc. 14. vos in terra repitis vermes. Sicut enim sponsa, quas sponsi nomine sustinuit calumnias & persecutiones, ubi ad eum pervenerit, ipsi præ gaudio lachrymans enarrat: sic animæ justorum de periculis & passionibus propter nomen Christi, in[illegible]ente Satana & mundo, super ipsos excitatis viso jam Christo conquerentur, Apoc. 7. & ipse respondebit Cant. 4. v. 8: Veni de Lebanon ô Sponsa mea, & prospice mecum de vertice Amanah, de vertice Senir & Hermon, de habitaculis Leonum, de montibus Pardorum. Cant. 2. v. 10: Surge amica mea, formosa mea, & veni. Ecce enim hyems ærumnarum & tribulationis transijt, imber lachrymarum & ploratus transijt & mutatus est. Flores lætitiæ ac recreationis apparuerunt in terra nostra, tempus cantionis advenit, turturis vox, Spiritus Paracletus scilicet, audita est in terra nostra. Ficus vitæ æternæ protulit grossos suos, & vites uvam minutam habentes dederunt odorem. Surge amica mea formosa mea & veni. Columba mea quæ habitas in scissuris petræ, in abscondito gradus, id est, corpora quæ in sepulchris adventum meum expectatis. Ostendite mihi aspectum vestrum, &c.

Finis primæ Partis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0525
DFG

ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani,

Academiæ Typog.

Anno

M. DC. XIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0526
DFG

Statura Christi. fol. 307. I. parte.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0529
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416178/phys_0532
DFG

8. ut levemus oculos nostros ad montes, Psal. 121.
de venit auxilium nostrum.
vehementer perterriti semimortui tremunt, velut
ngelis, cap. 7. & 10. atq; Johannes, Apoc. 1. mox au-
nt dimidium curriculi in futurum seculum, ad vo-
hristi revertuntur, brevi spacio vivi atq; mortui,
nortui, mox vivi, velut illi qui animi patiuntur de-
entes in die novissimo mutabuntur, 1. Thes. 4. &
Surgite, ne timeatis; convertetur mors in vitam,
n.
Christi sicut Sol. Ergo in vita æterna non erũt tene-
nt lucidissima. Corpora nostra erunt glorioſa, sancta,
, Phil. 3. 1. Joh. 3. Angelis similia: Matt. 22. nam Docti
1. Cor. 15. Velut alia claritas est Solis, alia Lunæ, sic
lendore vitæ æternæ, pro diversis officij & vocatio-
ibus in hac vita fungimur, non quidem propter me-
m dignitatem; sed ex gratia Dei gratuita. Patriar-
ostoli & Martyres reliquæ credentium multitudini
& eadem vita æterna. August. Dispar erit gloria
ommunis lætitia omnium. Sic etiam in Gehenna,
adus & discrimen. Matth. 11. Jacob. 1. dicitur
Ebr. 1. dicitur Christus splendor gloriæ paternæ.
litiæ. Et Spiritus sanctus ab utroq; procedens co-
ne flammante se revelavit. Ezech. 1. Actor. 2. An-
reu flammans ignis facti, Luc. 2. Chorus coruscans
icus Sol à Deo creatus tantum habet lucis, ut Lunæ
lucem communicet, & universum orbem illumi-
ambulant creata omnia, ne deficit lumen Solis jam
ergo lux erit in vita æterna! Ubi tres personæ divi-
, & Electi fulgebunt. Quid ad hæc facies Mosis?
homo contra homo miser est, & deploranda sors
od in æternas tenebras conijcientur. Matth. 22.